De curandis hominum morbis : epitome praelectionibus academicis dicata / [Johann Peter Frank].

Contributors

Frank, Johann Peter, 1745-1821.

Publication/Creation

Venice : J. Molinar, 1816-1817.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/d8nscd4a

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b2933052x_0001

DE
CURANDIS HOMINUM MORBIS

EPITOME

PRÆLECTIONIBUS ACADEMICIS DICATA

AUCTORE

JOANNE PETRO FRANK.



BIBLIOTECA
STORICA
MEDICA
FRANK

TOMUS PRIMUS.

VENETIIS

1816

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI MOLINARI.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PRÆFATIO.

Vastissimæ scientiæ, qualis Medicorum est, fundamenta paucioribus complectere, problema sistit, cujus solutioni, BOERHAAVIO propius nemo accessit; sed ipsum hoc opus ita quidem absolvere: ut Docentes, quo loco interest, dicendorum copiam, et occasionem nanciscantur; -- ut Discipulorum memoriæ, unius quasi intuitu verbi, dictorum mox summa suggeratur, idearumque affinium promptissima succedat renovatio; -- ut idem hic labor Accademici temporis non minus angustiæ, quam cognoscendorum necessitati morborum respondeat; -- utque exclusis hypothesium illecebris, non ephemeram, sed constantem in arte exercenda constituat regulam, hoc, nisi omnia me fallunt, quantumvis ab eximiæ notæ scriptoribus, non tamen omni, qua voluissent, felicitatem impositum est sibi onus.

Hæc animum quoque meum absterrere debuissent fata librorum: sed urgebat necessitas, minusque imperfectionis pertime-

scere notam, quam, quod Auditoribus, saltem meis, profuturum esse sperabam, reticere malebam. Nec tamen illotis hoc ad opus manibus me accessisse, ipsemet bene sentiebam: qui per quinque jam lustra, et quod excurrit, diversas apud gentes hac in arte; non sine multiplici experientiæ occasione versatus, tum hanc ipsam consulere, tum quæcunque aut Veterum, aut Recentiorum auctoritate nituntur, in usus meos convertere potueram, atque summa, qua licuit, industria converti. Quæ vero docendæ artis difficultates hoc in labore considerandæ erant, eas in duabus, iisque celebrioribus Europæ Academiis sat satis expertus, attente ponderavi; neque dubium nunc quidem mihi superesse potest, Medicinæ compendium Juventutis commodo, nec a viro doctissimo, longiori tamen experientia destituto, nec ab alio quovis, academici turbinis ignaro, facile posse adaptari.

Vellem tamen ab æquis tantarum rerum judicibus ad locales, quibus præsens dicatur opus, circumstantias respici: quarum certe natura in pertractandorum dispositionem, ac universæ doctrinæ habitum quam maxime influit. In hac nem-

pe, qua Practicæ Medicinæ complexum docendi munus mihi incumbit, Academia, duorum huic operi annorum impendere curriculum, non sine magnis rationibus, conceditur. Sed cum academicus apud Italos annus, ob ardentis cœli rationem, non nisi mensibus octo constetur: in quibus lectionum, nobis quidem præscriptarum, ad centum et octoginta extenditur numerus; hinc patet, pro totius Medicinæ ambitus exponendi ratione, non ultra unius anni terminum a lege assignari; qui, nisi hanc ipsam multiplici, nec interrupto ægrotantium quorumvis intuitu, ac vivis morborum difficillimorum exemplis quotidie illustrare liceret; pro Medicorum educatione, si contentionis, ac viriumi huic ætati concessarum rationem ineamus, nequaquam sufficeret.

Oportet igitur, ut in opere academicis prælectionibus dicato, tum præcipua scientiæ momenta, ne infelix scribendi necessitas Auditoribus imponatur, sat diffuse, -- tum vero, ne superflua chartæ consumantur eruditione, ut sat succincte exponantur. Aphoristica hinc scribendi non ubique conveniet brevitas; eaque, subsidii literarii, cum Scholas liqué-

rit, egena Juventus non sine magno memoriæ detrimento uteretur; sed certe hinc inde sufficiet, res captu faciles vel unico verbulo, Docentis voce ulterius illustrando, adnotare, ac intellectus exercendi Discipulis occasionem concedere.

Hac libertate, pro ingenii mei, et experientiæ ratione, utens, primum, de curandis hominum morbis, *qui* de febribus *tractat, Auditoribus sisto librum; sequentes, cum non uno humeris oppressus pondere incedam, horulasque paucas, talia scribenti concesserint* Superi, *quam prompte id fieri licebit, communicabo.*

INTRODUCTIO.

Parum ægrotant, quæ naturali instinctu reguntur, animalia, victuque simpliciori contenta, corpus in eodem quærendo exercent, labore non exhauriunt, passionibus animi necessariis, salutaribus concutiuntur, et quæ interdiu detrita fuerunt, ad noctem quieta componunt. Eadem quondam felicitate et hominem gavisum fuisse, traditio, historia populorum docet, quos pridem, quos nostris temporibus vitam prorsus animalem duxisse vidimus. Pauca certe hominis ævum animalia attingunt; nulla sub cœlo adeo diverso, sub ardenti zona non minus, ac sub gelidissimo septentrione, victu penitus contrario, sanitatem æqualem, ac humana facit species, diutissime conservant.

Homo, sic consideratus, vix aliis, nisi decrepitæ ætatis, incommodis videtur primum succubuisse; alia vero *externarum* læsionum ratio est, quibus audax progenies, terrarum imperium

tum cæteris animantibus, tum propriæ speciei disputans, mox subjecta fuisse debuit. *Chirurgiam* igitur Medicina forsitan seniorem esse, concedimus lubenter; sed vix serii quidquam ex hoc ipso inferendum esse putamus: nobilitas enim scientiarum non ex earundem antiquitate majori; sed ex necessitate, ac utilitate eruenda: qua quidem consideratione ars utraque pari passu ambulat, eadem dignitate gaudet, et iisdem principiis superstruitur. Nec minus Chirurgo Medicina, quam Chirurgia Medico opus est; ut male es hominis superficie vel interna, vel externa, *unius* scientiæ desumpta sit divisio.

Primus autem vel Medicus, vel Chirurgus, fuit *natura;* alter, *casus* erat, et *experientia*, necessitatis filia. Primos ab animalibus remedia didicisse homines, fabula est. Qui morbo prehenditur, cibos fere nunquam appetit, sæpius eosdem abhorret, ab assumptis plectitur, abstinentiam sponte colit. Qui dolet; jactatur inquietus; et in varias corporis se volvit, revolvitque positiones: quarum meliorem, quous-

que hæc fuerit, retinet. Qui vomiturit; hic digitum (primum forte mortalium emeticum) faucibus intrudit, et ad sui exonerationem ipsemet ventriculum provocat. Qui sanguinem ex vulnere profundit; plagam, quam citissime potest, obturat, atque sic omnis Medicinæ rudimenta in ipsius doctrina naturæ, et in eorum, quæ aut nocuerunt, aut casu, vel consilio profuerunt, observatione, sunt quærenda. Hinc nunquam non Medicina fuit, et expulsis *Roma* Medicis, hæc ipsa expelli sine civibus non potuit.

Cum vero cuivis natura non suppeteret, nec experientia suggereret remedia; quicunque pietate commotus ad expositos in triviis lectulos prætereundo, vel accersitus adiret; hic, si quid nosset, quod sibi, quod aliis in simili malo conduxisset, medicinam proposuit. Sensim vero sensimque vel seniores, quibus vita longæva majorem experientiam concesserat, vel patresfamilias, vel proceres viri, qui filiorum, affinium servorumque majori numero præsidebant, frequentiori observandi occasione instructi, cogni-

tione cæteris medica antecellebant. Hinc veneranda artis, et regia, et divina fuerunt incunabula.

Quemadmodum vero artes, et scientiæ ex *Ægypto* cum coloniis in *Græciam* transvectæ fuerunt; ita hæc ultima princeps Medicinæ, et Chirurgiæ *puerascentis* theatrum sistit: sed jam in *Ægypto*, cum in morborum curatione *divini* aliquid esse videatur, quod mortalium animos non injusta admiratione percellit; qui *Deorum* cultui dicabantur, his ipsis Medicinæ adminiculis, ut populorum in sese reverentiam et fidem augerent, usi fuerunt, nec sine humanæ mentis cognitione in his versati sunt. Infensi *Numinis* placare iras, favorem implorare, *Sacerdotibus* populus commisit. Hi primam morborum originem, quam ex legum naturæ neglectu debuissent, a *Jove* offenso derivarunt, atque holocaustis redimi salutem docuerunt. Fiducia ægrotantium in *Sacerdotem medicum*, ineptissimis rebus virtutem; remedii virtus, majorem *Pontifici* æstimationem dederunt: ut Medicina aris, aræque Medicinæ fulcrum sibi mutuo concesserint.

Sed ipsa scientia a *divina Pathologia* non parum obfuscata, vix alia sub *Sacerdotio medico* habuit incrementa; quam quod hoc ipsum, *Deorum* effata, et consilia, experientia hinc inde comprobata, in futuros usus conservaverit; sacrificia vero *pura* ab *impuris*, *Deorum* nutu indignis, secernendo, et attentiori oculo perscrutando, prima, tum sani, tum morbosi corporis *Splanchnologiæ* posuerit, deperdita aliis, fundamenta; et victum, cœlo, temperamentis congruum legibus definiverit divinis: quæ ultimæ tum apud *Indos* primum, tum apud *Arabes*, *AEgyptiosque* datæ, non parvam *Sacerdotum legislatorum* his in rebus perspicaciam manifestant. Cadaverum condiendorum *AEgypto* propria et a certis, publicisque hominibus suscepta solicitudo, variis circa morborum causas, vel effectus observandi occasionem dedit: ita ut *Anatome pathologica*, præ *physiologica*, hominum attentionem sibi arripere debuisset; nisi fatali iterum influxu, qui cadaver tractare susciperet, hunc *impurum* declarasset *Sacerdotium*.

Principiis vero hucusque destituta

Medicina, scientia non fuit; sed morbi sibi aspectu similes, aut remedio eodem curabantur; aut nullo: ita tamen, ut certæ familiæ majori pollerent *remediorum* catalogo, et restituendæ ægrotantium saluti præ aliis constantius invigilarent. Sic res hæc constituta fuit: donec Vir, humano major elogio, *Hippocrates*, prima et solidissima artis fundamenta, ex disjunctis admodum máteriis construeret, morborum decursus fideliter adnotaret; futuræ salutis, aut mortis indicia colligere, causarum, remediorum actiones succincte ac vere enarrare, et attentissimum ad singula observatorem agere, indefessus continuaret.

Vix autem extincto novissimæ scientiæ fundatore; Philosophorum deliria, quod ante *Hippocratem*, *Pythagora* duce, jam fecerant, *Platonis* nunc auctoritate, Medicorum capita invaserunt, atque divina Medicinæ vix nascentis lineamenta absurdissimarum hypothesium fuco inquinaverunt.

Erasistrati tandem ævo, in tres partes divisa est scientia: quarum una quidem *diæta*, *pharmacis* altera, ac

manu tertia, morbos oppugnaret. Singulas has partes temporum insania, ac indelebilis ratiocinandi pruritus adeo infestavit: ut, *Ptolomæo* regnante, tantis major deliramentis *Empiricorum* pater *Serapio*, ratiocinio cuivis in medendo valedicens, ad solam hac in arte provocaverit *experientiam*. *Dogmaticorum* Secta, hujus quidem auctoritatem negare non ausa, subtiliorum tamen rationum abrepta ludibrio, lubentius huic ipsi, quam lentiori, ac ingeniis ardentibus nimis fastidioso observationum studio adhæsit.

Ex *Græcia Romam* nunc profecta Medicina est: quam tamen, ut crudelem, cum *Archagato Urbs* citius expulit. *Asclepiadi*, eloquenti, sed vanissimo homini, faciendæ Medicinæ jus nunc impertitur; et, sub *Augusto*, a *Themisone*, *Methodicorum* Sectæ fundamenta ponuntur. Mox vero magnum *Romanis* lumen *Celsus* apparuit: qui, nisi ipse Medicinam utranque exercuerit, dictionis elegantia, ac veritate eandem fecisse meretur.

Sequitur hunc vir Græcus, stupendæ eruditionis, *Hippocratis* ultor, mox

invidia *Roma* expellendus, sed inimicorum victor, gloriose iterum redituras, *Claudius Galenus*. Subtilioris interim ingenii illecebris nec hic sibi cavit satis, quin arti suæ gravissimos errores intulerit, per multa secula, quibus solus hic Pergamenus legem imposuit, duraturos.

Incertæ quidem, nec tamen facile *Galeno* prioris, ætatis Medicus, *Aretæus*, fidelissimus, post *Hippocratem*, morborum pictor, quam Græca tellus, nisi posterum neglecta, Medicinæ favisset, ubertim ostendit. Aliorum reliquias hoc ex solo collegerunt *Ætius*, *Paulus Ægineta*, *Alexander Trallianus*, *Oribasius*, *Palladius*, *Theophilus*, ultimusque *Græcorum*, *Actuarius*.

Nunc *Barbarorum* incursiones, ut scientiarum omnium, sic et Medicinæ culturam suffocant. Quæ chartis diligenter consignaverat antiquitas, ea cum his pro maxima parte conflagrant; reliqua supellectili potiuntur *Arabes*, inter quos *Haly Abbas*, et *Rhases*, et *Avicenna*, et *Haly*, ejusdem filius, *Avenzohar* demum, et *Averhoes*, et *Albucasis*, obscuritate, garrulitate, ineptiis, ac

superstitionibus inclaruerunt. Nec tamen, cui patientia non deest, illi ex *Arabum* ruinis hinc illinc pretiosam gemmam erruendi negabitur occasio; nec Populus integer in re tam seria, et in omnibus, quæ salutem concernunt, perpetuo, tot seculis, delirare consuevit. Copiosas interim Scriptorum, hac ex gente nugas, *Aristotelicæ* insomnia *Philosophiæ* auxere, ac tales quidem, pro solidissima Medicinae basi, ad præsentis usque principium ævi, in singulis *Europæ* Academiis intrepretabantur.

Sic fere de scientia salutari actum erat, cum in æternum sacra hominibus *typographicæ* artis inventio, codices ex Byzantino pulvere aliquo eduxisset, et major iterum *Hippocraticæ* doctrinæ haberetur ratio; licet et tunc temporis Interpretes, *Galenicarum* subtilitatum, et loquacitatis Arabicæ quamplurimum intersererent. Accesserunt *Chemicorum*, *Alchemicorumque* deliria; donec cognoscendi corporis humani perspecta satis necessitas, ad meliora excitaret immortalia *Mundini*, *Berengarii Carpensis*, *Vesalii*, *Columbi*,

Eustachii ingenia. Circulatio sanguinis, non prorsus adeo incognita, ab *Harveo* nunc demonstratur; quin tamen hac ex doctrina emolumenti tantum, ac prævideri debuisset, in Medicinam redundaret. Deteguntur tandem, *Aselio* duce, vasa lactea, et mirabilis hodiernæ de vasis lymphaticis doctrinæ struuntur fundamenta.

Interim *Hippocraticæ* studium doctrinæ augetur ubique, ac *Sydenhami*, viri insignis, labore pristina dignitas Medicinæ restituitur. Hac luce præfulgente, majores in arte progressus fiunt: superaccedit *Stahlii*, *Hoffmanni*, et demum *Boerhaavii* immortalis solertia, qua salutiferæ artis incrementa giganteis mox passibus promovebantur, nisi mathematicis rem medicam argumentis fulcire nimis tunc Scholæ conarentur. Tandem collatis populorum omnium laboribus, et observatorum ubique crescente numero, antiqua et ab *Hippocrate* frustra inculcata filiis veritas Medicorum animo affulsit, et, *vanam esse, quæ ex observationibus non deducatur, doctrinam*, uno nunc ore profitemur coacti.

Nullum vero non tempus fuit, in quo Medicorum ab arte aut salutis præsentis conservatio, aut amissæ recuperatio sanitatis non merito exspectaretur. Ac primum quidem, sicut nobilissimum Medicinæ objectum, sic et faciliorem officii partem offerret; nisi per ipsam hominum incuriam, et voluptatum, pathematumque animi tyrannidem, pars maxima curæ impediretur. Nec tamen vel causas morborum omnes a civibus avertere possibile est; nec Medicis datur, Principum in fugandis populorum miseriis, ac evitabilium morborum causis negligentiam ubique supplere. Præsentem jam morbum *consilio* æque, ac *auxilio* curamus: inter quæ, primum ægrotante, qua ratione in morbis vivendum sit, ita docet: ut ad graviores etiam ex istis felicitate magna tollendos persæpe sufficiat. Vis enim magna in corpore tum animali, tum etiam vegetabili latet, qua ipsa natura vulneribus prospicit, vel separatas ab invicem partes adglutinat, vel amissas restituit, illapsa peregrina involvit, obducit, expellit. Ergo vel *nihil agen-*

do non raro morbos curamus; nec *auxilio* indigemus, nisi cum aut nimias naturæ vires temperare, aut collapsas erigere, aut demum aberrantes ad finem suum reducere, oportuerit. Quodsi vero hæc ispa requiri videantur (in quo certe major Medentis prudentia hæret): tunc fere ad quatuor, pro necessitate, recurrendum erit subsidia: vel enim *diæta*, vel *pharmacis*, vel *manu* ac *instrumentis*, vel demum *morali* succursu ægrotantibus operam præstamus. Sic solo interdum mutato victu, saluti quam optime consulimus amissæ; sic prudenti pathematum directione, non paucorum morborum radices rescindimus, forentque plura ex solicito mentis regimine, si, quam cæteris industriam remediis, hanc animi studio humani impenderemus, exspectanda.

Qui morborum pericula aufugit, hic statu morbum inter et salutem medio, languet, et Medentis certe consiliis et auxilio *reconvalescens* indiget. Multi quidem vel in ipso portu naufragium patiuntur, et vix pauciores, qui morborum fines, quam qui initia

spreverint, tum propria, tum Medicorum frequentius culpa, interimuntur. Renascens hoc tempore ciborum appetitus, et major mentis irritabilitas, tum illud, quod *acutæ* quamplures, conamine naturæ non uno, sed repetito, ac per sat magnam reconvalescentiæ partem continuato terminentur, ad *recidivas*, aliosque, primo pejores, morbos communissimam occasionem largiuntur. Idem vero principium, quod expellendæ in morbis causæ invigilat; in reconvalescentibus ad resarcienda naturæ damna occupatur, et nunc directione indiget; nunc erigi, nunc vero moderari contendit; nec una est ægrotantibus; sed, pro exantlati vix morbi diversitate, alia et diversa reconvalescentia, quæ ipsa mirandum, nec Medicis intellectum satis, naturæ opus constituit.

Atqui hæc singula scientiæ, quam profitemur, vastitatem, ac difficultates abunde manifestant. Duo vero sunt, quibus has superamus, subsidia: regularum scilicet, quæ artem dirigunt, scientia, vel *ratio medendi*; et faciendorum ex factis similibus di-

lucidatio, sive *experientia*. Prima, quæ circa morbos singulos tum *cognoscendos*, tum *curandos* versatur, *Therapeia specialis* vocatur; alteram, frequens ægrontatium, non simplex aspectus, sed attenta observatio, rectumve de singulis judicium, conciliant: quod *Clinicum*, sive rerum ad ægrotantium lectulos contingentium, scientia practica, appellatur. Nec ratio sola, nec experientia, hac ipsa destituta, tam arduo in opere sufficiunt. Illa quidem, perpaucis Medicinam morbis assignavit; hæc vero non fido semper, in *analogia*, duce dirigitur. Alia vero ratio in rebus medicis vel sola mentis prolicitur acutie; alia, quæ experientiæ filia est, et ex totidem corollariis, a fideli observationum alienarum congerie deductis, systema offert, ex quo, ad morbos necdum conspectos, consilium petimus. Prima quidem hypothesium, ac errorum fertilissimam genitricem constituit; altera solidissimum Theoriæ, ac fere unicum, cui fides haberi queat, fundamentum largitur.

Hac Theoria, et cognitionum pa-

thologicarum, ac therapeuticarum summa instructi, oblatos nobis morbos *dignoscere*, *judicare*, ac demum *curare*, vel saltem *lenire*, intendimus. Ac primum quidem, præstamus mente in causas, inque symptomata morbi attenta. Causarum quidem non ubique tam evidens natura observatur; ac interdum, earundem ignari, non minus (intermittentium, scorbuti exemplo) morbum curamus. Sed magna certe ex illarum recta consideratione petuntur auxilia, et cognita epidemicæ constitutionis natura, illius sæpius defectum supplebit. Morborum judicium, sive *diagnosis*, ex symptomatum similitudine, aut discrepantia cum noto alterius morbi charactere, eruitur, totiusque artis basin omnino constituit. Judicium de morbo, respectu ad ipsius exitum, aut finem desumpto, formatum, *prognosis* appellatur; ex qua, sicut melioris curationis momenta sæpius pendent, sic Medentis perspicacia, et prudentia quam maxime elucescunt.

Alii vero morbi non tuto satis, alii

in integrum curari non possunt, ac *palliativam* potiu sibi methodum expostulant. Hæc ipsa methodus ad symptomata curabilis alias morbi interdum extendi debet, quotiescunque nempe ferocia illorum pericula minatur, quorum causa per curam *radicalem* tam cito auferri nequit. Hæc ipsa obtinetur attenta naturæ virium consideratione, harumque prudenti moderatione: quibus nempe *methodi* tum *exspectantis*, tum *activæ* fundamenta potissime circumscribuntur. Causarum ablatio princeps in medendo punctum constituit, eaque sola amissam functionum libertatem restituimus; sed sæpius aut ignotæ, aut conamine tanto majores, infringi magis, quam e corpore sese expelli, patiuntur.

Est vero, ut in motu sanissimi corporis, sic et in ægrotante hominis machina, sublimis quidam, et sacer ordo: quo natura vel in salutis restituendæ opere procedit, vel a vi morbi obruitur ipsa. Non tam complicatus quidem hic ordo, quam morborum aspectus, videtur: sed exceptis tamen

illis, qui, ut plantæ, certo propagantur seminio, et eundem in quovis corpore morbum iterum producunt; inter alias ægritudines tantus quidem non observatur ordo, ut in illarum ordinatione systematica, quasi in botanicis, *Linnæana* gaudere felicitate liceat, Interim non inutilis *Nosologorum* labor est. Scientiam quidem vix augent eorundem systemata, sed longe faciliorem reddunt; indicem morborum accuratiorem, et practicis Medicis pernecessarium sistunt; in præcipua, vel characteristica symptomata attentiores hos reddunt; paucissimis paginis seculorum labores certo ordine collocatos complectuntur; nomina certa rebus certis impertiuntur; linguam medicam a polo ad polum divertissimis gentibus perspicuam reddnnt: a cujus tam longo neglectu, et confusione vere *babylonica*, magna inter laborantes exorta est discordia, et vocum magna obscuritas.

Nos quidem in ordinandis morborum familiis dispositionem, quæ minus imperfecta, nobis saltem, vide-

tur, arripimus; primumque in hac ipsa locum *febribus*, quæ essentiales, nec symptomaticæ sunt, concedimus; quem vero cum cæteris ordinem insequamur; ex absoluti quondam operis elencho comparebit.

DE
CURANDIS FEBRIBUS

LIBER I.

CLASSIS PRIMA.

FEBRES.

GENERALIA DE FEBRIBUS.

§. 1. *FEBRIS*, magnæ familiæ morborum nomen est. Doctrina, quæ illam considerat, cognitam a causis suis repetere, distinguere, dijudicare, curare, prævertere docet, *Pyretologia* vocatur. Pyretologia.

§. 2. Ætati, sexui, temperamento nulli febris parcit: intensius fortes, imbelles segnius adgreditur: nunc simplex, nunc alterius morbi nuntius, comes, finis. Natura.

§. 3. Nec tamen ideo, quid sit febris, definiri; nec ejus character evidens, specificus, necessarius indicari potest. Satellites febris omnes, tyranni præsentiam præsentes docent; absentes multi, non excludunt. Febris certorum potius morborum *umbra*, quam ipse morbus est. Naturæ instrumentum dicere, quo a puris impura secernantur; -- affectionem vitæ, mortem avertere conantis, vocare, *effectum* magis, quam rem ipsam indicat; quamvis lateat tam in animali, quam in vegetabili corpore ignotum principium, quod resectas partes restituat, fractas, separatas uniat, noxia abluat, involvat, separet, expellat. Hoc principium, in fibra irritabili, nervorumque pulpa sensibili domicilium figens, in febribus multis, quam in chronicis affectionibus, efficacius, stimulis erigitur, Definitio.

excitatur, in ipsam adeo perniciem interdum accenditur; a putrido, mephiti, veneno, miasmate, contagio, mœrore, timore, fortissimo quovis animi pathemate deprimente, alimenti necessarii defectu, afficitur, deprimitur, suffocatur. An febris *affectio irritatæ per inconsuetum stimulum, reagentisque naturæ cum læsa abhinc functione aliqua*, dici meretur? Sed satius est rerum differentias intelligere, quam de nominibus contendere. In multis certe febribus, superato fere per morbi causam vitali principio, hæc naturæ reactio tentamen magis ad reactionem, quam reactio dici potest.

Symptomata. §. 4. Symptomata febrium, easdem vel præcedunt, et futuras indicant (Prodroma); vel conjuncta, ipsam febrim constituunt (Constitutiva). Prima interdum desunt; alia simul sumpta, febrem efficiunt; separata vero, auctoritatem sæpe perdunt, aut saltem absentem febrim absentia sua non evincunt.

Prodroma. §. 5. Signa prodroma (§. 4.) febribus accidentalia, sunt: animi morositas, tædium, torpor, oblivio rerum, irritabilitas, sensuum obnubilatio, mutatio, anxietas; artuum, corporis gravitas plumbea, dolor obtusus, ingrata sensantio, segnities, cita defatigatio, pandiculatio, oscitatio, aversatio cibi, oris mucositas, siccitas, sitis, præcordiorum molestia, ructus, nausea, vomituritio, cutis ariditas, contractio, levis horror ex spina dorsi oriens, scapulas ascendens, descendens lumbos, pectum transversim perstringens, cum calore vago, intercurrente; ulcerum exsiccatio, livor; faciei pallor, rubor insolitus, mutatio magna; capitis gravitas, obtusus dolor, oculorum splendor imminutus, auctus; somnus terrificus, interruptus, inquietus, nullus; sopor continuus, non re-

ficiens; excretiones naturales, adsuetæ, deficientes, auctæ, perturbatæ.

§. 6. Symptomata constitutiva sunt. Lassitudo.

a) Signorum præcurrentium (§. 5.) continuatio, augmentum. *Lassitudo* inprimis major, et anxius ægritudinis sensus; vires quidem interdum auctæ, sub deliriis, furore; interim tremor et actionis incostantia, robur taurinum cum incertitudine motuum, et manifesta functionum læsione, observantur.

b) *Algor*, *horror*, *rigor*, sub quibus cutis pallescit, contrahitur, arida, anserina fit, rigescit; ungues albescunt, livent; tactus imminuitur, ammittitur, depravatur; memoria labescit; musculi tremunt, conquassantur; vasa ad superficiem collabuntur, disparent; pori clauduntur; respiratio inæqualis, tussiculosa, difficilis, anxia redditur; ventriculus turget, opprimitur; vexatur, nauseat, vomiturit, flatus, contenta eructat. Oris cavum, lingua, siccescunt, cum sapore aut nullo, aut mucoso, amaro; siti, potum copiosum, stomacho gravem, infestum, exigente. Urina copiosa, cruda, aquosa. Pulsus contracti, exiles, frequentes, vel etiam naturalibus lentiores, valdeque inæquales. Sed nunc frigus *verum*, a thermometro confirmatum; nunc *ad sensum* ægroti, cum calore corporis naturali, vel etiam majori. Nunc corpus omne, nunc pars hæc, vel illa friget. Continuatio frigoris et ordo, variabiles: nunc calorem sæpissime præcedit, intercurrit, subinde sequitur; nunc excludit, nunc sæpe deest, atque a calore excluditur ipsum; aut denique solum, per oras bene multas, scenam ludit, claudit, vitalem calorem adimit, extinguit. Frigus.

Ex his apparet, *frigus* necessarium febris symptoma non esse; caloris rationem æquam in se non con-

Causa. tinere; neque aliam, quam in ipso nervorum systemate, ignotam licet, petere originem.

Effectus frig. Effectus frigoris febrilis maxime conspicui, sunt: circuli humorum inæqualitas, languor, interceptio; capitis, pulmonum, cordis, vasorum majorum oppletio; solidorum robur infractum, sistematis lymphatici debilitas, desidia, fluidorum compages mutata, disjuncta, extravasatio, stagnatio in cavis corporis, cellulosa tela; obstructio glandularum, viscerum, canalium excernentium; nervorum affectio multiplex. Sub medio febris decursu, præsentis inflammationis suppurationem, gangrænam, mortem, interdum indicat.

Calor. c) *Calor* frigus insequens, præcedens, intercurrens, vel et sine hoc prorumpens, saltem ab eodem non pendens, aut directus, nunc *verus*, nunc *sensu* ægroti solo percipiendus, universalis, partialis, internus, externus, *interdum nullus*, vix unquam 16 gradibus (*Fahrenheit*) naturalem superans, primum mitis, intersectus, mox auctus, siccus, deinde humidus, sæpe mordax, digitosque urens.

Inter hæc *pulsus* redduntur frequentiores, æqualiores, liberiores; interdum vero a naturalibus vix differunt, cum vibratione ad certas corporis partes, collum, tempora, loca inflammata, evidentiori, fortiori. Caput calet, dolet; memoria redit, sensusque interni acuuntur, sæpius turbantur. Genæ rubore intenso, oculi splendore nitent, fulgent; sitis augetur, vel et cum frigore imminuitur; respiratio velox, sed, nisi pectus locali malo obruatur, expedita; urinæ flammeæ, subrubræ, brunæ, crassæ, mox turbidæ, jumentosæ; nausea, vomituritio continuat, augetur, vel sæpe cum frigore cessat.

Causa. Causa caloris tum *sani*, tum *morbosi*, parum intellecta; effectus miri, explicatu difficiles, sæpe con-

trarii. Ipse quidam *calor verus*, *morbosus*, ex augmento causarum, quæ calorem *sanum* producunt, vel ex respiratione aucta, ex reactione cordis, arteriarum, virium nervosarum, sub stadio frigoris, spasmi febrilis, oppressarum, resurgente pendet: nunc *simplex*, et purus, nunc igne *composito*, inquinato deflagrans. Calor *ad sensum*, nervosum systema a causis accidentalibus affectum testatur, et ab acri contagioso, gastrico, exanthematico, specifico, purulento alio exoritur.

Effectus caloris animalis *sani*, vitalis, est fluiditas, circulatio, perfectio, secretio humorum, vasorum libertas, mobilitas; irritabilitatis, sensibilitatis cuivis parti propriæ conservatio. Effectus cal.

Effectus caloris *morbosi*, *simplicis*, seu puri, consistit in viscidæ, tenacis materiæ solutione, ad subeundum circulum dispositione, immutatione; vel ad futuras excretiones, suppurationes, metastases, crises, præparatione, maturatione: hinc febrium multarum, intermittentium, acutarum, in solvendis obstructionibus benignis, morbis chronicis, virtus; tumoris immaturi, saxei, in mollem et fluctuantem abscessum, et materiæ ad futuras depositiones, judicationes, elaboratio, *coctio* Veterum. Calor diversus, mitior, intensus, brevis, longior, ad subigendas, præparandas, maturandas, excernendas morbi materias requiritur: exemplo abscessuum, ulcerum, variolarum, morbillorum, dato tempore, calore incubandorum. Calor nimius coagulandæ quidem lymphæ impar, secretiones tamen immutat, turbat, creat novas, auget naturales, aut supprimit; fluidorum miscellam alterat, sejungit, inquinat, fluidiora canalibus expellit, expulsa, stagnantia, corruptioni propriæ, celeriori, exponit; circulantia vero ob vim vitæ resistentem non putrefacit quidem, sed

ad putrefactionem disponit ; acredinem evolvit , exaltat ; sensibilitatem , irritabilitatem auget , immutat ; obtundit , extinguit ; lympham , fluidiore parte spoliatam , ad coagula , sub data quiete , proniorem reddit , et infarctus , obstructiones sollicitat ; nimiæ vasorum extensioni , distractioni , rupturæ ipsi , et hæmorrhagiis favet . Si , præter causas calorem augentes , stimulus alienus accedat , vel in corpore latens evolvatur , aut generetur : tunc multiplex , infidus sæpe , et obscurior caloris effectus , cum partium , totius pernicie .

Calor *ad sensum* , internus , externus , partialis , urens , mordax , effectus causis suis proprios producit , eo majores , quo minor vis cordis , nervorum , his subigendis , immutandis , expellendis invigilat . Hinc *coctio* in febribus contagiosis , nervosis , lentis , in subjectis cachecticis , aut nulla , aut tarda , aut mala ; abscessus sordidi , metastases frequentes , insecuræ , inutiles , gangrænæ , paralyses , infarctus viscerum , hydrops , atrophia , tabes .

Pulsus feb. *d) Pulsus* naturali *frequentior* , tam sub frigore (*b*) , quam inprimis sub ipso febrili calore (*c*) . Interdum *celeritate* magis , quam frequentia aucta arteriæ micant ; sed non raro in ipsis adeo acutis , nervosis , contagiosis febribus , sub ipsa phrenesi , peripneumonia , pulsus pacati , naturalibus non frequentiores , sed longe etiam lentiores . In febre *larvata* , vel et *perniciosa intermittente* , sæpe nullum in pulsu febris indicium : ut arteriæ , fallacissimo signo , minime sit fidendum .

Reliqua febrium symptomata pedissequa , sitis , anxietas , delirium , pervigilium , sopor , convulsio , dolor , alvi obstructio , laxitas , hæmorrhagia , sudor , exanthemata , partim vix memorata , partim sub specierum pertractatione consideranda , minus prædictis

essentialia sunt, eorumque natura, causæ, effectus, in *pathologicis* opportunius explicantur.

§. 7. Causæ remotæ, quæ ad febres disponunt, occasionem porrigunt, multiplices, sæpe sat manifestæ. Febrium origo, et ratio *proxima* profundius, quam ut oculo mortali distingui valeat, delitescunt. Non enim vel aucta in capillaribus vasculis resistentia, et lentor humorum; -- non sensorii communis irritatio; -- non energiæ ejusdem debilitas, vel alia luxuriantis ingenii deliramenta, nodum hic solvunt; neque miasma, neque contagium generum febrilium rationem in se continent, aut reliquas causas excludunt. Causæ.

Materiæ febrilis ideo non major habetur cognitio: neque enim in febribus aut fluida semper accusanda sunt; aut, sicut saxa torrentes, ita peccantem secum materia volvunt; neque morbum magis fecit, quam a morbo factum est, quod sub *crisi* per diversa rejicitur colatoria; vel saltem non tam nudum intuentium illud subjicitur pupillæ.

§. 8. Causæ febrium cognitæ (§. 7.) sunt: 1. *externæ*, corpori admotæ, ingestæ; 2. *internæ*, in eodem evolutæ, generatæ; 3. ex utrisque *compositæ*. Continuatio.

Ad primas spectant ambientis atmosphæræ frigus, calor, siccitas, humiditas nimia, inquinatio mephitica, contagia specifica ex ægrotantibus aliis, tum propriæ, tum, quod rarius contingit, alterius speciei, scaturientia, atque per insontem quidem, sed evolvendo, diffundendo veneno sub certis, et incognitis circumstantiis faventem magis aerem, ad limitatas distantias eliquata; -- nunc per cutis esternæ, internæ spiracula, nunc vulnere, nunc utraque via, invasione aut unica, aut repetita, dispositis ti-

more, mœstitia, inedia, debilitate, aut modo demum incognito, subjectis communicabilia. Læsiones variæ: contusio, concussio, luxatio, fractura, erosio, laceratio, vulnus, adustio, distentio, compressio, oppletio, extravasatio, abortus, partus difficilis, artificialis, placentæ immatura extractio, ejusdem, vel sanguinis congrumati diuturna in utero detentio, prolapsus ejusdem, vel intestini, hernia, etc.; acria, venena, exterius admota, insecta per aures, nares, anum ingressa, ulcera exsiccata, exanthemata, efflorescentiæ cutaneæ repercussæ, depositio materiæ purulentæ, irritantis; *ingesta*, uti cibus, potus, copia, qualitate peccantes, drastica, venena; exercitatio corporis violenta, protracta, balnea, ictus solis, etc.

Ipsa vero et fluida, et solida corporis, ad totius destructionem materias largiuntur; neque certius unquam venenum Chymici elaborarunt, quam ipsi nos nobis fabricamus. Mephitim spirant pulmones, vaporem cutis non intellecta satis natura infestum; -- renex lixivium, amurcam jecur, in corruptionem promptissima, calculorum materia ex ossium penu pro parte absorpta, prægna destillant. Serum sanguinis, saliva, lacrymæ, gastricus liquor, lympha, mucus, seminalis humor, synovia, medulla ossium, adeps, a solidorum, quibus præparantur, continentur, reactione quam maxime quidem pendent; singula tamen vel sibi commissa, vel certis rerum circumstantiis exposita, propriis mutationibus subjiciuntur: licet has ipsas quotidiana observatione confirmatas aut definire, aut ad certas acrimoniæ species revocare nequaquam liceat. Sed ipsa, quæ secernendis liquidis præsunt, organa, stimulo quovis, specifico, purulento, contagioso, lacessita, officia mutant: humorem a pristino alienum, stimulantem, insidio-

sum separant. Prima morborum contagiosorum semina ab ægrotante animali sponte evoluta, non minus certam, distinctamve progeniem, quam animalia, plantæ, quæ a creatione originem ducunt suam, habitura. Sed sola jam irritatio, inflammatio, secernentium vasorum actionem immutat, atque lympham, quod calor major, ac animalis est, quod acida fortiora, quod alcohol, aerisque contactus potuissent sola, ad ipsos canalium limites, laterales tractus, in spissam, atque purulentam materiam coagulat, sub ulteriori *morbosæ secretionis* incremento in fœtidissimum, acerrimumque ichorem convertit. Nec minora puris, ichorosæ, sphacelosæ materiæ, seri, lymphæ extravasatæ, mora corruptæ, resorptio damna infert.

In ipso igitur vivente animali tum *spontanea* diversorum liquidorum a naturali blanditie contingit aberratio: qua, rejecto interdum gustus, olfactus, ipsiusque Chemiæ judicio, acrem, atque simulantem naturam induunt; *tum secretionis morbosæ* influxu ad incognitas sensibilitatis auctæ, imminutæ, permutatæ leges evolvuntur, nascuntur diversa febrium incitamenta.

Quæcumque præterea excernendorum vel qualitate, vel copia peccantium, aut certa naturæ, habitudinis lege expellendorum, e corpore eliminationem, aut debitam humorum renovationem, distributionem retardant, impediunt; aut fluidorum in solida, solidorum in fluida actionem invertunt, æquilibrium vel in parte, vel in toto infrangunt, quo inprimis violenta animi pathemata, incitantia, deprimentia, vigiliæ, studia protracta, alimentorum mala in primis, secundis viis elaboratio, succique nutritii, nobilioris, jactura, etc. spectant; illa morborum quidem plurimorum, sed imprimis febrium acutarum, lentarumque causas multiplices offerunt.

Divisio. §. 9. In tanta causarum infinitate, oporteret et febrium infinitum esse numerum, si vel ex illis solis, vel ex peculiari aliquo, seu manifestiori symptomate, harum species vellent multiplicari. Sed aliter naturæ simplicitas, et fata systematum jubent. Non vana est interim *analogiæ*, quæ inter diversos primo aspectu morbos detegitur, auctoritas: cum sic eadem medendi methodus *larvato*, sed ad cognitæ febris genus reducto hosti feliciter opponatur. Est etiam causarum, licet diversarum, non parva inter se ipsas affinitas: qua, constanti actionis similitudine, in eosdem conspirant effectus, iisdemque curis avertuntur. Hinc saltem de plausibili dividendarum febrium ordine non porsus est desperandum: et quo *simplicior*, eo naturali vicinior ille habendus.

Qui, *primo*, morborum violentiam, et periculi continuationem pro divisionis regula assumpsere, illi febres diviserunt in *lentas* (hecticas, phthisicas, cachecticas), et in *acutas* (simplices, peracutas, acutissimas).

Qui, *secundo*, societatem morborum cum similibus, vel locum, quem sibi eligunt, considerant, in *epidemicas*, *sporadicas*, *endemicas*, *stationarias*, et *intercurrentes* disponunt.

Qui, *tertio*, tempora in morborum ingressu potius respiciunt, *vernales*, *æstivales*, *autumnales*, *hyemales* constituunt.

Qui, *quarto*, ad periodorum, & apyrexiæ ordinem intendunt, in febres *intermittentes*, *remittentes*, *continuas*, *continentes* ordinant.

Qui, *quinto*, ad præcipua symptomata oculum convertunt, illi tot species febrium, quot manifestiora illas phænomena comitantur, sibi creant.

Qui, *sexto*, ad insueta, vel ordinaria tum symptomata, tum pericula febribus conjuncta mentem fi-

gunt, in *benignas*, depuratorias, & *malignas* secernunt.

Qui demum, *septimo*, causas febrium ipsas majoris momenti faciunt, illi febres in *primarias*, aut *essentiales*, & in *secundarias*, vel *symptomaticas* bipartiunt.

Primam ex his divisionibus incertos febrem lentam inter & acutam limites agnoscere, nonnisi sub febris finem decursus celeritatem parere, nec ad morbi cognitionem aliquid contribuere, docet observatio.

Secunda febrium partitio, ob *dominantis* stationarii morbi in cæteros (intercurrentes) influxum, & auctoritatem, magnæ in artis exercitio utilitatis; ad ipsas tamen febris naturam, & differentias eruendas non sufficit.

Eadem de *tertia* divisiones dicenda sunt: qua quidem constitutio anni, ab æquinoctiis fere incipiens, maxime consideratur; nec tamen sat firma, & constans febrium classificatio obtinetur.

Quarta, antiquissima febrium distributio, facilitate, & utilitate se commendat; nec tamen ideo vel præcisa satis est, vel sola sufficit, vel febrium ordines diversos, periodis, apyrexia, vel remissionibus sæpe inter se confusos, satis distinguit. Interdum ex *intermittentium* familia est, quæ nequaquam intermittit febris; & interdum, quæ intermittere videtur, ad *lentas* tamen, quas pro *continuis* habent, revocanda. Nec tam *continens* ulla febris est, si vel unicam *Ephemeram* aut simplicem, aut protractam excipiam, ut a *continua* febre cum aliquo fundamento distingui valeat.

Quinta divisio, in quam Veteres præcipue confidebant, symptomata magis, quam febrem ipsam, pro objecto, quod certe illud curationis esse ne-

quit, sibi assumit: vix in alium usum, quam ad febrium *perniciosarum* varietates designandas, nunc amplius adhibenda.

Malignitas febrium.

Quæ vero *sexta* febrium adducta est in *benignas*, atque *malignas* divisio; illa, donec de *malignitatis* ambigua significatione experti convenerint, vel gratuita, vel in ipso artis exercitio periculi plena est. Neque enim febris, in qua symptomata insolita, difficiliora, ac copiosiora occurrunt, vel quæ a consuetis remediis auxilium non sumit, aut quæ sub spe levitatis periculum maximum tacita alit, aut quæ cum insolita virium vitalium debilitate incedit, *maligna* mox erit appellanda: nam symptomatum novitas, fallensque levitatis sub specie periculum morbi, Medentis potius inscitiam, vel artis imperfectionem, quam ægritudinis *malignitatem* involvunt; nec, quod experto alias viro novum, — expertiori insolitum non est, *malignum*, *benignumque* simul esse potest. A solo emetico, vel dempto sanguine, non raro summa virium vitalium prostratio, fumi adinstar, dissipatur.

Ast vero, dum vanas agyrtarum ostentationes, inventaque ad terrendos mortalium animos morbosarum affectionum prosequimur nomina, an *malignitatem* ideo in morbis nullam esse, illamque pro ignorantiæ, aut timiditatis partu declarare audebimus? utinam in chartis hanc negando, a lectulis febricitantium proscribere liceret! Non existit certe, quæ *specifica*, quæ *sui generis* dici possit, *maligna* febris; & si eo tantum fine *malignos* dicendos esse morbos contendant: ut, absque ulteriori causarum cognitione, solis pugnandum esse *alexipharmacis* credant: *malignitatem* potius omnem recusaverim, illosque raros quidem, insolitos, fallaces, periculosos, non vero *malignos*, appellaverim. Nec illi ipsi, qui *mali-*

gnitatis nomen proscribunt, aliud eidem, quod majorem auctoritatem mereatur, *febris pestilentialis*, *nosocomialis*, *castrensis*, *navalis*, *carceralis*, *putridæ*, *nervosæ*, vocabulum substituunt.

Non iniquam de febris *malignitate* ideam trademus, si eam febrem dicamus, in qua nervosum imprimis systema a causis minus manifestis ita afficitur, ut summa, mox a morbi initio, & constans virium vitalium, animalium, prostratio, nec a plethora, nec a saburra abdominali, sed a subtiliore principio, sæpius contagioso, proficiscens observetur; quin pericula vel tempori morbi, vel causis cognitis vel signis aliis, in communibus morbis gravitatem indicantibus, aperte correspondeant. Non igitur prorsus inepta est febrium in *malignas*, & in eas, quæ malignæ non sunt, distributio: dummodo ex hac ipsa, methodum omni malignitati, quæ *una* non est, accommodandam eruere non contendamus.

Quid de *septima* febrium divisione sentiendum sit, jam dictum est. Certe causarum consideratio, & earundem ad leges affinitatis prudens ordinatio, si cum rationibus ex periodorum & apyrexiæ natura petendis combinentur; dividendarum febrium non spernendum suggerunt fundamentum. Quare sequentem febrium ordinationem, non quidem ut perfectam, quæ in desideriis est, sed ut naturali viciniorem proponimus.

CL. I.

FEBRIS.

Affectio irritatæ per inconsuetum stimulum, reagentisque naturæ, cum læsa abhinc functione aliqua. §. 3.

ORDO I.

Febris *periodica*, *intermittens legitima*, ex pluribus, dato fere tempore recurrentibus paroxysmis, & intervallis vel mox, vel tardius liberioribus composita. §. 22.

GENUS I.

Febris periodica, intermittens legitima *nervosa*, ex specifica nervorum affectione oriens. §. 29.

Spec. I. F. P. I. L. *nervosa simplex*, & *benigna*, sat diu sine vitæ periculo, & symptomatibus non insidiosis incedens. §. 29.

— II. F. P. I. L. *nervosa perniciosa*, symptomatibus suis aut aperte, aut insidiose vitæ minitans. §§. 31. 35.

— III. F. P. I. L. *nervosa larvata*, sub alterius specie morbi, sine consueto febris symptomate decurrens. §§. 32. 36.

GENUS II.

Febris periodica, intermittens legitima *gastrica*, a saburris imi ventris ortum sumens. §. 50.

Spec. I. F. P. I. L. *gastrica simplex*, ex sola abdominis per saburram periodica irritatione pendens. §§. 50. 52. 55.

— II. F. P. I. L. *gastrica complicata*, præter saburras, aliam irritationem agnoscens; nunc nervosa simul, nunc inflammatoria. §§. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57.

GENUS III.

Febris periodica, intermittens legitima *inflammatoria*, cum aucta cordis, arteriarumque irritabilitate, & actione ingrediens. §. 66.

Spec. I. F. P. I. L. *inflammatoria simplex*, a sola cordis, arteriarumque periodica irritabilitate, & actione pendens, nunc generali, nunc locali affectu excrucians. §§. 66. 67.

— II. F.P. I. L. *inflammatoria complicata*, nunc nervosam, nunc gastricam indolem observans. §§. 54. 68.

ORDO II.

Febris *continua*, ægrotantem a principio morbi, ad finem usque, manifeste satis circundans. §. 72.

GENUS I.

Febris *continua nervosa*, a sola nervorum sensibilitate mutata incedens, cum causis manifestis non cohærens, symptomatibus absque ordine decurrentibus, insidiosis. §§. 80. 82.

Spec. I. F. C. N. *acuta simplex*, celeri passu periculosa. §§. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 88.

— II. F. C. N. *lenta*, febricula in longum tempus insidias struens. §. 91.

— III. F. C. N. *acuta*, vel *lenta*, nunc saburris, nunc inflammatorio apparatu, nunc exanthematibus etc., *complicata*. §§. 89. 90. 91.

GENUS II.

Febris *continua gastrica*, ex infestis in tubo alimentari materiis originem trahens. §§. 98. 99.

Spec. I. F. C. G. *simplex*, ex ingestis quantitate, qualitate peccantibus, aut ex corruptis in tubo alimentari, aut ex depositis in hunc ipsum stimulantibus materiis dependens. §§. 100. 101. 102. 106.

—II. F. C. G. *complicata*, cum nervosa, vel inflammatoria affectione, aut cum exanthematibus etc., incedens. §§. 103. 104. 105.

GENUS III.

Febris *continua inflammatoria*, ex aucta cordis, arteriarumque irritabilitate, et actione oriunda. §§. 114. 115.

Spec. I. F. C. I. *simplex*, sine locali partis inflammatione, ac sine nervosæ, aut gastricæ symptomate invadens. §§. 114. 115. 116.

— II. F. C. I. *complicata*, quæ ex inflammatoria febre aut cum locali affectione, aut cum nervosæ, vel gastricæ causis incedente, conflatur. §§. 115. 116. 117.

Febris effect.

§. 10. Varios febris in corpus humanum effectus exerit, tum *bonos* (§. 6. *c.*): ut, expulso acri, vel tenaci fomite, convulsiones, paralyses, cachexias, maniam etc., dissipaverit, magnumque medicæ, ac chirurgicæ artis in recto febris usu positum sit arcanum; tum sæpe nimis *malos*, in acutis non minus affectibus, quos incipientes febris persequitur, lethales claudit; quam in chronicis morbis, quos socia febris in acutos, mortemque præcipitat.

Crisis.

§. 11. *Boni* febris effectus (§. 10.) obtinentur iritantis (crudæ) materiæ correctione, assimilatione; aut præparatæ (coctæ) separatione, expulsione. Ad utrumque opus natura viribus suis (§. 3.) breviore, longiore temporis spatio utitur: quo, vel cessante tandem stimulo, tumultus excitati sedantur; vel per hos ipsos *morbi materia* partitis nunc vicibus (lysis), nunc unico impetu (crisis) per colatorium opportunum, cutim, renes, alvum, vasa (crisis simplex), vel sæpius per plures vias simul (crisis composita), expellitur omnis (crisis perfecta).

Variæ spec.

§. 12. Interdum *crisi imperfecta* materia præparata (§. 11.) in aliam partem deponitur: quæ, si ad nobiliora loca, ad viscera, organa corporis ruat, *mala*; — si minus necessaria petat, *bona metastasis* vocatur: alterum nunc morbum, acutum, chronicum; — vel si relictis novis sedibus, resorpta, intus iterum recipiatur, *recidivam*, priori morbo sæpe pejorem, productura.

Dies critici.

§. 13. Hæc vero (§§. 11. 12.) vergente sub finem morbo accidunt, dierumque numero *indicari* (dies indices, indicatorii); et certis demum absolvi, *judicari* (dies judicatorii, critici), dicuntur. Magna hinc diebus criticis, tum *primi*, tum *secundi ordinis*, auctoritas fuit concessa: quorum ultimi, sæpe imperfectius judicantes, primis, seu diebus *decretoriis*, pro *indicatoriis* inservire, et, præmissa crisibus *perturbatione*, diebus nunc *paribus*, nunc *imparibus*, pro circuituum rationibus, morbos judicare asserebantur.

Earum incert.

§. 14. Nec tamen ratio febrium tam materialis semper, aut in ipsis *fluidis* continuo quærenda est: ut *crudæ* materiæ *coctio* ubique exspectari, vel, quæ sub morbi fine ejiciuntur, pro ejusdem mox causa haberi queant (§. 7.). Hinc aucta sub febris declinatione excretio, sæpe spasmi cessantis potius signum, quam auxilium, fluctuansque Veterum de *crisi* judicium esse ostendit. Morborum initia sæpe nimis incerta; eorumdem exitus aut evidenti crisi frequenter destituti, aut in dies nunc hos, nunc illos, sine magno rerum discrimine, cadunt; magna theoriæ de *diebus criticis* apud ipsos ejusdem fundatores, pro seculi doctrina numerorum scientiæ indulgentes, contradictio; major hac ipsa, rei, nec menstruæ periodi exemplo illustrandæ, nec febrium, *intermitten-*

tium paroxysmis in *continua* imitatis, et hanc ipsam constituere creditis, explicanda obscuritas. Certum quidem in febribus ordinem, quo incipiant, increscant, persistant, declinent, in similibus morbis vix non æqualem, observamus: ut febres acutæ vel prima, vel secunda, vel tertia terminentur hebdomada; sed quovis morbi declinantis die febrium crises accidere, atque has in diem vel priorem, vel posteriorem, quin pejora ægrotantibus immineant, cadere posse, observatio docuit. Nec vivendi modus, nec medendi ratio apud Veteres distincta, antiquam hypothesin erroris absolvunt, quin, vel auxilio ad solos dies non judicantes (medicinales) reducto, ad dies vero indices, decretorios, excluso, tempus terendo, *turgescentiam*, coctionem materiæ, aut sæpe non futuram, aut non necessariam, aut melioribus auguriis expectando, innumeris ægrotantibus exitio esse debuerit. In multis certe febribus *expectans methodus* optima, & naturæ *minister* est Medicus, non *imperator*; sed in aliis bene multis res aliter constituta, & præceps occasio est, quæ oscitando, morbisque blandiendo, irreparabili errore amittitur.

Conclusio. §. 15. Ex his (§§. 11. 12. 13. 14.) apparet, febribus acutis proprium fere tempus esse, quo vel in salutem, vel in alium morbum, vel in mortem terminentur. Hoc ipsum tempus in quavis febre sedulo observandum, et, ne medicatricis naturæ molimina elidantur, nunquam non respiciendum; — sed nullum morbi diem, quo magis, quam alio, solvi morbum oporteat, vel quo, ne satisfaciamus indicationi præsenti, prohibeamur, a natura esse constitutum credimus.

Signa criseos. §. 16. Quare interest crisis futuræ signa, et per

quæ tandem colatoria expectanda sit, non ignorare. Sunt autem hæc in morbis *inflammatoriis*, quam aliis longe evidentiora, atque tempore certiore circumscripta: nec enim *crisis* dicenda est, quæ *intermittentium* paroxysmos claudit, non febrem solvit, excretio; nec in *continuis* tam sæpe *cum impetu* tentatur solutio, sed illarum pars magna per *lysin*, tum urinis, et sudoribus simul, tum per alvum, dissipatur. Hæmorrhagiæ per nares, uterum, anum, *symptomaticæ* sæpius, et sub ipso morbi incremento potius, quam sub fine, ut *crises*, contingunt; per salivationem, et per vomitum, hæ ipsæ rarissime fiunt; nisi latiore termino, quæ sub initiis, et per totum morbi decursum contingunt, ad *crises* revocare contendas. Hinc raræ sunt *perturbationes*, quæ magnas, et evidentes morborum crises præcedant, nec aliæ, quam quæ ab ultimæ, et fortioris *exacerbationis* ingressu facile sunt explicandæ: horror scilicet levis, sæpius nullus; calor increscens, vertigo, caligines, deliria, anxietas, pulsuum inæqualitas, sopores, et interdum lipothymiæ: quæ symptomata tandem sudor conspicuus, et fœtens, urina turbida, cum sedimento mox fundum petente, copioso, lateritio, alibi expectoratio copiosa, insequuntur; et per integram morbi solutionem (crisis perfecta), vel evidentiorem remissionem, intermissionem febris, repetitis demum, sed levioribus similis naturæ accessionibus (per lysin), terminanda.

Infida, arbitraria, et æquivoca est multorum de *pulsibus criticis* doctrina. *Sudorem* interim prædicunt cutis mollis, vapore humescens, pruriens, cum pulsu undoso, magno, nec tamen forti; alvus, urina parca. Oportet vero et copiosum prorumpere, et universalem, et calidum, et particulari odore distinctum esse illum. *Urina*, qua sola vix febris ju-

dicatur, prævidetur *critica* sub alvo clausa, sudore minus evidenti, urethrae sub mingendo ardore, & deponendi lotii frequenti stimulo. Sedimentum est album, æquale, leve, et per sat multos dies constans. *Diarrhœam criticam* expectamus in febribus gastricis, si motus in abdomine, borborygmi, dolores intestinorum moderati, intercurrentes, ructuum, flatuumque secessio, interdum pulsus sat fortes, sed tam vi, quam tempore inæquales, aut et intermittentes, sub fine febris observentur. Atque si talia, quæ purgari oportet, cum levamine purgentur, bonum est. Cæterarum crisium signa sunt maxime ambigua.

Prognosis. §. 17. In acutarum principio tum parvis signis minor fides habenda, tum de majoribus non mox desperandum est. Cachectici, alio morbo detenti, exhausti, ætas tenerior, senilis, gravidæ, puerperæ, sensibilissimi homines, majora in febribus pericula subeunt. Faciei magna a naturali, sine magnis evacuationibus, labore, prægressis, mutatio, collapsus, pejora significat. Quo major in progressu observatur functionum *vitalium* læsio, anxietas, inquietudo, jactatio, perturbatio sensuum, debilitas, symptomatum inconstantia, contradictio: eo majus funesti exitus periculum est. Hinc deliria perpetua, dolores, sopores continui, oculorum rubores, lacrymæ, perversio, linguæ siccitas, nigredo magna, aut tremor, respiratio difficilis, anhelosa, brevis, inæqualis, stertens, frigida, præcordiorum durities, inæqualitas, tumor, aut retractio, meteorismus, vomitus æruginosi, herbacei, nigri, singulorum rejectio, frigus artuum, sudores viscidi, frigidi, alvi, urinæ diuturna retentio, involuntaria excretio, tendinum subsultus, spasmus, convulsio, singultus,

maculæ lividæ, gangrænosæ, lipothymiæ, hæmorrhagiæ impetuosæ; et singula, nisi talia quædam assuetis, et quo plura ex his signis simul incedunt, de majore, aut summo vitæ discrimine testantur.

§. 18. Cura febrium inchoanda est cum attenta causarum, quæ illas produxerunt (§. 7.), perscrutatione. Ad has cognoscendas, sexus, ætatis, temperamenti, vitæ generis, consuetudinis, dispositionis connatæ, hæreditariæ, acquisitæ, inprimis vero constitutionis annuæ, et exitus morbi in alios, maxima ratio habenda est. Quæ vero ad febrem causæ occasionem dederunt, illæ vel abigendæ, vel saltem moderandæ sunt: quo, non perspiciendæ causæ proximæ, pro viribus saltem, detrahatur. Secundo vero, cum natura, in stimulantem causam reagendo, febris in febre ipsa remedium indicat, nisi aut specifico illam medicamento extinguere, aut saltem alio involvere, diluere, aut quantocyus e corpore per emetica, purgantia, sudore, expellere, aut subtiliores forte in origine solidorum turbas supprimere, liceat: hinc in recto febris moderamine, quod ex prudenti virium vitalium, et potestatis morbosæ æstimatione eruendum est, toties cardo rerum vertitur, atque methodus nunc *exspectans*, nunc *activa* indicabitur. Therapeja.

Sed cave, ne *oppressas* modo, *non suppressas* naturæ vires incitamentis egere credas, quas sola opprimentis causæ correctio impune excitat. Reagentis principii vires nimias in propriam perniciem ruentes, præter causæ irritantis moderamen, infringunt alimentorum nutrientium parcitas, potus vegetabilis, saponaceo, acido commixti copia, aer moderate frigidus, animi, corporis quies, venæsectio, cucurbitulæ scarificatæ, hirudines, emollientia.

Vires a causa febris suppressas, hac ipsa remediis opportunis impugnata, erigunt alimentorum nutrientium, facile dirigendorum, ipsius adeo tenera carnis, vini generosi cautus quidem, sed copiosi satis, usus, sinapismi, vesicantia, camphora, acida dulcificata, sales volatiles, antimonialia refractis dosibus porrecta, cortex chinæ, cinnamomi, roborantia alia, grato simul stimulo irritabilitatem, sensibilitatem incitantia.

Si vero languor virium cum irregulari motuum, & majore sentientis principii mutatione conjuncta incedat; non prætervisa talium causa, vino, roborantibus, excitantibus prædictis, valerianæ, serpentariæ, virginianæ radix, moschus, naphthæ, opium ipsum, combinanda sunt.

Dum sat æquo febris marte dimicat, tunc negativa medendi methodus, & servata pro felici tandem morbi solutione colatoriorum libertas, sufficiunt.

Symptomatum moderamen.

§. 19. Symptomata, febrilis causæ effectus adeo interdum increscunt, ut ab illis ipsis primarius morbus vel augeatur, vel novus tandem generetur. In recto igitur præcipuorum symptomatum moderamine magna pars curæ ponenda est; atque hoc ipsum denuo causarum symptomatibus subjacentium examen, atque consilia his ipsis opponenda requirit; hac tamen adhibita cautione, ne phænomeni alicujus majori, quam ipsius morbi, habita solicitudine, principalis objecti cura negligatur.

Cura sub crisi.

§. 20. Febrilis materiæ, quæ nec rejici, nec in propriam converti naturam potest, præparatio, & salutaris per crisin, metastasin separatio, per indicatas a natura subjecti, morbi ipsius, constitutionis genio vias, promoveantur.

§. 21. *Reconvalescentiæ* non minor, quam superatæ febris, habenda est ratio. Hoc vero in opere dirigendo, secundum regulas alibi tradendas, inprimis autem secundum naturam, causas, morbique exantlati finem, procedendum; nec *reconvalescens* omnis aut tam sollicite, aut tam parce nutriendus, aut alvo purgandus, aut demum roborandus, sed sua cuivis febri, subjecto, ætati *reconvalescentia* est: quæ diætam sibi propriam, & medicamenta interna, externa, aut varia, aut nulla sibi exposcit. Omnibus vero aer rusticanus, amica consortia, et moderata refecti tandem corporis exercitia conducunt. Reconval. cura.

ORDO I. FEBRIUM.

FEBRIS PERIODICA INTERMITTENS LEGITIMA.

§. 22. Febris primaria, ex pluribus, dato fere tempore recurrentibus, paroxysmis, & intervallis vel mox, vel tardius liberioribus composita, *periodica intermittens legitima* dicenda est. Nec enim omnis, qui non prorsus, aut mox in principio intermittit morbus, ad febres *intermittentes* non pertinet. Interim dum *paroxysmos* dicimus, non tantum symptomatum febrilium (§. 6.), sed cujusvis morbosæ affectionis accessionem periodicam intelligimus: qua quidem dispositione, amplissima *periodicarum* familia, in sinu suo tam *febres manifestas*, quam morbos *aspectu non febriles*, ex eadem causa natos, eademque methodo percurandos, comprehendens, iisdem cancellis includitur. Nec tantum differt *intermissio* paroxysmis intermedia, a continuæ febris *remissione*, Definitio.

cùæ *exacerbationibus* interponitur: ut ex illa character specificus prædictæ *periodicarum intermittentium legitimarum* familiæ erui queat; utpote quæ nunquam tam perfecta est, ut saltem debilitas, languor, & febrilis habitus, ciborum appetitus deletus, & sitis ipsa, sub apyrexia non continuent. Neque tam integra *intermittentibus* apyrexia est, ut aliter, quam gradu, differat a *continuarum* remissionibus; neque febres desunt, quæ, vel apyrexia instructæ, ad *intermittentium* tamen familiam haud pertineant (§. 24), et *illegitimæ*, *spuriæ*, *secundariæ*, nobis dicuntur; vel tales, quæ vel nulla intermissione signatæ, huic ipsi tamen affinitate jungantur, atque eamdem sibi curationis methodum exigant: ut igitur interdum a sola constitutione annua, & ab illorum, quæ prosunt, observatione præsentis *periodicæ intermittentis legitimæ* character erui debeat.

Symptomata.

§. 23. Nunc vero signa febris prodroma (§. 5.) *periodicam intermittentem legitimam* annuntiant, nunc derepente hæc invadit, &, nisi morbi non febrilis larva obveletur (§. 22.), symptomatibus constitutivis (§. 6.) in scenam prodit. Si consuetum, ordinem observent symptomata, tunc horrorem sequitur calor, calorem sudor, atque hunc ipsum apyrexia; sed interdum frigus nullum, vel calore posterius; vel calor vix conspicuus, aut partialis duntaxat, persentitur; vel aliud modo symptoma, febribus licet improprium (§. 23.), loco dictorum, *intermittentis periodicæ* typum absolvit. Difficilis illinc, difficilior hic morbi, sub prima invasione, a futura *continua*, inprimis *Ephemera* (§§. 85. 106. 116.), distinctio est; nisi vel regnans morborum character, vel loci natura, vel prægressi morbi historia, vel frigus diutius continuatum, calor brevissimo tempore intense au-

ctus, in genere, stadia febris sese citius excipientia, vel demum apyrexia accessionibus periodicis interposita, cum urina lateritio sedimento instructa, difficultatem tollant.

§. 24. Distinguendi sunt a *periodicis intermittentibus*, licet eumdem fere typum observent, morbi tam febriles, quam alii, qui, singulari nervorum affectione, a resorpto pure, ab acri rheumatico, herpetico, venereo etc., a pertinaci viscerum obstructione, scirrho, carcinomate, vel forsitan ex sola sensibilitate, irritabilitate morbosa in hystericis, prægnantibus, hypochondriacis, vel ex ignoto demum stimulo, *simptomatice* propullulant; et corticis Peruviani virtuti, consuetisque in *periodica intermittente* remediis constanter resistunt: quippe qui, licet periodos observent, aut interdum perfecte intermittant, ex *intermittentium* tamen classe omnino sunt excludendi. Interim causarum ejusmodi cum vera *intermittente* complicatio, diagnosis difficultatem, & diversæ curationis exitus quam maxime constituit. Diversitas.

§. 25. Causa proxima febris *periodicæ intermittentis legitimæ*, non minus, quam illa *continuarum* (§. 7.), ignoratur. Prædisponunt ad illam, febris eadem non ita pridem superata debilitas, tempus vernum, autumnale, humida, calidaque atmosphæra, corpus valdopere irritabile. Occasionem præbent, exhalatio paludum, in quibusdam regionibus contagia, errores in rebus, quas *non naturales* vocant, commissi. Causæ.

Quæcumque vero *intermittentes legitimas* causa produxerit, non *unica* hæc dicenda, licet effectus, quem plures causæ habere queunt, *specificus* esse videatur. Peculiarem nervosi generis morbum *intermittentes* constituere, docet actio purgantium, venæsectionis,

quæ febrim jam cessantem frequentissime revocat; docet pathematum animi ad gignendas, reproducendas *intermittentes* aptitudo; docet corticis Peruviani, ex adstringente, amaroque principio minime derivanda, mira actio, opiique virtus; docet observatio facilioris, quo tempore mulieribus menstrua imminent, recidivæ; et hujus in horam, qua pridem accessio fiebat, a minimis causis derivanda incidentia; et tandem illorum, quæ *imaginationem* feriunt, ineptissimorum alias remediorum, amuletorumque, probata credulis potentia.

Divisio. §. 26. Multiplex est apud auctores medicos febrium dictarum divisio: in *regulares*, et *erraticas*, sive *anomalas*; in *simplices* atque *compositas*: quarum primæ, *quotidianas*, *tertianas*, *quartanas*, *quintanas*, tardioresque, ut volunt, his accessiones; — secundæ, *quotidiana*, *tertianas*, *quartanas*, *quintanas duplices*, *duplicatas*, *triplices*, comprehendunt: in *vernales*, *autumnales*, in *benignas*, *depurativas*, atque in *corruptivas*, & *perniciosas*; in *epidemicas*, *endemicas*, & *sporadicas*.

Regularis, erratica. Paucæ tamen ex his divisionibus adeo evidentem in artis exercitio utilitatem habent, & nulla specialem methodum sat tuto indicat, nisi in complicationem, geniumque omnium attendatur. Nec enim, quæ *regulares* dicuntur, eæ tam statis horis adoriuntur, ut vel, quæ anticipant febres (*febres subintrantes*), mox pejores; aut mitiores, quæ retardant, censeri possint; nec si hoc faciant, diversa exhinc methodo indigent.

Neque typorum differentia naturam febris mutat: cum eadem febrilis affectio nunc hunc, nunc alium in typum transiliat, eodemque modo, ac specifico sanetur.

Quotidiana. *Quotidianas*, id est, quæ singulis diebus easdem accessiones, & decessiones agnoscunt, conspicui in

arte viri negarunt, nisi *notbas*, & quæ in phthisi, aliisque lentis affectionibus observentur. Sed licet quamplurimæ ex *quotidianis*, minime ad *intermittentis legitimæ* spectent familiam; vidimus tamen, de quibus dubium esse non potuit; & quarum similes quotidie paroxysmi *tertianæ duplicis* conditionem non arguebant. Cæterum *quotidianæ* paroxysmi matutinis utplurimum horis invadunt; & quæ post meridiem, vel noctem versus quotidie accedunt, eæ saltem suspectæ sunt, et facile ad aliam *periodicarum* tribum pertinere observantur; licet & ex hac tales nobis occurrerint, quæ matutinis horis *quotidianæ legitimæ* naturam æmulabantur.

Tertiana, quæ pomeridiano tempore delectatur, licet matutinis etiam horis incidisse noverimus, alternis diebus easdem accessiones, decessionesque affert, diemque intermedium ægrotis, inter omnes frequentissima, liberum concedit. *Tertianæ* in *exquisitam*, & *notham* a paroxysmorum extensione minori, majori, petita distinctio, practica utilitate destituitur. Interim *tertiana*, cæteris fere promptior est in *perniciosas intermittentes*; & frequentius *epidemice* grassatur. Tertiana.

In *quartana*, accessiones fere similes, post duorum nychthemerorum apyrexiam, quarta quavis die vespertino utplurimum tempore, revertuntur. Horror illam evidentior, quam alias, longiorque sæpius annuntiat; calor longiori mora protrahitur plerumque; atque relicta sibi hæc febris, pertinacius ægrotum vexat, habitum ei febrilem magis, quam aliæ, communicat, faciliusque, licet devicta, in recidivas ruit, autumno inprimis dilecta, visceribus insidiosa. Quartana.

Quintanam, in qua, post trium dierum apyrexiam, quinta quavis die novus paroxysmus ingruit, quod & alii de se testantur, nos ipsi aliquoties vidimus: Quintana.

facilis tamen, nisi constanter sic incedat, in calculo error occurrit; & *tertianæ* non observata, aut deficiens unica invasio, pro *quintana* incautis imponit.

Quotidiana duplex. *Quotidianam duplicem legitimam*, cum sat perfecta, inter duos paroxysmos, eadem die super accedentes, integritate, non nisi unica vice vidi; observantur alii.

Tertiana duplex. *Tertiana duplex* accessiones quotidie, alternis diebus aut vi, aut tempore correspondentes, agnoscit: frequentissima incipientis autumni soboles, sed & verno, & quovis alio tempore occurrens, cui principium fere, & finis *simplex* esse consuevit.

Tertiana duplicata. Accessus binos, alternis diebus invadentes, quos *duplicatam tertianam* efficere dicunt, nunquam vidi, nisi hecticæ febris progeniem.

Tertiana duplex. Idem fere de *tertiana triplici*, quæ prima, & tertia die binas accessiones; secunda vero, & quarta unicam agnoscat, asseruerim.

Quartana duplex. *Quartanam duplicem*, cui tertia quævis dies a febre conceditur immunis, cujusque paroxysmus primus, tertio; — secundus, quarto correspondet, non tam infrequenter conspeximus.

Quartana duplicata. *Quartana duplicata*, quæ duas, quarta quavis die, secunda vero & tertia, nullas accessiones adducit, nunquam nobis visa; nec *quartana triplex*, nec *triplicata*, ex propria nobis sat longa, copiosaque observatione constitit unquam. Vidimus utique accedentem ter in die, & sexta quavis die fortissimam semper ex his unam, accessionem, per multos menses continuasse; sed ad *intermittentis legitimæ* familiam non revocanda fuit.

Vernalium intermittentium indoles, ab *autumnalibus* differt in eo: quod illæ morbum *semiacutum* in plurimis sistant, & remissionibus magis, quam apyrexiis, incipientis morbi paroxysmi intersecentur. Sæpius in his, inflammatoriæ dispositionis, ab hyberna

constitutione mutuatæ, aliquid latet; facilisque sub methodo calidiori, aut ab ipso cortice præpostere porrecto, in febrem ardentem exitus est. Typum *quotidianæ*, *tertianæ*, etiam *duplicis*, utplurium observant; vanæsectioni, evacuantibus, salinis, aperientibus remediis facilius cedunt; rarius cortice indigent: ut & sponte, frequenter satis, post quintam fere accessionem, dissipentur, hominemque a variis sub hyberna quiete contractis incommodis interdum liberent; nec sine noxa in multis, præcipue quibus in pulmonalem phthisin dispositio est, præmaturo auxilio supprimantur.

Autumnalis vero *intermittens* ex *quartanarum* quam maxime, non raro vero ex *tertianarum duplicium* specie, *epidemico* more apud nos late grassari, biliosæ particeps naturæ, pertinacior, & in recidivas prona magis esse, consuevit. Plurimorum chronicæ naturæ morborum, neglecta, vel male tractata hæc febris occasio est, aut sub dysenteriæ, febris contagiosæ acutæ, quam *putridam* appellant, larva frequentius, & *perniciose* subinde, incedit. Est nempe & sua *intermittentibus* interdum *malignitas* (§. 9.), qua, *perniciosarum* sub nomine, nunc *sporadice*, nunc *epidemicarum* more, strages edunt: calidioribus, & paludosis regionibus communiores, & soporosis inprimis, atque apoplecticis, non raro convulsivis etiam, cholericisque insultibus, aut & asthmate, aliisque gravioribus infestæ symptomatibus: quibus a *benignis intermittentibus*, vel & a *corruptoriis*, quæ pertinacia sua sanitatem opprimunt, distinguuntur.

Intermittens larvata.

Larvatas etiam *intermittentes* vocamus, quæ, sine tanta symptomatum pernicie, cujuscumque alterius faciem morbi assumunt, nec alter febrilem naturam ostendunt, nisi quod periodum exacte absolvant, atque a cortice Peruviano, ut *legitimæ intermittentes*,

fugentur, nunc *universales*, nunc *topicæ*, & specialem corporis partem aggressæ (§. 22.). Jam vero monuimus, *periodicitatem*, atque symptomatum *intermittentiam*, nequaquam solas ad diagnosin sufficere (§. 24.).

In locis uliginosis, paludosis, febres intermittentes *endemice* regnare, in aliis *epidemicarum* more, sub certa, incognitaque persæpe rerum conditione, insurgere, quocumque vero tempore, & ubique *sporadice* prodire, regnantisque constitutionis annuæ characterem facile assumere, observantur. Nonnunquam aliis morbis, variolis, morbillis, dysenteriæ, supervenientibus, *intermittentes* locum concedunt; illis vero cessantibus, eodem typo, ordineque eodem iterum potiuntur ægroto.

Divisio nostra.

Cum vero nullo non tempore typorum his in febribus ratio invertatur, atque sæpissime ex *quartana*, *tertiana*; — ex hac vero, aut *quotidiana*, aut *tertiana duplex*, aut iterum *quartana* procedat: facile videre est, causam uni non aliam, quam alteri, subesse; atque hoc ipsum ultro confirmatur ex eo quod, quocumque demum *intermittens* incedat ordine, quævis una, eademque curari possit methodo: ut igitur desumpta ex apyreixæ longitudine *periodicarum* divisio, aliam in praxi utilitatem, quam dirigendi remedii rationem, non afferat. Felicior hinc febrium istarum divisio est, quæ ad causas evidentes, ad complicationes, instantisque magnitudinem periculi respicit, atque sic illas suo hic ordine considerabimus.

Pregnosis.

§. 27. Cachecticus febricitantium habitatus, digestionis, virium omnium prostratio, solidorum robur infractum, fluidorum neglecta resorptio, extravasatio, stagnatio, corruptio in tela cellulosa, corporisque cavis, pertinaces glandularum, viscerum infar-

ctus, obstructiones, icterus, asthmata, nervorum vitia, tremores, paralyses, sensuum obliteratio, totius corporis atrophia, consumptio, acuta denique, hecticave febris, *intermittentem* partim mox ab initio circumdant, partim neglecta insequuntur.

Interim hoc in ipso malorum fomite, magnorum interdum medicina morborum latet (§§. 6. 10.), præcipue illorum, qui ex suppressa inconsulto *intermittente* originem habuere. Nec enim vanum febrium quarumdam *depuratoriarum* nomen est, multasque cachexias, glandularum infarctus, systematisque lymphatici inertiam, obstructiones, in phthisin dispositiones, intermittens, inprimis verna, persæpe dissipat, vel emendat, latensque in penetralibus corporis acre per varia colatoria expellit, tenacem abdominis, pulmonum pituitam resolvit, ad expulsionem disponit. Hinc ex suppressa præpostere febre, quæ *simplex nervosa* tam benigna, quam inprimis *perniciosa* non fuerit, abundantissima morborum tum acutorum, tum chronicorum seges; & facilius certe opus est, præsentem intermittentem fugare, quam suppressam iterum revocare. Hinc tot ex hoc fonte ventriculi incommoda, oppressio, dolor, vomitus, inflatio; tot abdominis infarctus, viscerum, inprimis lienis, hepatisque volumen morbose auctum, scirrhi; tot asthmata, tussesque suspectæ; tot ad nervos metastases, ex quibus spasmi, convulsio multiplex, tremores, dolores artuum, paralyses, cæcitas, surditasque, originem sumunt; tot denique abscessus, cutisque defœdationes, & ulcera, propullulant.

Nec tamen minora ex intermittente neglecta, & ex præconcepta eamdem naturæ committendi opinione, profluunt incommoda: quorum pars major inepte in febrifugum, tardius tandem, quam par erat,

adhibitum, rejicitur. In paludosis regionibus nulla tam insons est intermittens vel æstiva, vel autumnalis, quæ non inopinato interdum aut in perniciosam, ex qua, nisi mox ab initio compescatur, mors certa vix non semper exspectanda est; vel in acutam periculosam converti queat. Qui viribus exuti sunt, cachectici multi, & senes, & teneri infantes, & delicatulæ mulieres; his ex longa intermittente infaustissima prognosis est. Quo diutius quemdam intermittens tenuit, eo perticacius ea medicamentis resistit, & in recidivas pronior est, præcipue quartana, vel tertiana autumnalis.

Cæterum, quo brevior intermittentibus apyrexia, eo major in acutas propensio; — quo longior vero paroxysmis quies intercedit, eo evidentior in chronicas affectiones nisus esse consuevit. In primo casu, vernali inprimis tempore, accedente methodo, victuque calefaciente, inflammatoriæ febres; sub autumno vero, ex tertiana duplici, febres saburrales periculosæ, non raro oriuntur. In secundo, lienis præcipue infarctus, pedum œdema, anasarca, pectoris, abdominis hydrops, icterus, & hepatis scirrhi, communius observantur. Lienis inflatio, sub paroxysmis sæpe magis conspicua, pedumque intumescentia interdum critica, interdum innocua, frequentius mala; nisi solventibus, vel ipsi tandem febrifugo cedere cogantur; vel largo tenuis urinæ profluvio dissipentur.

A paroxysmo intermittentium vel anticipante, vel retardante, frequentius nihil in ipsa febre mutari observo. Quæ tamen in acutas transituræ sunt; illæ per anticipationem accessionum in illas ruere consuescunt. Cæterum quæ *duplex* est intermittens, ea priusquam tota cedat, in simplicem converti solet. Oris, labiorum vesiculæ, ulcuscula, crustis mox ob-

tegi solita, interdum spontaneam febris decessionem indicant; frequentius exspectationem fallunt. In ipso frigore febrili, nisi *perniciosa* hominem tenuisset, mortuum, in longo licet artis exercitio, vidi neminem, ne senem quidem. Viderunt alii. Quos sub calore periisse novi, hos acuta febris prius prehenderat. Infantes sub paroxysmis convulsi nonnunquam decedunt.

§. 28. In febre intermittente legitima recte pertractanda, temporis non modo, quo febris quemquam prehendit, sed & annuæ constitutionis, & naturæ subjecti, morborum prægressorum, causarum remotarum, complicationis ratio est habenda. Ex his comparebit, an febris naturæ pro certo tempore committenda (§. 10.); an vero, & quibusnam auxiliis dirigi, curari debeat. In hoc casu removenda sunt, quæ febri occasionem dederunt; &, quæ ejusdem in acutam conversionem efficere possent, auferenda. In ipso quidem insultu, febrifugis locus esse vix potest: sed, naturæ nutum auscultando, nimium sub frigore spasmum potu tenui, tepido, leniter aromatico, non multo, & tegumentis paulo calidioribus moderamur; inque senili, debiliori ægroto, vitæ viribus prospicimus, quin successurum febris calorem stimulo artificiali incendamus. Calor nimius, tegumentorum detractione, aeris puritate, potuque acidiusculo limitatur; raro, nisi sub summo capitis dolore, pulsu forti ac duro, cum deliriis, in plethorico corpore venæsectionem implorat. Cura general.

Sudor, qui calorem sequitur, fovendus; atque patienter ab ægrotante, quin aut calefacientibus eumdem urgeat, aut incauto refrigerio reprimat, sustinendus: sic enim apyrexia perfectior paroxysmum coronat, febriumque sequelæ securius avertuntur.

Sub apyrexia, plethora evidens venæsectione corrigenda, cruditates, saburræ, si quas adesse suspicio, aut certitudo subsit, potu, remediis solventibus præparandæ, vel jam mobiles, per œsophagum, intestina, qua porta urgere videantur, expellendæ sunt. Hoc præstito; vel, si nulla istorum indicia occurrant, nec constitutionis annuæ cognita id exigat conditio; his subsidiis prorsus neglectis, ad ipsam febrem fugandam descendimus.

Hoc ipsum obtinetur vel sola causarum, quæ febribus favent, evitatione, cautove digestionis regimine, amarorum, tonicorumque usu; vel denique remedio, aliis quibuscumque facile superiore, cortice Peruviano. Ante hujus febrifugi, casu, non ratiocinio, quod de melioribus remediis dicatis, detecti notitiam, febres intermittentes curabantur quidem, atque nostris etiam temporibus diversissimis et pene contrariis inter se rebus sæpe profligantur: ita ut & emetica, & purgantia, & aromata calefacientia, & quæ calorem moderant, remedia; nec minus absorbentia, alcalina, quam acida; adstringentia, quam relaxantia, fugatæ febris laudem nacta sint; atque exhinc ingens febrifugorum catalogus; sed major certe febrium, quæ his singulis pertinaciter refragantur, numerus habetur. Neque meliori sorte remedia hoc ævo pro febrifugis venditata, hypocastani, salicis albæ cortex, radices arnicæ, gei urbani, aliaque multa, instruuntur; ut quæ febrem quidem interdum sanant, vernalem inprimis, gastricamque sobolem, quam emetica, & purgantia, jam maxime infregerunt; sed, quotiescumque rebellior cæteris quartana autumnalis, aut perniciosa demum intermittens auxilium potens expostulat, ad corticem Peruvianum lubenter omnes confugiunt, & divini remedii præstantiam coacti profitentur. Nec tamen celandum hic

est, huic ipsi demum cortici febres interdum reluctari; vel eodem suppressas, post breve spatium iterum, iterumque redire: quod inprimis in casu complicationis (§. 43.), vel & sub certis hominum, atque ipsius adeo epidemiæ constitutionibus non infrequenter contingit, ita ut cortex vel contrario præscribatur consilio; vel saltem rerum, complicationis causis oppositarum, omnino indigeat connubio. Non igitur superflua aliorum, quæ febribus adversantur, investigatio est; quin ideo ad suspectissimum adeo *arsenicum* recurrendum esse credamus; & frequenter ex antimonialium, mercurialium, opiatorum, ammoniaci salis, aromaticorum unione, majorem cortex efficaciam adipiscitur; qui alias solus, sufficienti dosi, longoque satis tempore porrectus, dummodo sincerus, alienis certe non indiget.

Superata tandem febre, ne in pristinum æger morbum relabatur, videndum est: quod tum continuato febrifugi usu, tum inprimis ciborum, qui & facile digeruntur, & satis nutriunt, delectu, æqua vini generosi portione, vel demum amaris, chalybeatisque medicamentis, obtinetur. Maxime vero circa tempus ac horam, quibus febris pridem quemquam præhendebat, nec non ad muliebres periodos respiciendum est: sub quibus ad eumdem morbum sat diu major dispositio manet, quæ & a fortiori quovis pathemate, ab illis, quæ debilitant, in actum deduci consuevit. Atmosphæræ humidioris, paludum effluviis imprægnatæ fuga, non modo recidivum morbum prævertit; sed interdum sola est, qua rebellis ægritudo queat debellari.

ORD. I. GEN. I.

FEBRIS PERIODICA INTERMITTENS LEGITIMA NERVOSA.

§. 29. Sanissimos cæterum homines intermittens legitima frequenter corripit, a causis sensus fugientibus oriunda: quas aut epidemica constitutio, aut pathemata animi, aut major sensibilitas, aut res alia demum, ignoto modo, in nervos potissimum agens, offerunt; quin manifesta vel plethoræ, vel cruditatis, & gastricæ saburræ signa in iisdem occurrant, aut alius demum fomes, quam qui ipsam febrem in dispositis accendit, supponi prudenter queat. Hanc febrem intermittentem, sine vitæ periculo sat diu, & symptomatibus non insidiosis incedentem, *nervosam*, vel *simplicem benignam* appellamus: in quam speciem quævis altera intermittens, priusquam cortice fugetur, reducenda est.

Definitio.

Nervosa complicata.

§. 30. Alii ex consimili causa febricitant; sed ob latentem prius cruditatem, aut ob plethoram, symptomatum nascitur *complicatio*, febrisque *intermittens* sistitur *nervosa complicata*: donec solventibus, aut & solis evacuantibus præmissis, in simplici nervorum periodico affectu (§. 27.) ægritudo omnis versetur.

Nervosa perniciosa.

§. 31. Sub certa autem conditione tum subjecti ipsius, tum regnantis constitutionis, præcipue in atmosphæra calida, humidaque regionis paludosæ, cerebrum ipsum, vitalium nervorum compages inprimis afficitur; nasciturque, ex causa febrium communi, *intermittens maligna*, seu *perniciosa*, symptomatibus suis aut aperte, aut insidiose vitæ minitans.

§. 32. Alias, sine consueto febris symptomate, periodica intermittens nascitur affectio (§. 24.), quæ iterum vel ad *simplicem nervosam* (§. 29.) pertinet; aut ad *complicatam* (§. 30.), & quam *intermittentem larvatam* fas est compellare. Nervosa larvata.

§. 33. Omnes vero hæ febres (§§. 29. 30. 31. 32.) nunc evidenter satis intermittunt, nunc vero continuitate quadam obscurantur: quo in casu *intermittentis subcontinuæ* vel *benignæ* (§. 29.), vel etiam *perniciosæ* (§. 31.) titulum sibi promerentur. Subcontinua.

§. 34. In simplici *nervosa benigna*, alia non occurrunt, quam quæ supra (§. 23.) enumerata fuerunt, periodicæ intermittentis phœnomena. Nervosa simpl.

§. 35. Symptomata febris *nervosæ perniciosæ* tam diversa sunt, ut omnium quasi acutissimarum affectionem sistant epitomen. In hoc nempe creditum est, *perniciosam* a *maligna* febre differre: quod terribilia illam symptomata *aperte* comitentur; aut saltem ex his unum, aut alterum, insolito more sub quovis paroxysmo compareat; interdum idem, interdum a priore diversum. Interim non ubique tam evidens *perniciosæ* observatur natura, ut semper hac ipsa a malignis discedat: multi enim, aliorum in modum a febre intermittente correpti, non gravius his ipsis laborasse ab inexpertis credebantur; cum ex improviso, sub insequenti febris insultu, vel in summum vitæ periculum conjecti, vel morte ipsa arrepti conspicerentur; neque alia, sub principio, tam funesti eventus indicia habentur, quam capitis a primo jam febris insultu, sine manifesta causa, continuata per apyrexiæ spatium, obnubilatio, gravitas, insignis dolor, stupiditas, vertigo, majorque in somnos propen- Symptomata feb. pernic.

sio; virium singularis & superior illa, quæ ex simplici intermittente exspectari posset, prostratio; lipothymiæ frequentes, vomitus, diarrhœa exhauriens, urina semper tenuis, pellucida, vel & rubra, crassiuscula, fœtida, stranguria, tenesmus; motus convulsivi partiales, aut musculorum hinc inde stupor, vel contractio involuntaria; cordis palpitatio, pulsuumque irregularitas, lentor, aut exilitas; & magna faciei a sana mutatio: quæ singula eo magis timenda sunt sub cœlo calido, & noxiis paludum effluviis inquinato; vel ubi character epidemicus perniciosis febribus favet; vel in senibus, cachecticisque, aut alio morbo fractis, sensilissimisque, nec tamen hypochondriacis hystericisque, in quibus morbi pro gravioribus facile imponunt, hominibus, infantibus teneris, puerperis, etc.

Varietates.

Nec varia, quæ febris huic speciei imposita sunt, nomina, naturam ejusdem invertunt, aut aliam sibi medendi methodum, si complicatio (§. 30.) desit, exposcunt; nec ex typi, quem observant, diversitate, differentia petenda est. Nunc enim *quotidianæ* decursum observans *perniciosa*, *subcontinuæ* habitum facile assumit; nunc, quod frequentius accidit, *tertianæ* ingressum imitatur; nunc vero *quartanæ* typum absolvit. Quo symptomate interim potissimum terret, ab hoc nomen *perniciosæ* tributum cuique fuit; atque nunc soporosis affinitate jungitur hæc febris: quo spectat *perniciosa comatosa*, *lethargica*, *carotica*, *apoplectica*; nunc ad paralyses magis, & ad debilitates accedit: quo reducenda est *hemiplegica*, *amaurotica*, *syncopalis*; nunc ad convulsivos affectus, ad quos pertinet *spasmodica*, *tetanica*, *cataleptica*, *epileptica*, *emetica*, *cholerica*, *asthmatica*, *catharrosa*; nunc ad *dolores* refertur: uti faciunt *arthritica*, *cardiaca*, *pleuritica*, *cephalica*, *colica*, *dysenterica*; nunc vero alio

eminenti symptomate distincta est, quales sunt: *algida*, *lipyria*, *diaphoretica*, *scorbutica*, *petechizans*, & aliæ: ut, qui singularum affectionum, quæ suam *perniciosis* denominationem impertiuntur, decursum noverit in sequentibus accuratius describendum; ille, quo rectam harum febrium ideam acquirat, nihil præter *periodicitatis*, & periculi majoris conceptum superaddat, necesse sit.

§. 36. Febris intermittens *larvata* (§§. 24. 32.) a *perniciosa*, non nisi periculi minoris differt & vehementiæ mitioris rationibus; eaque similem ex præcipuo symptomate, quo periodice recurrit, denominationis originem petit. Differentia larvatæ.

§. 37. Quamvis vero causas non alias, quam quæ intermittenti cuivis legitimæ subsunt, agnoscat *perniciosa febris*; et symptomatum diversitas non ab illa causarum, sed partis, quam hæ afficiunt, differentia pendeat; mirum tamen, & intellectu difficile est, tot morbos aspectu non modo diversos, sed re ipsa inter se contrarios, ab agente unico fere principio derivandos esse: quod ipsum, nunc cum impetu systematis vitalis reactionem adauget; nunc eandem infringit, ac vix non supprimit; mox vero sub apyrexia fere sepultum delitescit, morbique etiam summe inflammatorii, quod in *peripneumonia perniciosa tertiana* observavimus, per horas atque dies scenam interrumpit. Causæ.

§. 38. Fatendum tamen est, non tam *simplices* semper incedere *perniciosas*, ut non & *causæ secundariæ* interdum subesse queant medentis attentione dignissimæ. Magna hic *bilis* copiosius secretæ, aut morbosæ, vel ipsius etiam plethoræ, generalis, specia- Perniciosa complicata.

lis, est actio: ut vel ex sola saburra, aut periodico vasorum infarctu, vel a rheumatico fomite super viscus conjecto, perniciosas quasi febres observemus: quæ, vel ejecta, vel aversa secundariæ affectionis causa, in simplices mox, easque benignas intermittentes commutantur. Interim vix tanta hæc præstant, ut non facile effectus pro causa habeatur; & cum summo ægrotantium damno, lethalis futuri morbi pericula, specifica curatione mox a principio frustrentur. Certe, quo tempore *benignæ* febres epidemice grassantur, *perniciosæ* non raro subintrant: vel ex illis ipsis, aucta, ut apparet, corporis sensibilitate, vel mutata materiæ sede, originem istæ sumunt, eodem, quo simplices illæ, antidoto fugandæ. Nec tamen ideo, quacunque in periodica intermittente, sub fortiori accessione, vel vomitus urget, vel aliud quoddam non tam infensum symptoma dominari observatur; ea mox pro *perniciosa* declaranda, atque rejecta complicationis idea, ad specificam illico methodum descendendum est: qua ex præpostera medendi ratione, in regionibus, quibus frequentior perniciosarum numerus esse consuevit, insignes noxæ redundant.

Cura febris intermitt. f. nervosæ.

§. 39. Cognito, post duas, tresve morbi invasiones, febris periodicæ intermittentis, legitimæ, *nervosæ*, charactere (§§. 29. 32. 36.), absente quidem complicationis (§. 30.), & perniciosæ indolis (§§. 31. 35.) formidine, aut spe, latentem diu in febricitante morbum alium per ipsam febrem posse auferri (§§. 10. 27.); ad hujus curationem descendendum, neque a tempestiva febris medela damnum pertimescendum est: quod ex longiori præsentis morbi continuatione, & perversa curationis ratione immineret.

§. 40. Abigitur hæc febris (§. 29.) cognito intermittentis legitimæ & simplicis antidoto, cortice Peruviano, aut solito, aut rubro, in substantia, ut vocant, porrecto, eoque solo; sed exquisito, alienis rebus minime indigente. Interdum hic cortex, ob specialem ægri naturam, ob stomachi, intestinorum sensibilitatem, irritabilitatem, aut ventriculum stimulat, opprimit; aut vomitu mox rejicitur; aut denique citius, quam par est, per alvum ruit: tunc, in primo casu, cinnamomum, aut aliud gratum quodvis aromaticum corpus, — in binis aliis, *opium* prudenti manu remedio aut præmissum, aut subjunctum, efficaciam ejusdem sustinet, promovetque. Infusum corticis, frigida, calida paratum, ejusdem decoctum, extractum gummosum, resinosum, quin sola illius externa applicatio, per anum injectio, febrem abstulisse visa sunt; potissima virtus in *toto* jacet. Chinæ cortex.

§. 41. Sed duo potissimum, in quavis intermittente legitima, tempora, — primum, quod *paroxysmum*, alterum, quod *apyrexiam* constituit, respicienda sunt. In illo, vix præter symptomatum moderamen, aliquid; — in isto, latescentem morbum fugare moliendum est. Cedit hic antidoto, tum mox a paroxysmo, tum sub media apyrexia, tum binis fere ante illum horis, porrecto: nec tanti quidem interest, quo momento, quam quo pondere, medicamentum porrigatur. Multis arridet tardior hujus porrectio; sed non tam certum semper invasionis momentum est, multique primis ante istam horis sensibilitate majori jam affecti, singula nauseant, sumptumque remedium, ejusdem delusi effectu, exspuunt. Exquisitissimi *corticis* duæ drachmæ ad prævertendum paroxysmum imminentem interdum sufficiunt; sed sæpius duplici dosi opus est: quæ vel integra ab ægrotante assumi, Tempus et modus administrationis.

vel, quod, ob facilem abhinc in multis nauseam, stomachi irritationem, rejectionem deglutiti vix remedii, præstat, divisis portionibus ordinari ita potest: ut pro majori, aut minori apyrexiæ longitudine, corticis aut minor, aut major portio simul ingeratur. Non rarum est, primum ab assumpto cortice paroxysmum adeo non imminui: ut et validior inde exsurgat invasio; continuato constanter remedio in proximum facile præcavenda. Varia in variis corticis ad fugandam protinus febrem quantitas requiritur: ut raro minor, ac trium unciarum quantitas sufficiat; quæ igitur pro epidemico febris charactere ejusdemque pertinacia, major etiam, fugatis licet paroxysmis, quotidie ita distribuenda est: ut, quo minus a febre intervallum excurrit, eo major quovis die corticis dosis, protracto sat longum in tempus remedio, propinetur. Sub his vero ab illis abstinendum est, quæ aut debilitant, aut transpirationem supprimunt, aut digestionis gravare viscera; aut nervos stimulare queant: ut quorum actio, tempore imprimis, quo febris pridem invaserat, aut, apud mulieres, menstruo, majori facilitate necdum abactam in febrem dispositionem exaltat, pristinumque revocare morbum potest, eadem tunc methodo, nisi complicationis causæque prægressæ ratio aliter deciderit, pertractandum.

Alia. §. 42. Sed ipsa hæc simplicissima febris ea est, quæ, cum in quibusdam subjectis cortici refragatur; vel soli *opio*, vel ejusdem cum cortice connubio cedit; vel demum illis, quæ in stomachi nervos specifice agunt, vomitorio levi, aut refractis ipecacuanhæ, tartari emetici dosibus, dilecti anxieque desiderati, licet quandoque absurdi, cibi usu, ipsisque demum apud credulos amuletis, imprimis vero aeris mutatione interdum devincitur.

§. 43. Sæpius vero sub majore febris pertinacia, aliud quid subest, quod vel febrem legitimam intermittentem *mentitur*, vanamque corticis actionem reddit (§. 24.); vel complicationem sistit (§§. 29. 38.), qua non detecta, febris cum periculo prædictis remediis (§§. 40. 41.) impugnatur. Latentis hinc obstaculi investigatio urget: quod sæpe in visceris cujusdam, imprimis hepatis, lienis, obstructione, scirrho, carcinomate, — interdum in acri specifico, herpetico, scabioso, ulceroso, venereo, arthritico, rheumatico, — sæpe in naturalis aut consuetæ evacuationis, sudoris pedum, axillarum, fluoris uterini, hæmorrhoidalis suppressione, aliisque interdum latet, quæ curam sibi propriam exposcunt, interdum nullam admittunt, & a cortice præpostere porrecto exasperantur. F. Secundariæ cura.

§. 44. Si cum ipsa febre *nervosa* legitima & intermittente (§. 20.) complicatio causarum intercedere observetur (§. 29.); tunc hæc ipsa primum secundum regulas infra exponendas tollenda, atque prædominantis genii ratio potissima habenda est: donec reducto ad suam simplicitatem morbo, ejusdem cura descripta methodo (§§. 40. 41. 42.) absolvi queat. Complicatæ.

§. 45. Febris perniciosæ intermittentis, simplicissimæ (§§. 31. 35.), cujuscunque demum periodi, curandæ methodus, ab illa, quæ benignæ conducit (§§. 39. 40. 41.) vix est diversa; nisi quod major in fugando præcipitis & periculosissimæ indolis morbo, promptitudo, hinc generosior corticis, & supprimendo instanti paroxysmo non impar quantitas exigatur. A periculi vero magnitudine, & a tempore apyrexiæ, hujus remedii administrandi mo- Perniciosæ.

dus pendet. Si periculum urgeat: corticis peruviani non minor, quam dimidiæ unciæ, neque uncia una major dosis, mox primo apyrexiæ, vel remissionis principio porrigenda est; post binas vero, aut si brevior mora supersit, post singulas horas, perque totum apyrexiæ tempus, binæ ejusdem antidoti drachmæ ægrotanti offerantur. Si deglutitio læsa fuerit: duplex tunc corticis quantitas, eodem ordine, per anum, clystere simplici prius elotam, injicitur. In utroque casu, si vel vomitu, vel per intestina citius, quam par est, cortex aufugiat: tunc opii portio sufficiens eidem aut præmittitur, aut combinanda est; nec balnea, fomentationes, cataplasmata, ex eodem cortice parata, si præpedita fuerit deglutitio, negligenda erunt. Si major virium prostratio, & extremitatum frigus jubeat: cortex laudatus cum vino cyprino, aut generoso alio, exhibendus est.

Pernic. compl. cura.

§. 46. Nec tamen aut quævis fortiori ingressu stipata intermittens pro *perniciosa* mox tractanda (§§. 9. 18.), aut credendum erit, istius curam ubique solo cum cortice obtineri. Est nempe & sua perniciosis, non rara, *complicatio*: & nunc plethora, & sanguinis ad viscera capitis, spinæ vertebralis, thoracis, abdominis, collectio major, venæsectionem, imprimis localem, hirudines, cucurbitulas scarificatas, -- nunc vero saburræ, bilisque acrioris ad primas vias stagnantis præsentia, emeticum, vel & alvum purgans medicamentum sibi exigunt, antequam sine noxa cortex possit subministrari. His solis interdum auxiliis malignitas febrium omnis disparet, & perniciosi morbi natura in mitiorem convertitur. In ipso perniciosæ *complicatæ* decursu, cum cortice talia subinde jungenda sunt, quæ sym-

ptomatibus præcipue opitulentur. In summo interim furientis morbi periculo, ne præceps vitam salvandi aufugiat occasio, indicationibus aliis, quam vitalibus, satisfacere non licet; & omne curationis punctum in futuro, facile lethali, febris insultu per corticem avertendo, positum est. Nec purgantia febrifugo mixta, antequam reversuræ febris periculum dissipatum fuerit, sat tuta sunt; devicto vero instante vitæ discrimine, rhabarbarum, sal ammoniacus, cum cortice combinata, latentis saburræ noxas avertent: qua ejecta, ad corticem iterum, qua lege hoc præstandum esse dictum est (§§. 39. 40. 41. 42.), vel solum, vel si major virium debilitas id postulat, cum aromaticis, erigentibus, imprimis vero cum vino, combinatum, sed majori dosi, longiorique temporis spatio subministrandum, ne fatalis iterum paroxysmus recurrat, retrocedendum est.

§.47. Sed cum in ipso intermittentium paroxysmo, perparum adversus morbum præstari queat (§.41.), & in summis perniciosæ febris angustiis, sub statu ægrotantis soporoso, lethargico, & quasi conclamato, porrigendi corticis aufugerit occasio: *opii* saltem, sat magna copia porrigendi, virtus experimentis aliquot confirmata, tentari potest: donec, restitutis quodammodo ægri rebus, ad corticem venire liceat. Opium.

§. 48. Neque febris tum simplicis, tum perniciosæ *nervosæ* symptomata a curantibus negligenda sunt. Summos capitis in ipso febris, etiam vix perniciosæ, ingressu urgentes dolores *opium*, nisi a sanguinis copia aut saburra pendeant, corrigit, ardoremque moderatur. Erecta capitis positio, ejusdemque Cura symptomatum.

denudatio, fomentatio frigida, sanguinis ad cerebrum infringunt impetum; collabescentem ex vera debilitate machinam, frigentes artus, cardiaca, æther vitriolicus, camphora, alcali volatile, vinum imprimis generosum & calefactum, fomentationes calidæ, spirituosæ, frictiones, sinapismi, vesicantia, erigunt, refocillant. Urgentes spasmos, convulsiones, dolores, cataplasmata, fomentationes, clysteres emollientes, moschus, opium, compescunt; tenesmum, ischuriam ægrotis gravem, fomentatio emolliens ad anum, ad perinæum, injectio olei cum laudano, mitigant etc. In soporosis affectibus ab odoramentis, nisi acetum concentratum forte excipiam, cavendum est.

Febris larvat. §. 49. Febris nervosa larvata (§. 31.) vel simplex, vel complicata, semel cognita, & a febre periodica, secundaria, seu illegitima apprime distincta, quacunque demum veste obveletur, ut febris intermittens legitima tum simplex, tum complicata, secundum regulas (§§. 39. 40. 41. 42. 44.) expositas curatur.

GEN. II.

FEBRIS PERIODICA INTERMITTENS LEGITIMA, GASTRICA, TUM SIMPLEX, TUM COMPLICATA.

Eiusdem gen. §. 50. Ventriculus, intestina, quocunque fortiori stimulo agitata, cor ipsum, arterias, totumque nervosum systema in consensum trahendo, febres sæpenumero excitant, quæ sub certis circumstantiis & periodicam assumere naturam, et febris intermitten-

tis quemcunque typum absolvere queunt. Docet hoc insignis intermittentium, quo tempore saburrales acutæ, favente epidemico charactere, copiosius grassantur, numerus; docet febrium illarum, post crapulas, et comessationes, proventus; docet vomitus tum spontanei, tum artificialis, atque evacuantium his in febribus non ambigua utilitas: quibus toties, non modo sine corticis aliorumque adjumento, sed postquam illa incassum jam administrata fuerunt, solis, febris non raro profligatur.

§. 51. Alias saburra, pituita, bilis, et alia abdomini inclusa irritamenta, febrem quidem comitantur et exasperant, sed non faciunt: ita ut solutis ejectisque his stimulis, ipsius febris causa, evacuantibus nequaquam corrigenda, vel per ipsam naturam mutari, ejici, vel specifico, aliisque auxiliis impugnari debeat, antequam febris ipsa ægrotantem deserere cernatur. Origo compos.

§. 52. Utroque in casu (§§. 50. 51.) morbum talem, febrem periodicam intermittentem legitimam *gastricam*, vel ex saburris, vel cum illis, a bile, pituita, aut mole, aut qualitate irritante, vel ex alimentis indigestis, vel ex vermibus corruptis orientem, appellare licet. Definitio.

§. 53. Quotiescumque hæc irritamenta in hominem aut sanguine abundantem, aut ex causis specialibus plethora abdominali laborantem, vel irritabiliorem, sensilemque inciderit: nascetur complicatio *inflammatoria*, majorem paroxysmis continuitatem sub ingressu febris impertiens, et pronam in ardentem, biliosam-inflammatoriamque febrem, naturam: quod verno imprimis tempore, post repetitos gulæ ex- Complicatio inflammator.

cessus, calidaque sub methodo, frequentius contingit.

Complicatio cum gastrica nervosa.

§. 54. Æstivo autem, vel autumnali tempore, post graves solis æstus, ob abundantem bilis secretionem, ob faciliorem ejusdem depravationem, ob frequentiorem transpirationis, sudoris suppressionem, ob characterem epidemicum, forte ob contagia, collecta in abdomine, corruptaque colluvies, subtiliori principio in abdominis nervos agere; vel, ad secundas vias resorpta, in totum systema operari, et sic febres pertinaciores periodicæ indolis, et in continuam *gastricam nervosam* pronas, neglecta excitare potest.

Signa gastrica I.

§. 55. Febrem periodicam intermittentem legitimam & *gastricam* (§§. 50. 51.) produnt sequentia: constitutio anni, et subjectum saburralibus oppletionibus favens; anorexia, os amarum, anima fœtens; lingua flavo, tenacique muco obtecta, ructus amari, nauseosi, tremor labii inferioris; oppressio, morsus vel ardor ventriculi; screatio frequens, vomituritio, vomitus; capitis gravitas, vertigines, cephalæa, anxietas, oculi subflavi; diarrhœa, excrementa naturalibus fœtidiora, aut verminosa, urina ex rubro flava; sitis, acidorum desiderium.

Monere hic juvat, alibique juvabit, interdum ex his signis plurima sub ingressu morbi deesse, solumque annuæ constitutionis genium, & notum febrium ab aliis, evacuante methodo felicius superatarum exitum, de febris characterе testari; quemadmodum oris ventriculi turbæ, sub inchoante aut continuante paroxysmo observandæ, latentis saburræ signum præbent fallacissimum.

§. 56. Si febris *gastrica* intermittens inflammatoriam indolem complicata assumpserit (§. 52.), tunc signa (§. 67.) describenda potissimum observabuntur: quæ gastricis adeo immixta sunt, ut nunc illa, nunc hæc, prædominari conspiciantur. Tempus vernum hæc complicatio sequitur; sed et aliud quodcunque, sub cœlo imprimis calido, nequaquam recusat. Signa gastrica inflam.

§. 57. Si major saburræ, bilisque copia, corruptio, complicationem efficiat (§. 54.) tunc signa febris *gastricæ nervosæ* (§. 103.) exponenda, *per paroxysmos* occurrunt; et symptomata (§. 53.) recensita, majori intensitate sese manifestant. Signa gastric. intensioris.

§. 58. Causæ hujus febris (§§. 50. 51.) illis, quæ (§§. 107. 108.) proponentur, forte mitiores, cum ignota febris intermittentis causa proxima (§. 7.) sæpe cohærent. Causæ.

§. 59. Cura intermittentis *gastricæ*, tum illius, quæ aliam causam, quam saburralem vix agnoscit (§. 49.); tum alterius, quæ cum hac ipsa aliam, ignotam quidem, sed in nervos potissimum agentem, & cortice ut plurimum subjugandam, conjunctam habet, in eo consistit: ut collecta in ventriculo, intestinis, materia, mole, aut qualitate aberrans, ad ejectionem præparetur; vel si tenacitate sua non resistat, breviore via quantocyus e corpore expellatur. Glutinosam, viscidamque saburram mobiliorem reddunt tum decoctum resolvens (N. I.), tum potus acidiusculus, limonea tenuis, serum lactis cremore tartari, tamarindis paratum, decoctum Cichorei; tum sales medii, imprimis, nisi temperamentum siccum, magnaque sensibilitas vetet, sal ammo- Cura.

niacus, pulvis resolvens (N. II.), haustus salinus (N. III.). Saburræ mobilitatem produnt muci linguam obsidentis tenacitas imminuta, amarities, vomendique conatus aucta, bilis spontanea eructatio, diarrhœa. Brevissimam sordibus circa stomachum, hepar, collectis, viam œsophagus, — saburræ intestinali, alvus constituit; longior, ambigui exitus, tædiique plena illius per inferiora subductio est; emesisque toties præferenda est, ac sine ægrotantis periculo indicata tentari potest. Hanc ciet solutio emetica (N. III.); si tamen diarrhœa jam subintraverit, ipecacuanha, aut pulvis emeticus (N. V.), prævalebunt. Vomitum ipsum tepida promovet, moderata copia nauseanti ventriculo oblata.

Emesis.

Tempus administration.

§. 60. Proliciendi vomitus momentum brevi ante paroxysmum tempore, sufficienti tamen, ut ante novæ accessionis impetum ejusdem turbæ protinus jam cessaverint, opportunius est: quo non modo contenta in ventriculo, & duodeno per œsophagum excutiuntur; sed et spasmus febrilis ipseque interdum instans paroxysmus prævertitur. In ipso hujus ingressu, et quo tempore vel media emetici quantitas sufficiat, vomitum excitare, licet a quibusdam cum fructu tentatum, ambiguum tamen est: neque sub spastico ventriculi motu, emetici actio discrimine semper immunis esse potest. Post paroxysmum alii, ob vanam internæ transpirationis, cutaneæ adinstar, tunc absolutæ, hypothesin, emetica præferunt; sed exhausti per paroxysmum ægrotantis debilitas, & summa quietis necessitas id sæpius improbant. Interim, nisi hæc obsint, emesis et post & ante accessionem, sat tuto excitatur.

Fortioribus, minus tamen sensilibus subjectis, quo ventriculus et intestina simul evacuentur, emetocatharcticum (N. VI.) interdum conducit.

Subinde aut tenacitas, aut copia bilis, pituitæ, tanta est, quæ per unicum expelli haud possit emeticum: hinc in resolventibus (§. 59) aliquandiu continuandum, et subsistenti indicationi novo emetico satisfaciendum est.

§. 61. Vel post celebratam sic emesin, vel si hæc ipsa aut aperte contraindicaretur, aut necessaria non esset, sine illa, — intestinorum quoque evacuatio remediis pro quovis subjecto facile eligendis (N. VII. VIII. IX.), et pro necessitate, interposito resolventium usu, repeti debet: donec reducta ad intermittentis simplicis *nervosæ* characterem febre non depuratoria (§. 29.), hæc ipsa methodo (§§. 39. 40. 41. 42.) exposita debellari queat. Purgantia.

Post hæc, superstes sæpe in ore visciditas et ingratus sapor, et lingua muco obtecta, sat fidum latentis adhuc saburræ signum esse nequaquam continuant; sed non raro hæc ipsius febris effectus sistunt: quos cum damno, excedente tum resolventium, tum evacuantium usu aggrediuntur varii, et hoc ipso symptomatum gastricorum apparatum, ex ventriculi debilitate oriundum, cum irritabilitate potius adaugent, febrem pertinaciorem reddunt, et ægrotantem ad obstructiones et hydropem ipsum disponunt. Hæc non timenda sunt a refractis ipecacuanhæ dosibus, quæ a grano uno ad viginti successive adauctæ (N. X.), quin vomitum excitent, febrem interdum dispellunt. Eadem de refractis tartari emetici portionibus dicenda sunt (N. XI.), quæ a grano dimidio ad integrum, brevi ante prandium cubitumve tempore ingestæ, aliquando corticis, pro pauperibus nimis pretiosi, vices agere queunt.

§. 62. In febre intermittente gastrica, cum inflam- Gastr. infl. cura.

matorio apparatu incedente (§. 52.), antequam ad emetica, vel purgantia descendatur, oportet methodo infra (§. 71.) exponenda nimiam prius cordis, vasorumque reactionem ac tensionem partium venæsectione et antiphlogisticis compescere; febrique ad simplicem gastricam intermittentem reducta, ad regulas indicatas (§§. 59. 60. 61.) recurrere.

Gastr. nerv. cura.

§. 63. Si gastrica symptomata majori cum intensitate, et cum generis nervosi majori affectione urgeant (§. 54.); tunc, seposito animali victu quovis, major emeticorum (§§. 59. 60), pro indicatione repetendorum, offertur necessitas: quibus et resolventia, et potus acidiusculi, fructuum maturorum expressis succis remixti, serum lactis cum tamarindis coctum, et, quotiescunque symptomata id indicare videntur, purgantia (§. 61.) subjungenda sunt.

Continuatio.

§. 64. His absolutis, cum solus interdum cortex debellandæ febri autumnali vix non impar esse observetur: huic ipsi utiliter sal ammoniacus, et serpentariæ virginianæ radix adjunguntur, et in talium usu sat longo, pro pertinaci morbo, tempore continuatur.

Reconvalesc. ratio.

§. 65. Fractæ ventriculi ac digestionis vires tum diæta bona, et prudenti vini usu, tum aeris rusticani, motusque moderati beneficio, ac demum amarorum cum levi, gratoque aromate remixtorum delectu (N. XII. XIII.), recuperantur.

GEN. III.

FEBRIS PERIODICA INTERMITTENS LEGITIMA INFLAMMATORIA TUM SIMPLEX, TUM COMPLICATA.

§. 66. Febris intermittens, quæ juvenes irritabiles, succiplenosque homines, hieme imprimis ad finem vergente, vel quovis demum anni tempore, post evacuationes sanguinis naturales, assuetas, suppressas, imminutas; post largum spirituosorum potum, post violentos animi; corporis motus, aggreditur, et cum aucta cordis, arteriarumque irritabilitate, et actione incedit; febris periodicæ intermittentis legitimæ *inflammatoriæ* nomine insignitur. Definitio.

§. 67. Invadit fortiori utplurimum cum frigore; succedit rapide calor apertus, maximus; rubent facies, oculi, cutis universa; vibrant fortiter, et distenduntur arteriæ, imprimis carotides temporales; caput dolore acuto detinetur: succedunt somnolentia, vigiliæ, deliria; urinæ flammeæ, ardentes; sitis maxima, obstructa alvus; sequitur copiosus sudor; nec tamen abhinc febris jugulatur omnis: sed frequentia pulsus, plenitudo, et corporis gravitas, sitis, calor cutis, latentes ignes significant, aliquando sat magnos, ita ut apyrexiam notabilem consumant, vel brevissimam huic ipsi moram indulgeant; post quam, mox aut fortior paroxysmus, aut lenior subintrat, cum pristino insultu vix non cohærens, sæpe anticipans, prioris in modum ægrotum depascens, et fortiori utplurimum invasione, quæ duplicis tertianæ typum irregularem exprimit, renovandus. Atque hæc, vel alternorum dierum protractis in longum paroxysmis, vel redeuntibus quotidie accessionibus, *continuæ re-* Symptomata.

mittentis imaginem, sæpe a morbi initio, sæpe post aliquem in diæta, in medendi methodo commissum errorem, exactis jam quibusdam circuitibus, protinus assumunt; donec, vel frenato aut sponte, aut arte, febris impetu, hæc ipsa in regularem intermittentem benigne terminetur; vel aucta perverso molimine, cordis, arteriarumque reactione, in continuam inflammatoriam præcipitetur.

Gastrico-inflammator.

§. 68. Nec ipsa hæc febris (§§. 66. 67.) tam simplex semper incedit, quin aut locali partis cujusdam inflammatione periodice interdum progrediatur; aut, cum primarum viarum saburris confluens, gastricam complicationem (§. 53.) frequenter agnoscat, bilemque insigniter exaltet, atque ipsa per abdominalem stimulum in majora rapiatur incendia; aut denique, ob dictas alibi rationes (§. 54) *gastricæ nervosæ* characterem adipiscatur.

Causæ.

§. 69. Febris istius causam, dicta (§. 66.) satis illustrant; sed accedit non raro ex regnante constitutione, catarrhalis, vel rheumatica irritatio, aut præposterus chinæ usus, vel latens fluidorum, solidorumque vitium: quibus febri, alias non insidiosæ, perfidior character impertitur.

Cura simplic.

§. 70. Nisi limites hæc febris excedat, et nisi calidorum, stragulorumque abusu exasperetur; rarum est, eandem diutius vel ipsius naturæ resistere moliminibus; vel ad illas, quas *depuratorias* febres appellavimus (§. 27.), non pertinere. Si tamen vel ob nimias turbas, vel ob perversam methodum, artis desideretur auxilia: tunc utique venæsectione, etiam repetitæ, atque illorum, quæ nimiam cordis, vasorumque reactionem infringunt, necessitas summa est.

Urget hæc, si febris jam *continuæ inflammatoriæ* (§. 67.) naturam prorsus assumpserit; aut eidem vicinior observetur; vel si speciali forte in viscus quoddam nobilius insultu, periodice, et cum localis inflammationis symptomatibus vel generalibus, vel ad partem affectam tantummodo extensis, furiant: quo tempore plerumque catarrhale, rheumaticumque principium subtus latebit (§. 69.): tunc nempe tam generali venæsectioni, quam localibus depletionibus, aptisque remediis externis locus conceditur, quæ in sectione de febre *continua inflammatoria*, et in illa de *inflammationibus*, exponenda, huc sunt revocanda. Victus vegetabilis, paucus, potus copiosior, subacidus, clysteres emollientes, aer frigidiusculus atque purus, nitrum, cremor tartari, potissimam ubique opem ferunt: donec, sopito nimiæ irritabilitatis impetu, ad simplicem nervosam (§. 29.) reducta febris, secundum leges eidem accommodatas (§§. 39. 40. 41. 42.) valeat fugari.

Quidquod, si perniciosarum adinstar hæc *inflammatoria intermittens* cum periculo viscus periodice invadat: præmissis, pro morbi violentia, aut generali vasorum participatione, venæsectionibus; mox ad corticem, ut in illis febribus, descendendum.

§. 71. Si hæc ipsa febris gastrico fomiti conjuncta fuerit (§§. 56. 68.), primum quidem in venæsectione subsidium quærendum est: quæ pro majori cordis, arteriarumque reactione, vel pro affecti visceris nobilitate, abundantius, nec tamen sine omni ad latentem in abdomine saburram habita ratione, instituitur. Ejusdem effectus secundant remedia & potulenta superius (§. 70.) laudata, & illa ipsa, quæ in febre *intermittente gastrica* proposita sunt, resolventia (§. 59.), in quam nempe morbus, de quo Complicatæ.

nunc agimus, conversus, emeticorum, purgantiumque ope pertractandus (§§. 59. 60. 61.); & nisi his ipsis febris fugetur, ut *simplex nervosa* (§§. 39. 40. 41. 42.) jugulanda est.

ORDO II.

FEBRIS CONTINUA.

Notio continuæ.

§. 72. Quæ febres ægrotum, quem semel prehenderunt, perpetuo detinent, donec vel in sanitatem, vel in mortem, vel alium in morbum, terminentur: illæ, *continuæ* medicis appellantur, & diversam a *periodicis* familiam offerunt, etsi hæ ipsæ, ut morborum fere omnium, sic & *continuarum*, larvam, non raro assumant (§§. 22. 33.).

Ejusdem grad.

§. 73. *Continuas* cum dicimus, non certe æqualem semper morbi vigorem intelligimus: qui tum ipsa sui natura, ab *invasione* symptomata intendit: donec ad summum, quod *acmen* vocant, fastigium perveniat; ab hoc vero, citiori, lentiorique passu ad decrementum, finemque suum pertingat. Nec *continuati* itineris, viator, qui passus interdum moratur, honorem amittit; aut febris, quæ igne non semper æquali, sed tamen nunquam extinto, deflagrat, *continua* non dici meretur. Febrem adverso in sensu continuam, quam *continentem* scholæ dixerunt, nec nos quidem conspeximus unquam (§. 9.), & ardentissima quævis inducias homini aliquas concedit.

Exacerbatio, remissio.

§. 74. Has vero, quas in *periodicis intermittentibus* ob majorem quietis evidentiam, *apyrexias*; -- in *con-*

tinuis, *remissiones* appellant; a *paroxysmis* vero illarum, ingravescentis morbi impetus *exacerbationum* titulo distinguunt: quæ nunc, temporis rationem aliquam observantes, *regulares*, -- nunc vero *anticipantes*, *subintrantes*, *subcontinuæ* (§. 33.), *retardantes*, *anomalarum* febrium nomine salutantur.

Continua remittens.

§. 75. Nec tamen inutile est, *continuas*, quæ sensibiliori modo *remittunt*, ab illis, quæ sine magnis induciis ægrotos premunt, distinguere; illasque *continuas remittentes*, has vero, simplici *continuæ*, nomine vocare; quin igitur quascunque *remittentes continuas* mox ad *periodicæ intermittentis* familiam, cum eximii nominis viris, referre, aut ab hac, illas, quæ magis *continuant*, excludere liceat, Neque enim, quæ *anticipant*, *remittentes*, ad illam constanter familiam spectare, neque *continentem* vix non tertianam duplicem, inflammatoriam (§. 67.) periodicarum progeniem exuere, docent sæpenumero manifestæ corticis, in illis porrecti noxæ, & hujus, post emissum sanguinem in remittentem prius, deinde in veram *intermittentem*, hoc febrifugo facile jugulandam, transmutatio. *Remittentes* quidem febres in periodicas *intermittentes* sponte interdum abire, non *unicam* illarum ex istis originem comprobat: cum & alii, diversissimi ab *intermittentibus* morbi, non raro in has ipsas, atque *periodicæ* in illos, convertantur.

Remittent orico periodica.

§. 76. Interim, si favente *intermittentibus* cœlo aut constitutione, si, his ipsis copiose intercurrentibus, vel frequentius in periodicas conversis aliis jam observatis *acutis*, si quæ signa *intermittentes* quam maxime circumdant (§. 23.); ea in *continua remittente* imprimis tali, quæ *subintrans*, aut illa, quæ *subcontinua* dicta est (§. 33.), & epidemice pro-

greditur, observentur: non inanis suspicio nascitur, eandem ex tribu *periodicarum*, ad *continuarum* castra transfugisse.

Remittentium species. §. 77. Vel legitima, vel spuria fuerit *continua* remittens (§§. 75. 76.), imprimis vero in ultima; exacerbationes nunc quotidie affligunt (amphimerina;) nunc alternis (Tritæophia); nunc singulis quidem diebus, sed alternis sibi respondentibus (hemitritæus) intenduntur; nunc vero, quod a nobis quidem conspectum hucusque non fuit, quarta quavis die (Tetartophya) repullulant. Nec tamen ideo tam diversa exhinc *remittentis* natura redditur, ut cum veteribus, in tot genera morborum eandem dividere fas sit; nec apud hos ipsos *hemitritæus* constantem obtinuit significatum; nec ipsis adeo lentis, tabificisque febribus ejusmodi exacerbationes deesse observantur.

Diversitas causæ. §. 78. Qui *continuarum remittentiumque* differentias ex causæ latentis sede definire conantur, illi has ultimas, plerumque minus occultas, in primis præcipue viis delitescere; — quo magis vero *continenti* febris accedat, eo intimius cum sanguine remixtas supposuerunt. Sed ipsæ, quæ maxime remittunt, febres cachecticæ, suppuratoriæ, cum primarum integritate viarum sæpissime incedunt; febris ipsa inflammatoria periodos interdum, nec raro exacerbationes, sine ulla saburræ suspicione, experitur; & febris nervosa (§. 80.) easdem, absente abdominis vitio, nequaquam excludit.

Divisio. §. 79. Non tamen ideo causarum febrilium natura ac sedes, in *continuarum* divisione, maximum offerre desinunt momentum; & nota illarum, distincta-

que satis inter se sympto mata, ad has ipsas, oculis licet occultas, conclude re omnino permittunt. Quemadmodum vero de *periodicis intermittentibus* dictum est: sic & *continua* febris, vel *nervosa*, vel *gastrica*, vel *inflammatoria* dici meretur.

ORD. II. GEN. I.

FEBRIS CONTINUA NERVOSA.

§. 80. Febris *continua*, quæ ob causas sensibus occultas, subtiliori principio agentes, & imprimis systemati nervoso infensas, accenditur, *nervosa* nobis, aliis *maligna*, & interdum *pestilentialis*, audit. Notio hujus febris.

§. 81. Diverso sub aspectu hæc febris, nunc sporadica, nunc vero late per provincias dispersa, comparet. Effectus nunc celerrimo passu funestos edit, *pestis* symptomatibus mortales consternens, cumulatimque prostratos interimens; quod quidem vel paucorum intervallo minutorum, subitaneæ mortis spectaculo; vel unius, alteriusve diei curriculo, sub *Ephemeræ malignissimæ* specie, visa est præstitisse. Alias cum intermittentium causis coire, *perniciosasque*, concessis per horas, diesque induciis, producere diximus (§. 31.). Frequentius continuitate quadam, per plures extensa dies, invadit: tuncque, vel nervorum potissimum, motuumque turbas, — vel vitalis fontem principii, sensibilitatem æque, ac irritabilitatem aggreditur: *nervosæ*, & (hypothetico prorsus vocabulo) *putridæ febris* denominatione, non firmis satis rationibus, distincta. Cum nulla *continuæ* causa connubium respuens hæc febris, cum *gastricis* Variæ spec.

frequentius copulatur, ipsasque *inflammatorias*, topicasque inflammationes interdum inquinat: pro multiplici, quo produci, propagari, grassari solo observatur, *navalis*, *carceralis*, *castrensis*, *nosocomialis*, eaque vel *simplex*, vel *complicata* a Scriptoribus compellata. Nec acutioris semper febris in modum incedere; sed lento, diuturnoque satis passu, ad hebdomadas extendi, atque non minus quam illa, epidemice divagari observatur.

Character generalis.

§. 82. Invadit autem hæc febris sexum, ætatem, constitutionem quamcumque. Interdum certas inter animalium cæterorum species similia fere præcedunt, comitantur febrium istarum epidemias; interdum ad genus humanum strages limitatur. Vix aliorum symptoma morborum existit, quod sæpe hac febre prehensos non illico circumdet; sed nunc insidias occulte struit; nunc aperte pericula minitat, hoc solo pernoscenda, quod, vitali imprimis infestæ systemati, causarum nexus deesse videatur; & sine ordine decurrant symptomata, & cum febris violentia nequaquam correspondeant; quodve nervosum imprimis systema vel de majori, & in motus irregulares prona sensilitate, vel de singulari stupore & inertia participet.

Pestis.

§. 83. Felix inexperientia *Pestem* hic fusius a nobis describi vetat: aliorum interim observata hanc ipsam pro morbo *non uno*, sed multiplici, cum hac ipsa, de qua loquimur, febre, in summo gradu conjuncto declarare sinunt. Non quidem in omnibus, quos *Pestis* tenuit, pulsus magnitudinem febris indicavit; fueruntque plures, quibus arteriæ non celerius, quam in sanitate saliebant; sed infidum febrium hae signum sistunt (§. *b. c.*); et in *nervosis*, natu-

ralibus non frequentiores, sed interdum adeo pauciores pulsus esse, non infrequens docet observatio. Febris igitur, ex subitanea virium, eaque insigni protinus, dejectione, morositate, tristitia, desperatione, anxietate præcordiorum summa, & insigni faciei a pristina, mutatione, lumborum dolore, aliisque dijudicanda. Ast neque his interdum locus fuisse, sed ægrotans, primo jam insultu, apoplectica quasi morte ereptus refertur. Alias derepente brevi, ac vehemente rigore cum caloribus alternante, morbus inchoatur; calor ipse, interna magis adurens, ad corporis superficiem celeriter evanescit, eamque frigidam, algidamque relinquit (Lypiria veterum). Pulsus nunc celerrimi, duri; nunc exilissimi, inæquales; oculi rubentes, feroces; dolores capitis gravativi, hebetudo vertiginosa, interdum cephalæa insignis; deliria; lingua siccissima, livescens, cum siti aut nulla, aut non fallenda; dolores fugaces, momentanei, in partibus glandulosis et musculis majoribus punctorii; vomituritio inanis, aut æruginosæ bilis ejectio; respiratio anhelosa; jactatio. Sub his vero communioribus *pestis* symptomatibus, mox primis morbi diebus aut petechiæ latiores, copiosæ, aut maculæ purpureæ, lividæ, subnigræ, indolentes, aut vibices, superficiem corporis occupant; aut post celeriorem fortassis interitum, a morte demum prorumpunt. Hucusque dubia epidemiæ insurgentis natura comparet medico copiosis funeribus territo: ut pro febre *petechiali*, alia, facile declaret; donec aucto sensim regnantis morbi furore, incertis morbi vix incipientis diebus, aut *bubonum*, aut *carbunculorum* sive *anthracum*, aut *parotidum* denique, & frequentissimæ mortis apparitio, funestissimæ luis communiora quidem, nec tamen absolute necessaria, prodant symptomata.

Bubo pestil. Est autem *bubo pestilens* glandularum nunc inguinalium, nunc axillarium, cervicalium, aliarum, ex genere lymphaticarum, tumor inflammatorius, profunde latens, dolensque, sensim sensimque, pro virium ratione, aut elevandus, aut mox iterum disparens, interdum suppuratione, cum felici quidem exitu, sæpius gangræna, consumendus.

Carbunculus pest. *Carbunculus*, seu *anthrax pestilens*, tumorem durum, ardentem, summeque inflammatum, in quavis fere corporis externa parte propullulantem, ex pustula exigua celeriter increscentem, sistit: in cujus apice, soluta a cute epidermide, aut uno, aut pluribus in locis, papula nunc minor, nunc major, liquore flavescente, rubello, livido, tandem nigro, repleta exsurgit: sub qua tum cutis, tum ipsa interdum musculorum caro depascitur, emoriturque.

Parotis. Glandularum lymphaticarum circa aures & salivalem fontem positarum, raro hujus ipsius, tumor durus, inæqualis, inflammatus, plus minus dolens, rubro, aut livido colore notatus, aut pallidus, *Parotidem* pestilentialem exhibet: quæ nunc absque suppuratione inopinato evanescit; nunc suppuratur, induratur; nunc vero in gangrænam citissime transit.

Hæc singula vel incipiente vix morbo in conspectum venire, vel paulo etiam tardius comparere, crisinque subinde constituere observantur. Interim quo tempore plures cum bubonibus carbunculisque decedunt, alii sine his eandem viam, eodem morbo extincti, legunt. In *Atheniensium* peste, & in illa, quæ Europam, Asiamque sub *Marco Aurelio* devastavit, bubones, aut carbunculi nunquam, sed extremitatum gangrænæ, comparebant. Neque bubones, aut parotides in aliis morbis, pestem violentia non æquantibus, interdum non observantur; et anthraces frequenter in illis præcipue vidimus, qui ob come-

stam animalium, morbis enectorum, carnem, in acutam febrem inciderant, minime tamen *pestilentialem*.

§. 84. Febris vero, quam, ut pesti affinem, *pestilentialem* vocarunt, si solam, qua minor est, ferociam, majoremque frequentiam excipiamus, cum illa (§. 83.), vel cum febre (§§. 87. 88.) describenda, fortioribus symptomatibus notata, convenit; nec ulla inter has omnes *nervosæ* species, quam ad gradum violentiæ, ponenda est differentia. Bubonum, carbunculorum, parotidum in peste naturam, ab illa, quam in *pestilentiali febre* observant, constanti ratione distinguere nequimus. Febris pestil.

§. 85. Nec *Ephemera* summe maligna (§. 81.), quæ, seculo sub finem vergente decimo quinto, Britanniam magnam, posthinc vero insignem Europæ partem devastavit, pestis nomine certe haud indigna, vel bubones, vel carbunculos, -- sed solos *sudores*, brevissimo tempore colliquantes (Elodes veterum) pro potiori symptomate agnovit. Hæc enim *Ephemera* sudatoria, non raro ad plures utique dies *protracta*, post horrorem, vel quasi auræ per membra decurrentis sensum, calore invadens, mox continuis, fœtidissimisque sudoribus, sub virium insigni prostratione, inquietudine, anxietate, timore, desperatione, deliquiis, internorum æstu, vertigine, cephalæa, sopore, convulsionibus, cordis palpitationibus, pulsuque frequenti, inæquali, cutem adeo inundabat, ut primo jam die, aut quinto, aut septimo, innumeros jugulaverit. Nec similes desunt, quarum una nec inflammatoriam quidem recusavit indolem, epidemiæ, in quibus, sub manifestis *nervosæ* febris symptomatibus, potissimam *sudor* partem habebat: qui & ipsi adeo intermittenti febri non- Ephemera maligna.

nunquam perniciosam conciliat indolem (Perniciosa Diaphoretica) .

Nervosæ aliæ.

§. 86. Ubi non *pestilentiali* quidem, sed tamen consueta, hæc febris mortales invadit ferocia (§.81.): tunc symptomata, pro subjectis, causæ, & regnantis epidemiæ diversitate, vel de nervorum potissimum turbis testantur; vel vitalis principii energiam quam maxime labefactatam ostendunt .

Nervosa versatilis.

§. 87. Ac in primo quidem casu, vix a recepta morbi causa, vel post aliquos ab hac ipsa dies, ægrotus plumbeam mox artuum lassitudinem & torporem pusillanimis, morosus, tristisque persentit, suspirat, interdum lacrymatur. Vidimus tamen, qui loquaces insolito, & cum risu cantuque alto, citissime hoc ex morbo perierunt; alios, qui lecto tardius affixi, per plures dies erecti, & cum morbo luctantes incedebant, aut de virium jactura vix multum querebantur; horrores vagis caloribus intercurrentes, lumborum, articulationum, capitis dolores, vertigines, hebetudo, præcordiorum temporumque pulsationes, nausea, vomituritio, sudores nocturni, succedunt. Magna vero in omnibus contradictio: a motu, vel jam a sola corporis erectione, sine prægressis evacuationibus, deliquia; & arteriis licet exilibus, tardisve, aut parum citioribus, contractis, tensisque, tacita, & interdum furiosa deliria, quæ, alias sub febre quam maxime conspicua, vel minime comparent; cum jactationibus, vigiliis, soporibus mixta erumpunt. Oculorum splendor imminutus; aut fulgent, unique objecto fixi inhærent, dolent, punguntur, trahuntur bulbi; manuum tremor & concussio levis, vox acuta, vel rauca; lingua albescens, aut sicca, cum siti perpauca, vel & liquidorum

aversione, aut horrore; vel denique naturalis & tremula; screatio, sputatio frequens, spumosa; urinæ multæ, pellucidæ, aquosæ, lacteæ, aut denique furfuraceæ; alvus nunc tarda, nunc cum ipsis urinis involuntaria. Interdum violens abdominis dolor, dysuria, singultus, dysentericus fluxus, cum intestinorum gangræna. Aurium sensus nunc obtusus, nunc acutissimus; respiratio anxia, suspiriosa, aut difficilis. Pulsuum sub morbi decursu variabilitas summa: ut arteriæ, nunc satis plenæ, atque æquales, post brevem moram exiles, vacillantes, intermittentes, sub digitis vix non evanescant. Interim sub moderato cutis calore aut sudor copiosus, aut siccitas pergamena: cum vario exanthemate, peticulari, miliari, jam sub ipso morbi principio, aut incertis temporibus efflorescente. Aut denique periculosa e naribus, utero, renibus, intestinis, hæmorrhagia, aut vibices, lividæque cutis maculæ, aut ad inguina, axillas, bubones, ad aurem parotis, aut ad oris cavum ulcuscula fœda, nigrescentia, comparent. Interdum, prægresso violentissimo ad hanc vel illam corporis partem dolore, post paucas horas rubor, livedo, gangræna, sphacelusque in conspectum prodit. In genere, vix quarta, vel septima morbi transacta die, extrema jam virium prostratio, lipothymiæ frequentes, convulsio, tetanus, sudores viscidi, frigidi, anxietas magna, perdifficilis respiratio, -- subinde, nec ullo sese, quod medentis attentionem feriret, manifestante symptomate, mors improvisa scenam claudit.

Qui vero hac ex febre vel per auctam cutis, tunc mollescentis & vaporosæ, transpirationem, lenesque sudores, vel per abscessus, vel modo minus patente, saluti restituuntur: illi per longum tempus amissas vix recuperare queunt vires, ac mente non

minus, quam corpore, diutius hebescunt, præteritorum cum difficultate recordantur, & fatuitate quadam amicos, restitutis viribus sponte cessatura, terrent.

Nervosa stupida. §. 88. Interdum nervorum turbæ non principem habere locum (§. 86.), sed sensuum motuumque magis *stupor*, quam aucta, vel mutata agilitas & directio, adesse observantur. Est interim major in parte, quæ a morbi causa obsidetur, & in ipsius ægrotantis natura, quam in eo, quod morbum producit, differentia.

Incipit nempe & hæc *febris nervosæ* species cum magno virium languore, lassitudine ulcerosa, anorexia, ore sicco, vel mucoso, nausea, vomituritione, vomitu ipso, capitis gravitate, obnubilatione, temulentia, dolore, animi mœrore, vel stupida ad quævis indifferentia, horroribus, vagis ignibus intermixtis: quæ singula interdum (nam & celeriori pede alias malum orditur) ægrotantem lecto per dies necdum figunt, donec aucta post paucos dies ægritudine, victas eidem manus tradat, & jam gravissimo laborare malo observetur. Pulsus hic vix suppressi, sed frequentes, & in multis sat pleni, ut pro inflammatorii signo morbi incautis facile imponat: imprimis si, quod sæpius contingit, rheumatica, catarrhalia ad nares, faucesque symptomata fallaci morbum velo circumambiant. Vix autem emisso liberius sanguine, aut sano prorsus simili, aut coccineo, aut levi adeo obtecto corio, aut, quod vix a febris observatur principio, jam aliquomodo dissoluto, -- vel & sponte post aliquot dies arteria concidit, mollescit, cruorisque sub digitis diffluere unda videtur. Interea manuum continuo augetur tremor, subsiliuntque hinc inde tendines, ægrotans facie ruber, ge-

nis fere lividis, soporosus, morbi gravitatem vix quidem internoscit, insomniis turbatur, &, si paucos excipiamus, delirat; aurium susurrus continui, aut gravis ad utranque loquelæ perceptio. Ad noctem symptomata manifeste satis augentur, & alternis interdum diebus violentia respondent, pro *subcontinua periodica* facile impositura. Calor non raro naturalem vix superans, sæpe manifeste acer, digitosque urens, siccus, cum pulsu tantos quidem ignes, celeritate sua ac impetu, nequaquam accusante, interdum naturalibus vix frequentiori, interdum celeri, semper vero parum certe constanti. Aliis continuus, viscidus, vapidumque spirans acetum sudor cutem macerat, & jam primis morbi initiis peticulæ ubertim, sine hujus levamine, comparent. Interea gastricorum symptomatum apparatus, ut primæ invasionis effectus, morbique notabilis remissio disparuit; augentur surditas, aurium tinnitus, susurrus, ægrotis molesti, stupor; oculi rubent ac lacrymantur, nares obturatæ, quasi fumo nigricantes, dentes sedimento viscido, labra squamis brunis, subnigris conspurcata; aridissima, tremensque lingua, aut ore protendi, jussa, nequit; aut exserta, ab ægrotante rerum oblito vix retrahitur; interdum carni crudæ simillima rubet; interdum naturaliter constituta madet, tenui flavescente muco oblinita. Sitis sæpe magna; alias nulla, nisi vini, quod plures anxie appetunt. Cum cute sicca, diarrhœa non raro incedit. Urinæ inæquales; nunc crudæ & aquosæ, nunc flammeæ, rubescentes, nunc brunæ, crassæ, furfuraceæ; nunc cum nubecula in medio suspensa. Sed mox sphincterum infrangitur officium: primum quidem vesica, dein anus, olidissimas fæces dormientibus elabi sidunt; mox vero vigilantibus, insciis, similia contingunt; nec rarum est, lotis hac in febre excretionem

intercipi, & aucto vesicæ urinalis volumine suspendi, vel simul in se ipsos mingere ægrotantes, & retentione urinæ laborare. Decubitus in dorsum, divaricatis inverecunde cruribus, devoluto ad pedes corpore fere plumbeo. Facies nunc quasi lutea, aut impuro glutine oblita; continua manuum captandis in aere objectis absentibus, vel stragulis in unum coacervandis, agitatio; fugiendi conatus impotens; & continua sub somnia mussitatio; oculorum post palpebras inversio terrifica, temporum collapsus, acutique nasus, ac aurium incipiens frigus. Sed quo debilior nunc pulsus, & quo major virium vitalium dejectio est; eo magis deliria, stuporque crescunt, sudores glutinosi, fœtidique augentur. Interea cum fœcum liquidarum, olidissimarum frequenti in lectum secessu, ventris meteorismus insurgit, & subinde singultus. Quæ superficiem defœdant peticulæ, aut maculæ, lividiorem colorem assumunt. Nigrescentes in binis ægrotantibus manus conspeximus. Interdum sanguis copiosus per nares, aliasque vias, dissolutus prorumpit; pulsus exilissimi, inæquales, respiratio nunc tandem difficilior, lipothymiæ, gangrænæ partiales ex decubitu, extremitatum frigus, convulsio, mors.

Qui vero longioris interdum morbi violentiæ resistunt, illi sub signis (§. 87.) recensitis insensibilem in modum restituuntur, & sub vaporosis sudoribus, cutem carnesque tractabiles, molles, minusque urentes ostendunt; madescit lingua, auriumque, surdarum licet, susurrus disparent; increscunt pulsus, mollisque unda arteriam æquali rithmo attollit. Sequuntur nunc somni placidiores, reficientes, & oblatum ægrotus cibum minus abhorret. Interdum per gangrænam, aliasque metastases, rarius post asphyxiæ speciem, citior in salutem transitus ob-

servatur. Tardius vero omnes convalescunt (§. 87.).

§. 89. Frequentior his febribus abdominali cum fomite complicatio est (§. 81.): quam signa tum (§. 55.) descripta, tum alibi (§. 103.) tradenda causarum denique, ac annuæ constitutionis attenta consideratio, cavendo ne symptomatica ventriculi affectio pro saburralis materiæ indicio habeatur, manifestabunt. Complicatio gastrica.

§. 90. Cum *inflammatoriæ* quidem febris symptomatibus nervosarum causæ rarius combinantur; sed cum *inflammatione locali* conjungi, minime rarum est. Nec enim hæc ipsa aut febrem absolute requirit; aut si eandem pro comite habeat, *inflammatoriam* continuo agnoscit. Pestis ipsa utriusque exemplum rei largitur: illa enim, rarissime licet, inflammatoriam aperte tenuit nervosæ febris naturam, sanguinisque missionibus cessit interdum. Sed hæc ipsa lues, cum ejusdem vel minime particeps, & vix non febre carere videretur, carbunculorum, bubonumque manifestam, licet *malignam*, *inflammationem* ostendit. Atqui hoc ultimum *nervosæ febris* cum erysipelate, phlegmoneque tam infelix connubium, in cerebri, faucium, pulmonum, ventriculi, intestinorum, hepatis, uteri, aliisque inflammationibus, -- in variolis, erysipelate, dysenteriis &c., in magnis hominum, imprimis impurorum, societatibus, in castris, carceribus, navibus, xenodochiis, domibusque angustis; toties occurrit, ut, licet frequens non sit *nervosa ac inflammatoria febris*, sæpe tamen illa cum *inflammatione maligna* ægrotos pessundet. Complicatio inflammat.

Inflammatoriam *nervosa* subinde naturam assumit in juvenili, plethoricoque corpore; quin hic de si-

mulata, quam sola interdum cruoris his in subjectis abundantia inducit, malignitate sermo esse queat. Eandem interdum assumet, si cum acri rheumatico, catarrhali conjuncta *nervosæ* causa incedat; aut si præsenti morbo inflammatorio, aut ipsi demum inflammationi, nosocomialis superaccedat infectio, quæ tamen prona in phlegmones dispositio post paucos dies disparebit, et non nisi ipso morbi principio ab expertis pro tali curari potest.

Nec tamen sibi quisquam a summis furiosisque hinc inde deliriis, capitisque doloribus, hac in febre, pro latente in encephalo inflammatione imponi sinat! Fallacitatis quamplurimum hic latet. Nec aliter cum *Paraphrenitide*, *Typhode*, *Epiala*, *Assode* veterum, rem se habere observamus: quæ vix non semper ad *nervosam*, aut malignam febrem pertinent, cum abdominalium viscerum inflammatione nonnunquam conjunctam.

Nervosa lenta.

§. 91. Alia demum *febris nervosa* habetur, quæ ob tardiorem ingressum *lenta* vocatur (§. 81.), ab *acuta* vix nisi minoris vehementiæ ratione, ac sua diuturnitate, distinguenda. Oritur hæc, interdum epidemice, post calidam, humidamque tempestatem, in locis profunde positis, ac uliginosis. Invadit illos præ aliis, qui sensiliori nervo instructi, pathematibus deprimentibus in longum vexantur; aut qui vino, ac nutriente satis alimento diutius privati fuerunt. Symptomata hujus febris tam mite incedunt, ut ex illorum consideratione pericula portendi nulla videantur: sed singula nervosum systema, et quæ ab hoc quamproxime pendent, potissimum atque ita quidem afficiunt, ut nunc major, nunc minor compareat sensibilitatis ac irritabilitatis ratio; nunc vero una ex his a naturali quam maxime abludat. Ac primo qui-

dem digestionis opus difficulter absolvi, flatus, ventriculi ardor, anorexia, et acidi corruptique liquoris eructatio, observantur. Alvus aut tardior, cum abdominis dolore, aut est laxa atque profusa. Solida fere flaccescunt; vertigo, occipitis dolor per orbitas oculorum quasi extensus, temporum adstrictio, dyspnoea, oscitatio, palpitatio cordis, lassitudo continuo aucta, mœstitia, suspiria, lacrymatio, anxietas, solitudinis amor, et summa interdum irritabilitas; calores vagi, ita ut nunc facies intensius rubeat; caleat; mox, aspectu fere mutato, pallescat, subsideatque; nunc manus, nunc aliæ partes urant, qui calores partiales levibus frequenter horroribus intersecantur. Pulsus debilis, frequens, inæqualis, aut tremulus, ac intermittens; subinde contractus, atque durus. Interea ægrotantes vix nisi post sat multos dies, aut post duas adeo hebdomadas, lecto affiguntur: quod si contingat, debilitas sat magna jam observatur, ut vel stantes vel genubus innixi, vel a simplici pediluvio, deliquium animi patiantur. Ad noctem symptomata, calor, dyspnoea, frequentia pulsus, augentur; vigiliæ, insomnia prementes; dolores quasi rheumatici hinc illinc erumpunt, et pro pleuritide, pro rheumate facile imponunt. Urina utplurimum pallida, serosa; aut leviter tincta, cum levi furfure fundum non attingente; aut, rarius, crassa, cum inspersa quasi farina.

Nunc novum aliquando, validumque frigus, aut levis horror accedit; vomituritio, vomitus interdum, imprimis vero tremores generales, partiales, observantur. Calor nunc, exterius vix conspicuus, inæqualis et fugax accusatur. Pulsus interdiu naturalibus sæpe vix frequentiores, aut etiam tardiores, donec ingravescente in dies morbo, pericula, primum abscondita, nimis patefiant. Lingua vix nisi in me-

dio sicca; sitis cum oris siccitate nulla; aut, sine hac, præmagna; interdum deglutitio læditur; tinniunt aures, oculi lucis impatientes, pavores, pusillanimitas, desperatio, desipientia, ac tacita deliria, rarius furiosa, floccorum venatio, cum pulsu turbas has minime indicante, maxime variabili. Vigiliæ augentur, aut oculis semiapertis, super dorso procumbentes, mussitant; quæstionibus vel ob stupiditatem, vel ob gravem auditum, lente respondent. Nec desunt levia convulsionum vestigia, tendinum subsultus, distorsio oris, manusque unius contractio, incurvatio. Jam senescente morbo, diarrhœa aquosa, aut sudor, et cum hoc exanthema multiplex, sine ullo morbi levamine, et virium potius jactura, succedunt; aut aphthæ oris cavum undique obducunt; pulsus jamjam celeritate ac debilitate increscunt; oculorum color fere immutatus, peralbus, cornea interdum quasi collapsa, atque facies ex cinereo pallida observatur, et in rugas collabitur. Sub finem morbi lethalis, sudores viscidi, frigescentes laxissimam cutem undique perfluunt; augetur sopor, lethargo vicinus, secedunt alvus, urinæ; subsultus tendinum frequentiores, dysponea magna, convulsio, vicinam mortem annunciant. Sunt qui, diutissime hac ex febre detenti, in phthisin tandem, febrimque hecticam præcipitantur. Qui mortem ipsam aufugiunt, vix manifesta crisi salvantur, et dissipato post vigesimum fere diem, aut tardius aliquando, evidenti periculo, redeuntibus somno ciborumque desiderio, nec non sub repetitis sudoribus vaporosis, aut ptyalismo, aut gangræna vix fœtente ad coxas, *lentissime*, — vel interdum subitanea quasi, nec intellecta *celeritate*, reconvalescunt.

Est vero et huic *febris nervosæ* speciei sua cum gastricis saburris, cum inflammatoria constitutione, aut

denique cum ipsa inflammatione, vel et cum rheumatica, aut catarrhali affectione, complicatio, quam signa alibi exposita (§§. 55. 81. 89. 90.) manifestabunt.

§. 92. Si febrium hucusque descriptarum (§§. 80. -- 91.) humano intellectu causas attingere valeamus: licebit easdem in principio quærere, quod præcipue in locis, quæ animalium exhalationibus inquinantur, in futuros mortalium interitus præparatur. In quo hoc principium consistat, difficulter, si unquam, eruetur; nec aer, qui eidem pro vehiculo est, hoc ipso licet quam maxime imprægnatus, cognitorum beneficio instrumentorum, ab alio, insonti, diversus monstratur. *Putridam* causæ istius naturam supposuerunt, qui in putrescente animalium exhalatione illud ipsum, quod nervos invadat, quærendum esse existimarunt; hancque opinionem videbantur *putridi* in fibram animalem, ac in ipsum sanguinem effectus quodammodo confirmare. Sed principiorum sub hac corporum decompositione emanantium, in putrido non limitatur indoles; neque hujus, copiosiori vehiculo diluti, tam venenosa est qualitas: ut vel aperto in aere, sanissimum hominem, quasi fulminis ictus, lethalem in morbum prosternere queat. Ipsum adeo *alkali volatile*, odoratus nervis admotum, lipothymia correptos promptissime restituit; ac in ipsa febre nervosa (§. 88.), quam *putridam* vocant, cordis vires potenter attollit. Nec *putridum* tam ubique animali corpori est infensum, quin ipsa natura cuivis ex istis non parvum fœtentissimæ materiæ receptaculum vel ipsi stomacho submiserit; ex hac ipsa, nutrientes particulas, œconomica certe resorptione, sollicite colligat; ac, sine *putridi* submixti timore, in usus suos, physiologis vis satis perspectos, quoti-

Causæ feb. nervos.

die convertat. Ipsa quidem humana species, rapacium exemplo animalium, ex *putridis* alimenta non quærit: ast vero, necessitate coacta, vel consuetudine indurata, tùm carnem, tum pisces putredinem longe spirantes, absque *putridi* fornidine morbi, audacter devorat. Innumeræ opificum familiæ vitam putridissimas inter exhalationes sanam ducunt; & fœtidissimum in cruribus ulcus, per annos acerrimam fundere saniem, *nervosam* tamen febrem inducere vix observatur.

Ex his apparet, illud ipsum, quod nervosam febrem progenerat, non tam semper in *putrido*, quam in alio huic ipsi facile commixto, ignoto licet, ac venenorum modo agente, principio consistere: quod nervoso, vitalique systemati præprimis infensum, pro varia tum sui, tum recipientis subjecti, regnantisque constitutionis natura, diversissimos in sensili machina effectus, nunc *excitantes*, nunc vero *deprimentes* inducat: quos illis non inepte similes quodammodo dixerunt, quos ex *Nicotianæ* fumo, in hominibus eidem necdum assuetis, in nervos edi observamus.

Et revera tantos hoc principium corpori vix admotum tumultus mox stomacho infert (§§. 83. 87. 88. 91.), ut vel fortiora in eodem venena majores vix suscitent. Nec major fere in istis, quam in ipso *nervosæ* principio, expellendis, *emeticorum* virtus est: si, priusquam diffundatur infectio, promptissime propinentur: quo in ultimo tamen casu, *sudoriferorum* non minor in eliminando veneno efficacia observatur. Atque ex hoc quidem ad majorem ejusdem materiæ subtilitatem, ac volatilem naturam, concludere liceret; nisi variorum morborum seminia, effectus interdum tardiores, *immutata*, exsererent; atque ipsius demum *pestis*, ac *variolarum* contagia, rebus etiam inanimatis pertinacius adhæsisse, observatio doceret.

Sed hic est, ubi eximii in arte viri, *contagia* ad paucissimos morbos restringere, solisque *variolis*, *morbillis*, *scabiei*, ac *lui venereæ*, concedere maluerunt. Amicæ tamen umbræ pace dicamus, nos latius eheu! diffusam *contagiorum* agnoscere potestatem. Ut enim & *caninæ rabiei*, & *lepræ* certiora contagia hic prætereamus; quid in illis morbis veneni animalis communicationi faveret, quod in aliis populariter grassantibus non sæpius favere valeat, vix perspici potest. Vegetabilium quidem, animaliumque in modum, per *semina* morbos propagari, non videtur: sed quæ sub horum decursu præparatur, infensa vitæ, *contagii* materia, hæc in aliud prædispositum corpus delata, eosdem huic in solidis motus, liquidorum easdem, mysterii plenas, sed observationibus nimis confirmatas, aberrationes conciliat. Nec minor difficultas in eo est: cur rabiosi canis saliva per menses sub cute humana jacere sepulta, demum ejusdem effectus morbi, idemque, communicabile aliis, venenum valeat generare; quam quod pestis, febrisque carceralis contagia, sub certis circumstantiis præparari, vestibusque, aut aliis rebus suscepta, post non tam breve tempus in alios transferri æqualiter possint. Contagia.

Errorem hoc in judicio subrepere, ex eo quidem facillimum esse concedimus lubenter: quod ex morbi *epidemici* causa, late per populum extensa, ille in plurimos simul, sine ullius contagiosæ materiæ concursu, grassari queat; est tamen præsidium in pestiferorum, — est in locorum, ubi morbi, ob contagia suspecti, vigent, — est in rerum ab ægrotantibus tractatarum solicita fuga, positum omne: nec aliter leges a *pestis*, quam a *variolarum* contagio præservant.

Animale igitur productum *nervosæ* febris contagia sistunt; & tam in ægrotantium variorum corpore,

quam in atmosphæra, plurimorum exhalationibus inquinata, favente anni constitutione, generantur. Quod si tamen has ipsas vel *putridas* esse, vel in putridas facile abire, ex analogia concedamus; fateri tamen oportet, hoc *putridum* sæpius pro *vehiculo*, & *socia* contagiis *materia*, quam pro ipso *contagio*, esse habendum. Nec effectus, in ægrotantium corpore, sub fine magis, quam sub initio morbi, conspicui, *putridam* esse ægritudinis causam, magis convincunt; aut ex alio fonte, quam putrido, explicari non possunt. Certe ex sudoris non magis, quam ex animæ, ex pedum, axillarum, fonticulorumque in multis, sanissimis cæterum hominibus, fœtore, ad putridam sanguinis decompositionem concludi potest; nec omnia, quæ male olent, ob *putridum* olere, asseremus. Apparens sanguinis his in morbis *dissolutio*, nec constans ubique est; nec ipsa, nec hæmorrhagiæ, nec exanthemata, ex alia, quam *putrida* causa pendere non possunt. Si citius, quam alia, defunctorum hoc ex morbo cadavera putrescant; hoc ipsum, si aliqualem in eodem ad futuram dissolutionem adesse dispositionem convincat: *vivos* tamen, & cum sanguine per vasa circulante, jam *imputruisse*, nequaquam inde inferre licet. Ex *Peruviani* corticis virtute, magis quidem in febre (§. 88.), quam *putridam* cognominant, quam in *nervosa versatili* (§. 87.), proficua, ad *antisepticam* ejusdem agendi rationem præmature conclusum est: cum majora, quam hic cortex, antiseptica, in eodem morbo parum, aut nihil proficere, — & alia, quæ *septicis* potius adnumerantur, remedia, cantharides, salesque volatiles alkalinos, quamplurimum præstitisse, observatione edocti, profiteamur.

Sed, si ex communi *contagiorum* actione, eorundem ex *putrido* ut statuamus originem, non inducamur; opor-

tet tamen, ut pro morborum diversitate, et ipsa differat eorundem natura; utque unum præ alio in certas corporis partes invehendo, propria cuivis symptomata, quadam fere necessitate, inducat. Sic nervosæ febris contagia, quam maxime in *sensilitatis*, ac *irritabilitatis* organa furere, ac nervorum in partes sibi subjectas imperium nunc augere, nunc deprimere, nunc vero subvertere consuescunt. Sic *morbillosum* virus tum oculis, tum faucium, narium, pulmonumque *membranæ mucosæ* potissimum insidiatur, ac *variolosum* acre cæcitates, phthisesque ulcerosas frequenter post se relinquit.

In hoc vero singularis contagii, *nervosas* excitantis, posita est natura: quod non modo cum variis affectibus, gastricis, inflammatoriis, sed cum ipsis variolarum, morbillorumque contagiis, inflammatoriæ licet indoli faventibus, facillime confluat, ac ea in partes suas abire, omnemque fere primarium deponere habitum cogat. Sed & in hoc, infaustum *nervosarum* contagium, variolis morbillisque ferocia antecellit: quod, cum hi morbi, quos semel mortales prehenderunt, in eos secundo insultu rarissime invehantur; illud ipsum, venereæ luis & scabiei contagio in hoc simile, eundem frequentius mulctare hominem queat. Interim qui carcerum, infirmisque nosodochiorum incolis opem diutius & assistentiam præstiterunt, hi facile a contagii, meticulosis potius, ac non assuefactis hominibus insidiosi, periculo quodammodo immunes vivunt: quam familiaritatem cætera contagia cum nemine contrahere solent.

Cum vero subtilioris contagii hac in febre producenda actionem minus suspicarentur, alias longe tam diræ ægritudinis causas Medici accusarunt: quæ tamen vix non omnes ad morbum magis disponere, quam eundem facere queunt. Sic ciborum animalium

frequentem usum pro suspecto non amplius habebit, qui febrem nervosam apud plebem ultimam, quæ vix externis carnem labris gustare consuevit, potissimum generari, ac antequam in carnivoros proceresque homines propagetur, diutius dominari animadvertet. Ex animalium epidemico morbo enectorum carnibus malignissimas febres in miserorum familiis oriri conspeximus utique: sed aliud tunc erat, quam solius carnis ingestio, quod morbum, a gastricis bene diversum, in iisdem generaverat. Carnium, pisciumque putredine infectorum noxas, -- multa exempla loquuntur; quin igitur, qui morbus ex istis producitur, ex solo, quod putridum est, principio originem trahat, putridique mox nomen mereatur. Cerealia corrupta, quæque alia sub gravioribus charistiis ab esurientibus malesana devorantur, maximis in civitate morbis occasionem largiuntur; sed febris, quæ sub tantis calamitatibus in populos invehitur *maligna*, exhaustis eorundem corporibus sæpe ex alio, quam indigesti alimenti principio, communicatur: quod in hominum, inedia, desperatione, summaque immunditie obsessorum, angustis, carceralibus ac mephitim undique spirantibus tuguriis inclusorum societate progeniem agnoscit suam.

Si febrium nervosarum in paludosis, uliginosisque locis proventus uberior observetur: hoc vel corruptorum simul cum vegetabilium reliquiis insectorum, ac animalium exilium actione contingit; vel noxia paludum sub sole ardente effluvia atmosphæram ita disponunt, ut animalia morborum contagia facilius in hac, quam in alia quavis, præparari, aut a sociis suscipi promptius queant. Fatales interim *nervosarum* epidemias in locis montuosis siccissimisque conspeximus: ac hiberno tempore, quo, spatio angustiori, & in aere vix unquam renovato, familiæ

propter intensius frigus una degere coguntur; contagiosæ nunc simplices, nunc saburrali principio complicatæ, uberrime propullulant, verasque *carcerales*, *nosocomialesque* febres sistere observantur.

Quod si tamen febris *nervosæ epidemicæ* causas in contagio animali potissimum quærendas esse nobiscum reputemus, non cæteras idcirco *sporadici* morbi origines omnino excludimus. Ipse sibi homo, sub datis circumstantiis, venenum parat: & nunc febris quæcunque neglecta, aut male curata, nunc suppressæ transpirationis, necdum perspecta satis, materies, nunc acre quodcunque, ichorosum, gangræ-nosum, imprimis vero rheumaticum, atque catarrhale, super cerebrum, nervosque depositum, non *morbos* solum *nervorum* tum chronicos, tum febriles atque acutos; sed, quæ ab his magnopere differunt, singula etiam nervosæ febris phænomena producet; hujusque, ut causæ, argumentum, per felicem nonnunquam metastasin, evidentissimum certe habetur.

§. 93. Ipsa jam *nervosæ febris* descriptio, quid in eadem timendum, quamque parum sæpe sperandum sit, abunde manifestat. Principium vitæ, reagensque in causam morbi naturæ potentia, ab infenso animalibus veneno hic obsidetur: ut ab eadem parum sæpe exspectari, nec ab arte, specifico contagii antidoto destituta, res magna promitti queat. Omne potius subsidium in contagionis fuga, legumque magis, quam medicorum auxilio, obtinetur. Cognito interim, quod perdifficile interdum est, citissime hosti, sub ipsius morbi initiis, felicia sæpius arma opponuntur. Corpora laboribus, studiis, excretionibus nimiis, inedia, morbis venereis, scorbuto, aliis, exhausta, cachectica, viscerumque labe, aut specifico acri devastata, -- gravidæ, puerperæ imprimis, Prognosis.

infantes teneri, gracilesque ac timidi maxime homines, quemadmodum suscipiendis contagiis promptiores; sic, iisdem susceptis, periculosius longe decumbunt.

Ipsa vero *nervosæ febris* cum aliis morborum causis complicatio, annuæque constitutionis ratio, discrimina rerum nunc augent, nunc vero diminuunt. Quo major virium sub incipiente febre prostratio, a causis sensibilioribus non repetenda; -- quo manifestior faciei a naturali forma aberratio; -- quo sensibilior ægrotantis anxietas, et jactatio; -- quo minor reficientis somni ratio, potiorumque symptomatum, delirii, ac motuum nervosorum remissio est; -- quo difficilior respiratio observatur; -- quo citius exanthemata prorumpunt; -- quo magis glanduloso systemati metastases insidiantur; -- quo citius hæc disparent, vividumque in livescentem atrumque colorem convertunt; quo magis sphincterum perit officium, vasorumque sanguinem coercentium labescere conspicimus imperium; -- quo immaturius (si ephemeram excipiamus sudatoriam), sudores cutim inundant; aut quo viscidiores, frigidiores pellem sub morbi fine obducunt; quo magis interna uruntur, externa algent; -- quo violentior lumbos, abdomen, caput, dolor occupat; -- quo minor, et quo inordinatior cordis per arterias actio comparet; -- oculi quo magis rubent, figuntur, connivent, distorquentur, aut alter altero minor observatur; quo siccior, asperior, nigra tremulaque magis lingua est; -- vox ipsa quo acutior, aut raucidior, et extincta magis auditur; -- quo manifestior in deglutiendo difficultas observatur: -- eo majora febris pericula esse consuescunt. Interim non unum hic signum; sed plura simul conjuncta, aut, quæ maxime nunc in hac, nunc in illa epidemia significant, a medico sunt respicien-

da; nec illorum perdenda memoria est, qui hac in febre, sine ullo periculi indicio, inopinato obierunt.

Felicioris spem exitus largiuntur signa prædictis contraria: -- maturior morbi cura, -- symptomatum aliquis inter se nexus; -- carnium, cutisque mollities, non glutinosa; -- decubitus naturali vicinior; -- auditus sub fine morbi gravescens; -- depositio ad cutem, glandulas, sat constans, cum symptomatum levamine; -- dysuria levis, cum urina non cruda, multa, sedimentosa; -- sudor æqualis, vaporosus, ardorem cutis dissipans, siccitatis linguæ, oris, correctio; oculorum nitor naturalis, redeunsque; præ omnibus somnus, sine quo nec ulli quidem meliorum indicio fidendum est.

Complicatæ febris nervosæ prognosis ex concurrentium causarum natura repetenda erit. Levis, et sub fine morbi contingens, nec vires exhauriens diarrhœa, præsentem cum contagio saburram felicius evacuat; fortior alvi fluxus ægrotum præcipitat, latentisque sæpe intestinorum inflammationis, gangrænæ signum, cum singultu, aphthis, meteorismo, extremitatum frigore, dolorum cessatione, ac fallaci mentis serenitate, constituit.

§. 94. Ubi in sanum alias, nec plethoricum hominem contagium morbi (§§. 80. 82. 83. 84. 87. 88. 91.) invehitur, atque latentis inflammationis, aut saburræ indicia desint: tunc sub ipso simplicissimo morbi principio, duplex indicatio insurgit: *primo*, ut virium vitæ ratio habeatur; *secundo*, ut quæ per salivam, ventriculo, -- per aerem, pelli, admota fuerunt; citissime *emetico*, atque *sudoriferis* e corpore eliminentur. Cura.

Virium vitalium conservatio obtinetur vel promptiori illius, quæ nervosum systema circumdat, ma- Virium conservatio.

teriæ rejectione, circa quam *secunda* indicatio versatur, vel excitantium, *cardiacorum*, non inani sic nomine vocatorum, -- nutrientium, ac refocillantium prudenti subministratione. In genere hæc febris per rigorosiorem diætam, si longius excurrat, exasperatur; carniumque jura cum pane cocta, vinoque, aut ovo commixta, corruentem machinam eximie sustentant. Sub ipso febris decursu, major certe, quam sub aliis acutis, tum gastricis, tum inflammatoriis, boni alimenti portio concedi debet; et magna *erigentium*, sub quavis forma porrectorum, virtus et efficacia. Extremitatum frigus, summaque circulationis per istas debilitas, frictionibus, et spirituosis, calidisque fomentationibus dissipantur. Nimiæ evacuationes, tonicis, roborantibus, aut opiatis demum remediis, si præsens sic jubeat vitæ periculum, cohibendæ: animique dejectio tum vino cordiali, tum solatio quovis, et medentis aspectu sereno, moderanda est.

Emeticum. Sed rarius mox tantum hæc urgent, ut *primam* formare, vel præcedere, *secunda* non queat debeatque indicatio. Evacuantia quidem hac in febre nec quidquam opis, sed damni quamplurimum præstare observantur; sed nisi magna id virium prohibeat imbecillitas, *emeticum*, præter latentis materiæ irritantis maturam, ac brevissima via institutam ejectionem, nervosum systema non parum excitare, cutaneam transpirationem potenter promovere, spasmosque moderare, habetur compertum. Antimonialia cæteris hic præferenda sunt vomitoriis; si vero diarrhœam patiatur ægrotans, ipecacuanhæ radix in stomachum securius operatur.

Sudorifera. Peracto jam vomitu, vel eodem nequidquam indicato, aut jam nimis excedente, ad *sudoris* sat copiosam, longamque provocationem perveniendum.

Quamplurimum noxæ agyrtarum in manibus *sudorifera* mortalibus attulerunt; sed non minora *antiphlogisticæ*, ut vocant, methodi, ad singulos nunc morbos extensæ, sunt damna. Experientia sola est, quæ meliorem curationis viam ostendat; nec, quibus populus tam sæpe abutitur remediis, illa, si, quo oportet, loco subministrentur, effectu destituuntur. Sudor igitur, tum aliquali, nec tamen præfocante, tegumentorum augmento, tum seri lactis vinosi ac tepidi, vel infusi ex sambuco, aut scordio parati, aut denique theriacæ, cum aceto communi tepidoque remixtæ portione, per nychthemeri spatium & ultra, fovendus; — interea vero, si vires id exigant, jusculum, vinique portio tepidi, porrigenda sunt: donec ægrotus, dissipato morbi sensu, levamen, susceptique eliminationem contagii jucunda perceptione significet. Sudoris excretionem secundant tum haustus salini, tum radicum angelicæ, imperatoriæ, serpentariæ, virginianæ infusa; tum acetum camphoratum (N. XIV.), aut salis volatilis alkalini, aut ætheris vitriolici, muriatici, acetosi, portio: quæ singula, pro symptomatum ratione, citius, tardiusve, ac copia indicata, porriguntur.

Hæc pellendi sudoris necessitas, in *Ephemera* præprimis malignissima comparuit (§. 85.); in qua vel minima cutanei fluxus interceptio, ægrotantis mortem certissime accelerabat: cum, cognita tandem sudoriferæ methodi præstantia, pars maxima correptorum hoc ipso conservabatur: ut lecto commissos ab aura frigida sollicite custodirent; ac interea calido, sudorifero potu, fluidorum ad superficiem corporis directionem quovis modo coadjuvarent. Cessante demum sudore, calefactis ægrotantem linteis perfricare, & jusculis paulo nutritum, novis sudoribus committere conveniebat: quo nempe dirissimi, le-

thalisque alias morbi perfectissima sanatio obtinebatur.

Nec aliter hæc methodus tum in ipsa *peste* (§. 83), tum in *pestilentiali*, sic vocata, *febre* (§. 84.), profuisse visa est: ubi maturo satis tempore, contagii per cutem expulsio solicite a medentibus absolvebatur.

Si morbus per sudores sic elicitos jugulari omnis non possit, vel si contagii per cutis spiracula eliminandi aufugerit occasio: tunc transpirationis quidem nullo non morbi tempore habenda est ratio, ut & lotio, & balnea tepida, sub summo cutis spasmo, utilitatem habuerint; sed sudores pellendi methodus ægritudinem exasperaret. In primo casu, ubi saburræ abdominali sat certa nunc demum signa comparent, viresque subsistunt: leviori, nec debilitante nimis remedio, rhabarbarino, aut ex tamarindis parato, ac clystere, alvus aliquoties aperienda. Alias vero, curationem per evacuantia prorsus fugiendo, in sustinendo vitalis potentiæ tenore, in spasmis moderandis, ac in secundanda, quam natura intenderit, ad corporis peripheriam, vel ad glandulas externas, lymphaticas, depositione, aut metastasi, omnis versatur indicatio. Victus igitur, si morbus in longum trahatur, ut dictum est, nutriens, vinum generosum, vel panis decoctum cum vino, cinnamomo, ac saccharo, partitis vicibus, atque frequenter ægrotis offeruntur. Erigitur vis vitæ sinapismorum, cantharidum ope: in quorum administratione curandum, ne cutem facile exulcerent, ac ne, ob stimulum protractum, quo loco potentius irritant, gangræna inducatur.

Cortex Peruv. Corticis Peruviani virtus in febre *nervosa*, nisi cum *intermittente* conjuncta, aut ex eadem orta, vel manifestas remissiones habente, aut cum stupore, ac

vitalis energiæ labefactatione incedente (§. 88.), vix tanta esse consuevit ; interim cum aromaticis, serpentaria virginiana, valeriana, cinnamomo, præcipue vero cum vino, nuptum remedium, sub morbi progressu, efficaciam prodit. Arnicæ nos laudem nec multis, nec felicibus adeo experimentis extollere possumus. Alii farinam sinapis cum sero lactis vinoso commiscent, aut eandem in pulvere porrectam commendant. Spasmis, nervorumque turbis tum prædicta subsidia, tum camphora, moschus, ætherei liquores, volatile alkalinum, & similia, utiliter opponuntur. Camphoram, in dosi præmagna, nos quidem ab ægrotis tam facile perferri non vidimus; viderunt alii. Interim sub pulsu exili, debili, atque molli, a scrupulo ad drachmam usque, non facile ultra, nisi in clystere, cum eadem ascendimus. Moschus vero sub pulsu contracto, duriusculo, & irregulari, a dimidio ad integrum scrupulo, majorique pondere, — alkali autem volatile sub pulsu tremulo, inæquali, intermittente, sed molli, cum fructu præscribetur.

Præterea ægrotantes amplo teneantur conclavi, quo purum aerem, & multum trahere possint; neque multis vestimentis strangulandi, sed admodum levibus tantum velandi sunt. Phrenitica interdum deliria, sopores continui, erecta trunci positione, capitisque denudatione non raro dissipantur; nimiosque sudores, ægrotantium viribus funestos, exanthemata multa, augentis potius morbi, quam criseos, signa, — frigidiusculo ac renovato sæpius aere, nec minus summa linteorum, indusiorumque puritate, coercemus. Nec alia potus est ratio, quem frigida, sub urenti cutis calore, cum glacie commixta optimum constituit; aut denique illa, cui vitrioli acidum, gratiori syrupo edulcoratum, aut grana- Frigus, acida.

torum, citrinique pomi succus recenter expressus, cum saccharo superadditur. Integri adeo corporis cum glacie perfrictionem, in *peste*, febreque *maligna*, laudarunt.

Ne quid nimis!

Nec tamen hæc ita intelligenda sunt, ac si quavis in febris nervosæ specie, sine discrimine ægrotantibus forent administranda. Quotiescunque nempe venenoso contagii afflatu, cordis, arteriarum reactio, viriumque vitalium summa, majori gradu languent & oppressa jacent: acidorum mineralium, quæ fibræ irritabilitatem infringunt, actio, & illorum, quæ majora cordi obstacula ponunt, caloremque vitalem dissipant, effectus, pericula longe augerent. Ipsa hinc dictitante natura, ægrotantes cordialia, tepidumque potum implorant; & ab illis, quæ moderatum sudorem sustentant, ac labescentem vitalium organorum actionem erigunt, potissimum reficiuntur. Acidorum mineralium, cum alcohole dulcificatorum, elixirii vitriolici, atque sat generosus vini usus, sub hujusmodi circumstantiis, meliorem curæ partem efformant.

Cum vero Peruviani corticis vix laudati actionem variæ hoc in morbo conditiones determinent: juvat hic monuisse, a parvis divini hujus remedii dosibus aut nihil, aut parum posse exspectari; atque diversis ægrotantibus nunc hanc, nunc aliam ejusdem præparationem melius conducere. Nec a calore majori, aut a lingua sicca, & fere nigra, nec semper ab ipsa respirationis difficultate, potens hoc medicamentum contraindicatur; variisque aliis, aut minerali scilicet acido, aut vino, aut excitantibus, aromaticis rebus, felicissimo nexu, conjungi; tamque ore, quam intestino recto ingestum, aut balneorum, ac fomentationum modo applicitum, prodesse potest.

Sed ne tanti valoris medicamento frequentius medentes abuti reticeamus! Quotiescumque nempe inflammatoriæ hac in febre dispositioni (§. 95.) locus esse potest; aut cum contagii materies cum saburrali juncta est principio (§. 96.); aut cum majores spasmi, dolores, systema nervosum occupant; aut cum pulsus duriores, phrenitica deliria, adspectus teter, fulgidique oculi, pectoris angustiæ, & anxietas magna, observantur; aut cum super viscus facta videtur infensa vitæ depositio non gangrænosa: corticis tunc incauta administratio ægrotantem certe in pejus præcipitat, & vix nisi alio junctus remedio, imprimis si exhaurientes inducat diarrhœas, indicari potest.

§. 95. Hucusque *venæsectionis* in nervosa febre instituendæ, quod in hac, ut tali, nequaquam conveniat, non facta est mentio. A pauco interdum sanguine hic profuso, fatalis mox virium insequitur prostratio, cordisque vix non in totum sufflaminatur potentia. Sed ob solum *putridæ* nomen, innumeri errores a medentium vulgo hac in febre commissi fuerunt: cum titulo magis hypothetico, quam ratione, & experientia adducti, venæsectionem in quavis *nervosa* omnem abhorreant. Sæpius certe, quam multi contendant, sub cœlo etiam calidiori, inflammatoria constitutio cum nervosæ unitur contagio; & neglecta sub ipso morbi initio venæsectio, quamcunque inanem reddere potest medelam. In juvenibus, plethoricis subjectis, sæpe manifesta est mittendi sanguinis necessitas, atque venæsectio, caute quidem, & in ipsius medici præsentia, sed interdum aliquoties institui debet; licet vel apertam in hoc morbo inflammationem, tam audaci, quam si *pura* esset, venarum incisione pertractare minime queamus. *Pe-*

Complicatæ inflam. cura.

stis ipsa nonnunquam venæsectionibus cessit feliciter; & tum sanguinis crasis, manifeste inflammatoria, tum pulsuum, aliorumque symptomatum, præcipue vero doloris circa ventriculum fixi, ratio, & levamen emissum cruorem mox insequens, sat satis huic operationi favent. Neglecta his sub circumstantiis venæsectio, abdominalium viscerum, aut pulmonum, cerebrique inflammationibus, frequenter viam sternit: & licet, quæ talia febris sub fine contingunt, non raro causam alterius utique naturæ agnoscant; est tamen ubi, & his in casibus, venæsectioni, sanguisugis, cucurbitulis scarificatis, locus utiliter esse possit; prudensque medicus nullo non tempore indicationem, consilio atque experientia formatam amplectitur.

Morbus interim venæsectione, atque methodo huic ipsi correspondente ad *simplicem nervosam* reductus, eodem, ac hæc ipsa (§. 94.) modo, sumpto interim ad prægressam complicationem respectu, pertractatur, nec *cortici* hinc tam mature, quam illinc, locus sine damno conceditur.

Complicatæ gastr. cura.

§. 96. Si cum gastricis saburris *nervosa* complicetur (§. 111.), tunc major, quam unquam, incipiente mox febre, emeticorum, — vel solutis prompte, quæ educendæ sunt, materiis (§. 59.), porrigendorum necessitas urget: ne scilicet, eisdem neglectis, ad omnia rebellis sub fine morbi diarrhœa, plurimaque alia curationis nascantur obstacula. Serius interdum, prætervisum sub initio emeticum subministratur utiliter; sed frequentius virium jactura, commissum resarcire non sinit errorem; neque purgante alvum remedio, quo ægrotantes facile exhauriuntur, pro vomitorio supplere licebit.

Interim, ne contagii in ventriculi nervos actio no-

bis, pro *gastrico* fomite, incautis imponat; aut latens in hepate, vel stomacho inflammatio!

Sub ipsa saburræ præsentia, emeticum repetendi non raro nascitur indicatio: sed facile & his sub circumstantiis, a violento nimis remedio naturæ vires dilapidantur, nervorumque turbæ immense increscunt. Ejectis vero per œsophagum saburris, quod in robustis alias, voracibusque hominibus per emetocatharcticum tentare licebit, in aliis tamarindorum pulpa & tartari cremor, vel denique refractæ emeticorum doses, antimonialia, ipecacuanhæ radix cum rheo permixta, ea cum cautela præscribantur, ne intestina cum certo ægrotantis damno ad nimias evacuationes provocentur. Sæpius non rhabarbari radicem corticis Peruviani decocto infundimus, & adjecta emulsione arabica (N. XV.), cichoreique cum rheo syrupo, sine stimulo, ac pro virium ratione, aliquoties in die, aut clystere, alvum solicitamus: donec evanescente saburrarum sat certo indicio, seposito quovis ægrotantium viribus adverso medicamento, ad simplicioris nunc morbi (§. 94.) tractationem perveniamus.

§. 97. Symptomatum hac in febre urgentium cohors, præter illa, quæ (§. 94.) dicta fuerunt, interdum specialem, morbique causæ accommodatam medentis curam sibi expostulat. Effrenis nempe sub incipiente morbo vomitus, a sola contagii in ventriculum actione pendens, tum haustu antemetico (N. XVI.), tum, nisi prolecti beneficio sudoris dissipetur, opio compescendus est. Exhaurientem ægrotos diarrhœam, laudati corticis decoctum, extractum, cum vino rubro, generoso, & cinnamomo, — vel radix columbo, contrayervae, vel succus catechù, aut alumen, vel denique lactis recenter mulsi usus, aut theriacæ,

Cura symptomatum.

Vomitus.

Diarrhœa.

diascordii dosis, ore vel ano ingesta, moderant. Atroces in abdomine dolores, si visceris inflammatione vera nitantur, venæsectione, quamvis tarda, aut hirudinibus, cucurbitulis scarificatis (§. 95.), linimento volatili, aut vesicante, doloris regioni superimponendo, aut semicupio, fomentatione emolliente, anodyna, nec non repetito enematum usu, leniuntur. Si ex sordibus intestino collectis, ac putrescentibus, irritatio proveniat; tamarindorum decocto, rhabarbari, chinæque tinctura aquosa, illa expellatur. Delirio phrenitico, vigiliis, capitisque dolori, quæ a spasmo originem habent, vinum, opiumque resistunt: si vero a sanguine encephalum appellente derivare videantur; præter dicta (§. 94.), hirudines, cucurbitulæ ad tempora, occiput, vel post aures, indicantur. Hæmorrhagia profusa atque symptomatica, tum cortice, tum alumine, exterius, interius adhibendis, acido minerali, frigidæ commixto, fomentatione ex nive, aut glacie contusa, — interdum vero tum vino, tum opio, coercenda. Sudores colliquativi, tum frigidiori atmosphera, tum latentis saburræ evacuatione, tum acido minerali cum alcohole remixto, tum vino frenantur. Dysuriam moderant emulsio arabica cum leni opiato juncta, ac clyster similis, majori laudani dosi roboratus. Retentum in vesica lotium, quamprimum hypogastrica regio intumescit, cathetere subducimus. Si ad partem externam metastasis, non semper certe critica, contingat; hæc ipsa mox emollientibus, tepidoque fotu, ac cataplasmate anodyno, maturanda; contenta vero abscessu materies, citiori, quam in alio quovis, sectione, interdum priusquam fluctuatio compareat, evacuari debet. Si angusti sinus ichoris præpediant effluxum, ad illorum dilatationem procedendum. Pigriorem tumoris maturationem, irritan-

Dolorum.

Delirii.

Hæmorrhag.

Sudorum.

Dysuriæ.

Retentionis urinæ.

Metastasis.

tia quidquam superimposita, fermentum panis, cæpæ coctæ pulpa, gummi ammoniacum aceto scillitico solutum, sollicitant. Dolentem nimis metastasin opiata emollientibus superaddita demulcent. Interdum et his sub circumstantiis, venæsectionem repetitam, si febris nova cum impetu magno accendatur, institui oportet. In casu gangrænæ, ad corticem, tum externe, tum interne adhibendum, descendimus. Ex decubitu mortificationem præveniunt frequens ægrotantis in aliam partem conversio, positio extra lectum, hujus mundities summa, coxarum cum frigida lotio, vel frictio cum citrino pomo in medio dissecto, vel linimentum ex albumine ovi cum spiritu vini paratum, ceratum saturni, vel tela cerata. Præsenti ex decubitu gangrænæ, emollientibus, anodynis, cum opio remixtis, occurrimus; vel corticis decoctum cum laudano exterius, internumque chinæ usum consulimus. Pro varia meteorismi causa nunc evacuans, nunc roborans medicamentum, nunc venæsectio, et vesicans, nunc abdominis fomentatio emolliens; nunc vero nivis, aut contusæ glaciei impositio conducunt. Aphtharum dolens ad fauces apparitio, præter causæ latentis curam, frequens ac blandum oris sibi exigit balneum; si vehemens dolor, ac phlogosis defuerit, tunc boracis, aut vitrioli albi solutio cum melle edulcorata exterius convenire observatur. Stupiditatem a morbo reliquam surdasque aures, lenia interdum evacuantia, vel sub majori debilitate, roborantia, tempusque ipsum (§. 87.) sæpissime tollunt. Interdum abscessus, surditatis nunc causa, nunc effectus, diuturno materiæ fluxu molestus, succedit, summamque auris puritatem, et ab acri, rodente materia custodiam requirit. Positum post aures vesicans, et injectio anodyna, aut

Gangrænæ.

Decubitus.

Meteorismus.

Aphthæ.

Stupiditatis.

Surditatis et aurium abscessus.

vapor aromaticus, rebellem surditatem in aliis dispellit. Reliquum curæ, infusum corticis frigidum, elixir vitrioli, cibi nutrientes, equitatio, aerque purus, rusticus, constituunt.

ORD. II. GEN. II.

FEBRIS CONTINUA GASTRICA.

Gastricarum generis.

§. 98. Pars magna morborum in ventriculo, intestinis evolvitur, et ex ingestis, quantitate, qualitate peccantibus, aut ex corruptis hoc in loco, -- aut demum ex depositis in hunc ipsum stimulantibus materiis, frequentissima febrium progenies habetur (§. 50.).

Notio.

§. 99. Has febres, vel per se periodicas, vel intermittentis principio junctas (§. 51.), vel denique continuitate non semper æquali hominem invadentes, *gastricas*, et pro varia latentis causæ ratione (§. 98.) biliosas, saburrales, pituitosas, verminosas, appellamus: quarum multiplex iterum cum aliis affectibus complicatio, et nunc sporadica, nunc epidemica esse natura consuevit.

Gastricis et bilios. symptomata.

§. 100. Gastrica, biliosaque febris, cum æstate calidiori utplurimum frequentius incedit; sed nullo non tempore præsens, et in regionibus paludosis vix non endemica, aliarum febrium in modum cum horripilatione caloribus intercurrente ac brevi, lassitudine, capitis, dorsi, lumborum, artuum gravitate, dolore quasi rheumatico, incipit. Facies interea pallet, o-

culique flavescunt. Sed imprimis ventriculus sensu morbi sibi proprio laborare, languere, ac ejusdem inflatio, tensio, oppressio, cum anorexia, ciborum aversione, horrore, nausea, vomituritione, flatuum male olentium, materiæ acidæ, acido-austeræ, tenacis, biliosæ eructatione, aut vomitu, observantur. Hunc ventriculi statum citius, tardiusve oris conditio manifestat: quod, animam spirans ingratam, fœtentem, cum lingua obducitur tenaci albidoque aut flavescente muco; cum sapore singulorum aut nullo, aut ingrato, aut amaro. Interea & abdominis turbæ frequenter succedunt, flatusque intestinis divagantes (borborygmi) hypochondria, ventrem tendunt, attollunt, plenitudinis, gravitatis sensu, doloribus vagis, recurrentibus, cum ipsius alvi obstructione, vel fluxu bilioso, fœtidiori, spumoso, divexant.

Atque sub tali rerum statu, plures interdum dies extra lectum terruntur: post quos, prævio horrore non magno, nec diuturno, subinde nullo, calor, sitis, vertigo, cephalalgia increscunt; pulsus, hinc inde intermittens, continuo frequentior; symptomata ad ventriculum, cum plurimo ad vomendum nisu, & ad abdomen, augentur; facies magis nunc rubet, ad latera nasi pallet, virescit, inferius labium tremit, oculique lacrymis fere innatantes fulgent; deliria, vigiliæ, aut sopor; frequentior, difficilisque respiratio, sæpius cum tussi, nunc sicca, nunc humida; dolor pectoris, scapulæ, faucium, rheumatico similis, sæpeque apparens virium prostratio magna comparent.

Post tres, pluresve dies, symptomatum quædam matutinis horis remissio, sudorque levis ad frontem, pectus, observantur. Lingua nunc mucosa magisque flava, nunc in medio sicca, brunique coloris; urina, cum ardore interdum excreta, profundius flavet, aut

jumentosa, aut cum sedimento fere roseo, aut furfuraceo, comparet. Ad noctem, prævio nunnunquam levi horrore, singula exasperantur: cutis aspera, sicca, vehementer ardet, flavoque nonnunquam colore suffunditur. Vigiliæ, inquietudo, deliria ægrotum magis magisque vexant; nares hinc inde cruorem stillant sunduntque flavescenti sero innatantem.

Nunc, morbo per horas ingravescente, matutinæ vix non disparent remissionis vestigia; stomachi, hepatisque regio tenditur magis, ac dolet; anxietas, calor, sitis, cephalæa, insigniter crescunt; deliria vix non continua urgent; siccantur fauces, & lingua viscidissimo muco oblita, brunum, livescentem, ac fere nigrum colorem adepta, fragilem vix non duritiem assumit, et finditur, loquelæ inepta. Oculi nunc intense rubent, auditus obtunditur, ac tempora fortiter pulsant. Arteriæ, vix plenæ, sed contractæ, celeriter moventur: urinæ paucæ, crassiores, fœtidæque, nesciente ægroto, cum alvo liquidiori, virescente, æruginosa, vel bruna, olidissima, deponuntur. Interea venter inflatur, resonatque percussus; arescit cutis, aut sudore viscidissimo inundatur, variorum exanthematum palude.

Quod si nunc morbus aut neglectus, aut male curatus, aut ob peculiares ægrotantis circumstantias, lethalem in exitum ruat; sequuntur signa, quæ *nervosam* febrem tum simplicem (§§. 87. 88.), tum complicatam (§. 103.) comitari, summamque vitalis energiæ dejectionem testari consuescunt.

Si vero tum naturæ, tum artis auxilio, vehementiæ morbi ægrotus resistat; tunc, vel incipiente jam febre, vel tardius, copiosa vel ore, vel ano rejecta materia, aliquando sat moderata per alvum cutimque excretione, sensibilior iterum, longiorque insequitur exacerbationis remissio; madescit lingua,

& mucus, quo, tenacissimo & fere in vaginam exsiccato, obvelabatur, in mollem solutamque gelatinam eliquari, vel, apice jam læte rubente, in squamas molles ad latera separari observatur. Interdum promptissima hac in parte mutatio succedit; &, quod vix non lignea duritie palato hærebat viscus, illud post brevis somni, nunc tandem redeuntis, inducias, citissime mollescit, blandoque vapore irroratur. Atque nunc fere hæc febris, ex qua forte clandestine confluxerat, in *periodicam intermittentem* frequenter transit; aut redeunte per dies adhuc aliquos tardiori mitiorique exacerbatione, hanc ipsam, & morbum sudor æqualis, vaporosus claudit; urinæ sedimentum ex albido rubrum copiose deponunt; atque alvus ipsa, vel minime sollicitata, pultacea multa excernit.

§. 101. Aliquando non tam *bilis*, aut *sordium*, quam *pituitæ* hac in febre apparatus observatur: quæ scilicet tenacissima, & in filos ductilis, stomachum, intestina, ipsumque oris cavum oblinit. Succedere id solet sub humida tum autumni, tum veris constitutione, apud cachecticos utplurimum, & laxos, debilesque homines; vel apud illos, qui alimento crudiori, viscoso, sub corporis motu pauciori, avidius vescuntur. Pituitosa febr.

Lentior hic morbi ingressus observatur. Surgentibus a somno, parum quidem refectis, lassis, & morosis, fauces orisque cavum pituita obducta sunt; ructus inodori, copiosi, mucosaque colluvies ex œsophago cum nausea propullulant; cibos vix appetunt, nec tamen iisdem protinus abstinent; post pastum, quasi indigestione laborantes, pigriores, somnolenti, plenitudinem, flatus, ventrisque obstructionem accusant. Urinæ subjugales, aut crudæ, cum pauca

siti, & pulsu lento, debilique, interdum pleno ac subduro observantur. Succedunt horripilationes, caloresque vagi, cum sudoribus parvis, aut cute sicca & squallida. Capitis gravitas fere plumbea, aurium tinnitus, susurri, stupiditas. Tanta vero interdum ventriculo, intestinis mucositas agglutinatur, ut obducto bilis canale, ac præpedito ejusdem in duodenum effluxu, icterus generetur. A flatibus, tubique intestinalis inertia abdomen intumescit, & attactu dolet. Materiæ, ranarum spermati fere similes, nunc insipidæ, nunc acidæ, nunc simul amaræ, per vomitum hinc inde rejiciuntur. In aliis, fauces catarrhali affectu rubentes dolent. Post singularem stomachi oppressionem, & anxietatem, singultus, & impedita deglutitio; post paucos vero dies copiosæ ex faucibus aphthæ ascendere, & oris cavum defœdare observantur: quas aphthas, post horas non multas, abstersas, post alias iterum copiose repullulasse conspeximus. Alios spirandi quædam difficultas, ac tussis primum sicca, deinde tenacissimæ pituitæ copiam propellens, vexat.

Hucusque, nisi & major virium prostratio, & artuum dolores ad noctem increscentes, & sudatiunculæ, latensque ad cutem ignis, vel immature sæpius erumpens exanthema eandem docerent, vix *febrem* morbum diceretis; jam vero hæc ipsa sat manifeste alternis fere diebus, aut ad singulas noctes, exasperatur: donec dispersa fere omni symptomatum remissione, vertigines, vigiliæ, aut stupor & coma, deliria, & potissima tum vix descriptæ speciei (§. 100.), tum alterius (§§. 87. 88.), & *gastricæ* demum *nervosæ* (§. 103.) phœnomena, cum syncope frequenti, cum pertinaci, viresque omnes profligante diarrhœa, in conspectum prodeant.

§. 102. Alias, præter allata febrium istarum (§§. 100. 101.) symptomata, copiosa vermium, nunc vivorum, nunc vero mortuorum aut semiputridorum, tum ore, tum ano rejectio simul observatur, &, præter singularem oris fœtorem, plurima his propria irritationis phœnomena, pruritus narium, dolores vagi, lancinantes artuum, abdominis meteorismus, tremor, convulsio, pavores, aphonia, ptyalismus, deliria, animi deliquia, vomitus, tenesmus, & putrescentis muci copiosa per alvum excretio, succedunt. Febris vermin.

§. 103. Vel ob neglectam bilis, saburræ, pituitæ, verminosæ materiæ, febrem gastricam generantis, aut concomitantis ejectionem, aliosque diætæ, curationis errores, vel ob majorem illarum corruptionem, nascitur, utplurimum jam provecto morbo, vel, si contagium simul accesserit, mox primo ejusdem principio, febris, cui, præter symptomata hucusque exposita (§§. 100. 101. 102.) singula nervosæ, superius (§§. 87. 88.) descriptæ phœnomena accedunt. Frequentius longe, quam continua nervosa *simplex*, hæc febris, nobis *gastrico-nervosa*, aliis *gastrico-putrida* vocata, occurrit; autumno, hiemeque epidemicò more frequenter divagatur, veramque carceralis, nosocomialis cum saburris complicationem (§. 89.) præsentat. Gastrico nerv.

Nunc vero hæc febris lentiori passu, nunc ex improviso quasi hominem adoritur. In primo casu, signa prodroma fere cum illis, quæ (§§. 87. 88. 100. 101.) descripta sunt, convenire cernuntur; ac lassitudo, morositas, somnolentia, vigiliæ, horripilatio, oris viscositas, amaror, stomachi oppressio, ciborum fastidium, nausea, ructus nidorosi, vomituritio, vomitus amarissimæ & æruginosæ bilis, lum-

borum capitisque dolor, vertigines, imminentem morbum præsagiunt. In secundo casu, hic ipse mox incipit symptomatibus, quæ prodroma illinc signa nunc insequuntur.

Horror scilicet ultra horam sæpe extensus, per vices recurrens, multos, non omnes tamen, invadit; sequitur mox calor, in pluribus, mordax, ad noctem continuo augendus. Interdum furiosa mox ægrotantem tenent deliria. Matutino tempore levis, & imperfecta symptomatum remissio observatur; in aliis nulla. Arteriæ nunc debiles & obscuræ, frequentia vix notabiles, interdum initio plenæ, ac duriusculæ, post paucos dies sponte sua collapsuræ. Amarities oris & nausea summa, tumentis oppressio ventriculi, qui ab attactu, & ab ipso fere stragulorum pondere sat acute sæpius dolet. Ad vesperas denuo nova symptomatum, hemitritæi interdum decursui respondens, exasperatio. Interea oculorum flavedo, rubor, cephalæa, vigiliæ, pavores, anxietas, animæ fœtor, ac deliria augentur; sitis, acidorum imprimis, vehemens, interdum pauca; urina, sub accessionibus, bruna, crassa, turbida, & fœtens, sub remissione, aquosa & cruda; alvus utplurimum obstructa, vel liquida, teterrimum odorem spargens. Sudores quandoque abundantes, sed viscidi, et inutiles. Lingua jam tremula, viscosa brunique coloris materia, cum dentibus, ultra quos vix porrigi potest, labrisque undique obducta; vel scabra, & fere nigra, siccissimum, ligneumque in ore conum refert. Nares siccissimæ camino vix non similes, & obstructæ; respiratio difficilis, & suspiriosa; aurium molestissimus susurrus, & surditas; stupor continuo increscens, & coma vigil. Subinde sanguis per nares copiosus ruit, aut per urinæ, fæcum vias, fluidus, congrumatus, præcedente ad pu-

bem dolore, excernitur. Subinde & nunc viscidissima & æruginosa bilis in copia magna evomitur: cum quo fere morbus convenit, qui hæmorrhagiis magnis, nigrescentis bilis vomitu, & flavo cutis colore stipatur, *febrisque flavæ Americanorum*, aut *Siamensis* morbi nomine venit. Alvus sensim apud vix non omnes liquidior, viridescens, bruna, spumosa, fœtentissima; neque hujus, neque urinæ continendæ, aut penitus expellendæ, potentia superest. Si tamen de salutis statu ægrotantem interrogemus, *se bene valere* respondet, suosque, quos absentes credit, adire conatur; aut floccos, muscasque infelix capit; aut soporosus secum taciteque mussitat; aut furiose interdum delirat. Atque nunc fere est, ubi pulsus, vix tantum hucusque citati, frequentiores & exiles redduntur; & ubi *meteorismus* comparet: quem vel *saburralem*, vel *inflammatorium*, vel *gangrænosum* esse, per sua cuivis propria signa eruetur. Cæterum & manuum tremor, & subsultus tendinum, & comatosus sopor, cum magna carotidum pulsatione, continuo nunc vexant; respiratio difficilior, vox rauca, & tremula, aut nulla, & sæpe, ob fauces quasi erysipelate rubentes, nunc ob summam pituitæ hic collectæ tenacitatem, alias ob maximam ariditatem, aut ob aliquam in œsophago paresin, aut denique ob latentes in eodem aphthas, aliquod sub deglutiendo obstaculum. Facies pallida, impura, cum genis fere lividis, aut brunis. Interea tum prius, tum hocce morbi stadio, frequentissima ad cutem exanthemata, petechialia, miliaria tum alba, tum rubra, cum illis interdum mixta, vel & vibices & maculæ, rarius vero ad aurem parotis, aut sat frequenter in his ipsis abscessus, comparet.

Tandem sub lethali febris exitu meteorismus, præsente licet diarrhœa colliquativa, augetur; fæces

cadaverosum foetorem spirant ; accedit singultus ; frigescunt extremitates , sudorque viscidus , frigidusque profunditur ; pulsus celerrimi , & vix sensibiles, intermittentes ; sopor lethargicus , lipothymiæ , convulsio , mors ipsa , succedunt .

Gastrica inflammat.

§. 104. Cum recensitis hucusque (§§. 100. — 103.) febribus complicatur frequenter , quod & cum periodicis *intermittentibus* (§§. 30. 46. 50. 68.) , & *nervosis* continuis interdum contingere dictum est (§. 90.) , *inflammatoria dispositio* , qua quidem unione *febris ardens* (*causus* Veteribus dicta) resultat . Sed & cujusvis partis aut visceris *inflammatio*, imprimis *erysipelatosa* , saburrali vitio accedit , eidemque dominatur ; aut vincitur ipsa .

Signa , quæ hanc complicationem circumdant , cum illis , quæ (§§. 67. 68. 90.) enumerata fuerunt , & quæ febri inflammatoriæ (§. 116.) , aut ipsis demum inflammationibus sunt propria , conveniunt.

Horror nempe ab invasione utplurimum major , pulsus plenus , fortis , frequens ; facies , oculi rubent ; cephalæa , vertigo , deliria , ardor , sitis , fortiora ; respiratio , celerior, difficilis , anxia ; dolore fixi , pulsatio ; sanguinis educti, vel per nares ruentis, densius & *corio* obtectum coagulum ; pertinacior alvi obstructio, urinæ flammaceæ , ac fere rubentes ; majorque symptomatum continuatio .

Febris gast. extensio.

§. 105. Nec rarum est , *gastricæ febris* causas & effectus cum aliis longe morbis , & læsionibus , sub annuæ constitutionis favore , consociari . Sic ut diversissimas inter se affectiones , exanthemata imprimis varia , ipsasque externi corporis injurias , frequenter in partes violenter ducant trahantque suas .

§. 106. Sed & hoc ex continuarum genere *Ephemera* tum *simplex*, tum *protracta*, non excluditur, ubi febris causæ tam mites sunt, vel ex corpore tam prompte eliminantur: ut vel unius nyctemeri, vel paucarum dierum spatio, illa, sine ullo rerum discrimine, vel ipsius naturæ, vel artis auxilio cedant. Ephemera gastrica.

§. 107. Gastricarum causæ jam ex ipsa morbi denominatione satis elucent; nec tamen ideo vel tam *manifestæ* semper sunt illæ, & ubique tam *significans* bilis rejectio est, ut gravissimi hoc in judicio errores tam faciles evitentur. Causæ.

Non scilicet quamplura ex dictis symptomata, morbi sub exordio, deesse possunt, quin ideo minus in *bilis* copia & perversione sit posita febris natura; nunc vero singula turgentis phœnomena bilis ægrotantem vexare videntur: quæ pro alterius longe, quam pro *biliosi* morbi sobole habenda forent. Ipsum quidem, ex omnibus maximum viscus, hepar, copiosæ secretionis capax, & bilis, sub aucto æstatis, febrisque calore, pronissimum in stagnationem ac corruptionem fluidum est: quod, vel in jecinoris substantia & cystide, vel in tubo alimentari accumulatum, vel copia vel qualitate peccans, insignes utique stimulos excitare potest; sed tanta interdum biliosi humoris rejicitur copia, ut eundem, priusquam ad vomitum excitaremur, in fellea cystide, vel intestinis, ut febris causam, præexstitisse, tum sola jam ratio, tum experimenta in sanissimis cæterum hominibus instituta refellant: qui, cum inassueti vel curru vel navi agitantur; aut, si ad solam feminam respiciamus, cum utero conceperit, non minorem *bilis* copiam ex ore regurgitant: ex qua certe ad *biliosam* vomitus causam prudens nemo concludet. Bilis.

Nec validius ex mutato *bilis colore* ad tam insignem ejusdem corruptelam argumentum duci potest; si vel ex sola acidorum cum felle mixtione, vel jam ab ipso pathemate animi, a dentitionis labore, & a causis vix citatis, non plurima tantum, sed *ærugi-nosa* protinus, *herbacea bilis* excernatur.

Ex his certe concludere fas erit, copiosum *bilis* in febre aliisque effectibus secessum, sæpe non tam morbi *causam*, quam effectum, -- tantique phœnomeni originem profundius interdum sepultam latere, quam ut ejusdem ex matula judicium elicere semper queamus.

Nec juvat ex *materia bilis* in febricitaturi hominis sanguine collecta, tam insignem fellis derivare excretionem, quæ ejusdem in sanis phœnomeni rationem reddere non possit; & tam morbosam congestionem, vel in utrisque, vel in nullo supponi oporteret.

Atqui sic res omnino constituta videtur. Quin ad morbosam salis in cruore abundantiam concludamus, salsissimas oculus a dolore provocatus in promptu habet perque dies plorat lacrymas: neque tam sæpe ab humorum, quam a secernentis organi vitio aut actione intensiori, secreti copia liquoris & natura pendet. Cachecticus, aut subflavus multorum, priusquam febricitent, color, certe nec majorem in sanguine *polycholiam* probat, nec copiosa in venis apud *ictericos* bilis, aut febrem gastricam, aut oris tam frequentem amarorem inducit.

Hinc non tam sæpe, quam supponitur, febrium istarum causa in *bile* est; &, si major in iis emeticorum ac evacuantium virtus contrarium indicare videatur, non tam unam emeticorum actionem esse (§. 94.), & interdum causæ agentis *effectum*, non steriliorem hac ipsa malorum matrem fieri, cogitandum erit.

Quæcunque hinc fellis in hepate secretionem potentius augere, ac cum aliqua constantia hoc ad viscus humores præcipitare queunt, hæc morbi cum *bilioso* apparatu incedentis naturam determinare valebunt; eruntque illa, quæ, favente anni genio, jecur ipsum moderate stimulant: violenta pathemata, fortior imprimis ira; suppressæ transpirationis infensum abdomini et producendæ choleræ, diarrœæ, aptissimum acre, rheumaticum imprimis principium, contagia, vel alius quicunque stimulus hepatico systemati admotus: quo certe sensu; vel sola jam drastica copiosam *bilis* secretionem proliciunt, et ex sanissimo ventre morbosam bilem expellunt.

Frequenter vero primarum sordes viarum, indigestas ciborum reliquias, putrefactos vermes, non minorem, ac ipsa bilis solet, corruptionem inire, febribusque esse pro incendio, ditissimus istarum a comessationibus, ac crapulis proventus testatur. Nec tamen carnium nos magis, quam alimenti cujusvis alterius a ventriculo male subacti materiam pro potiori *saburralium* causa habendam esse opinamur: cum, inito singulorum his ex febribus decumbentium calculo, pars maxima istorum, non animali certe, qui miserorum mensas fugit, sed crudiori longe victu, digestionis officinam inquinasse observetur (§. 92.). Quæ ob suam cum nobis analogiam subiguntur citius, prompteque solvuntur alimenta, ea nisi copia excedant, minori corruptionis in abdomine periculo ingeruntur; et multa, quæ a Scriptoribus contra frequentiores carnis insanitate usum prolata fuere, ex præconcepta mentis circa sanguinis hac in febre *putredinem* opinione derivanda sunt. Major longe apud *nostrates*, quam apud plurimos septentrionales populos carnium consumptio; — nec tamen ideo, sub cœlo licet calidiore, major *gastricarum* proventus a nobis observatur. Pauperes, Saburræ.

vix non ubique ad olera & legumina damnati, frequentissimam nihilominus gastricorum segetem morborum offerunt. Fructuum horreorum, licet sanissimorum, defectum, constitutionis ut plurimum ejusdem, quæ morborum popularium generationi favet, *effectum* magis quam *biliosarum* causam sistere censemus; et si æstivo hæ magis, quam alio tempore occurrant, oportet hoc ex debiliore sub urente sydere ciborum subactione, multasque intestinorum affectiones ex frequentiore tunc sudorum suppressione potissimum derivare. Nec enim major atmosphæræ *calor*, quod hucusque contendebatur, gastricarum adeo biliosarumque febrium genesi favere videtur; nisi quod in humidis paludosisque locis nervorum imperio, ac stomachi quamplurimum detrahatur tenori, sudorque hic frequentius, quam frigidiore sub cœlo, supprimatur. Hinc medicinam utrobique exercentes, invenimus, quod prius non sic se habere apparebat, febres fere omnes frequentius sub calidiore, quam sub frigida atmosphæra, de indole *inflammatoria* participare; et quamvis ubique *febris inflammatoria*, quæ *pura* sit, sat raro epidemice grassetur; frequentiorem tamen apud nos, quam sub sole minus urente, et ipsa adeo æstate, venæsectionibus, in febre tum *intermittente*, tum *continua*, locum concedi.

Pituita. *Pituitam* abundantem abdomine colligunt laxioris fibræ, cachectici, vitæque desidis, otiosæ, homines (§. 101.); et plurima sunt certe illius incommoda, ex mechanica hujus glutinis adhæsione, et ex ejusdem in *acidissimam* primum, dein vero in *putridissimam* colluviem conversione, facile interpretanda: sed quæ *pituitosa* vocatur *febris*, ac epidemico more grassatur, illam a causa tam quotidiana, tamque paucis hominibus propria, repetere nequimus. Quæ vero morbosam in hepate secretionem sollicitant, ea, si ad mu-

cosam ventriculi, intestinorum membranam divertantur, *pituitæ* hinc non minus, quam *bilis* illinc uberrimum fontem constituunt. Non viscidioris mox sanguinis pituita in febribus argumentum præbet; sed pro vitiatæ potius secretionis, quam pro *cachexiæ acutæ* effectu, habenda est. Jam a sola intestinorum per vermes irritatione, copiosus tenaxque circa illos colligitur mucus; nariumque, ac faucium, urethræ, a quovis stimulo affectarum, exempla similia effantur. Superficierum secernentium fortior irritatio, *coagulabilis lymphæ*, -- mitior vero, pituitæ densioris transudationem, quin talium morbosa in sanguine subsistant seminia, excitat. Sub ipsa *febre pituitosa*, non in primis modo viis, sed vix non ubique, tenacissimi glutinis detegitur copia: ex quo clarum fit, specificum fere stimulum per totam ægrotantis machinam exhalantium actionem hic immutasse. Major hujus causæ in mucosas intestinorum cryptas, quam in aliam superficiem, impetus hic esse observatur; sed ex consensu ventriculi in dissitas partes hunc stimulum propagari videmus: exemplo linguæ, a quavis mox stomachi affectione densissima pituita obductæ, et illo pulmonum, qui sub ferina tusse, ex ventriculo tam sæpe derivanda, viscidissimo, ac piscium fere collæ non absimili muco obruuntur. Ipse quidem sanguis hac in febre eductus, gelatina obductus comparet; sed omnia satis ostendunt, non veram huic phœnomeno inflammationem pro causa subesse. Forsitan non vana hujus morbi denominatio foret, si *catarrhum universalem, cum gastricæ, nervosæque symptomatibus*, eundem diceremus: et certe transpirabilis retenta -- aut catarrhalis, rheumatica materies, quemadmodum nares, fauces, tracheam, ac pulmones *mucosæ febri* subjugant, sic et pituitæ ad intestina secretionem ultra modum sollicitare frequenter observantur.

Contagium. Sed potissima hic iterum *contagii* habenda est consideratio: quod tum *gastricam nervosam* (§. 92.), tum *pituitosam febrem* sæpissime comitatur, et sua in fibram muscularem, et vasa, nervosque actione, humorum naturam ac indolem promptissime pervertit.

Inflammatoriæ complicationis rationem hic reddunt subjecti ipsius, præcedentium causarum, ac temporis constitutio, nec non eorum, quæ tum in primas vias, tum in cordis arteriarumque potentiam, contrarium fere in sensum, agunt, conspiratio.

Prognosis. §. 108. Gastricarum, sine contagio, viscerumque aut humorum latente vitio, incedentium, si a morbi principio rectius pertractentur, non tam insignia quidem pericula sunt; et licet interdum *malignitatis* sub specie medentes affinesque terreant, prudenti tamen consilio felicem sæpissime exitum adipiscuntur. In hoc vero morborum genere *crisis* in manu medici, non in *exspectatione* est posita: quæ innumeros, sub vanæ cunctationis, ac simplicitatis in medendo titulo, jugulavit. Solvitur nempe hæc febris per vomitum, ac diarrhœam, restituto sub morbi fine sat abundanti sudore, et comparente in urinis lateritio aut subflavo sedimento. Frequenter vero celebrata in tempore emesis furientem jam in viscera ægritudinem extemplo suffocat. Raro exanthemata in biliosis, saburralibus, *crisin* constituere observantur. Quo vero evidentior in gastricis remissio, eo major salutis spes; et si exacerbationes cum horrore inchoentur, eo probabilior ex intermittentium familia origo redundat. Quo citius hic sudores, exanthemata comparent, expelluntur, et quo minus prompte evacuationes emeticis purgantibusque respondent; eo longior morbus, aut facilior ejusdem in nervosam complicatam transitus observatur.

Ut plurimum lentior *pituitosæ* decursus, et curatio tædiosior, difficilior, magisque incerta existit. Spontaneus ab initio vomitus, et hunc insequens sudor æqualis, vaporosus, promptiorem salutem promittunt. Rarius vero per unicam hæc febris crisin judicatur. Interdum tam miliaria alba, quam aphthæ copiosæ, labiorumque ulcuscula, et salivatio abundans, post prægressas evacuationes, cum levamine comparent. Levior quidem diarrhœa hic utilis; sed fortior alvi fluxus lethalis esse consuevit.

Summa vero *gastricam nervosam*, et eam quæ contagio natales suos debet, pericula interdum citissima, alias ad tres, quatuorve, aut plures hebdomadas extensa, premunt. Crisibus hac in febre vix ullum a natura tempus est constitutum. Cæterum vix non singula prognosis de *nervosa* (§. 93.) latæ momenta hic locum inveniunt.

Majori discrimine tenentur, qui *gastrica inflammatoria*, quam qui simplici biliosa, vel saburrali febre laborant. Frequens sub illa, latensque viscerum inflammatio, hujusque in hydropem acutum, aut in gangrænam exitus conspicitur. Facilior hac in febre per metastases et abscessus ad salutem via est: sed et funestæ depositionis exempla non raro medentibus offeruntur.

Cura febris biliosæ ac saburralis.

§. 109. Febris *gastricæ continuæ* cura, sub morbi principio, fere cum illa intermittentis, quæ ex eadem tribu est (§§. 59. 60.), si majorem promptioris auxilii necessitatem addamus, in totum conspirat.

Sed primum est, ut *complicatio*, si quæ subsit, *inflammatoria* attentius eruatur, pessimasque sequelas fatalis de *putrido* mox *sanguine* opinio habuit: quæ medentium oculos circa cruoris demendi necessitatem hypothetico velo obduxit. Perniciosa quidem in qua-

vis certe *gastrica* venæsectio observatur, quotiescunque vera hanc instituendi desideratur indicatio; sed hoc ipso, quo de his loquimur, sub cœlo, licet calidiori, non tam infrequens est gastricarum cum inflammatoria dispositione combinatio: & neglectam sub initio venæsectionem, irrevocabile ægrotantibus damnum inferre, experientia convicti fatemur.

Quod si vero hæc complicatio desit (nec enim quævis mox pulsuum plenitudo, aut pectoris angustia, vel dolor punctorius hanc indicant), tunc, qua via bilis aut saburræ turgeant, ac si mobilitatem materiæ ex hoc ipso agnoscamus, hæ vel per œsophagum, vel per alvum promptissime evacuandæ sunt. Solventibus igitur tenacem crassamque materiam attenuamus, potuque incidente ac acidulo diluimus: donec emetico, vel purgante, pro necessitate sæpius repetito, præcipuam biliosæ affectionis causam eliminasse videamur.

Erunt quidem certæ interdum circumstantiæ, quæ emetici porrectionem contraindicabunt: sed quo major in diagnosi certitudo, & quo vehementior morbus est, eo minor contraindicantium numerus & auctoritas erit; neque minoribus periculis spes vitæ, quæ sæpe ab emeticis unica est, sacrificari debet. Hinc si major instet morbus; nec hernia, quæ sub emetici operatione contineri ac fulciri potest, — nec perpessæ pridem hæmoptysis metus, — nec spirandi difficultas, aut major ad ventriculum sensibilitas, — nec prægnans uterus, nec tenera ætas, aut senectudo, ab emetico absterrebit: quod, mitiori ægritudine, sub iisdem contraindicantibus, cum purgante commutari interdum oportebit. Nec interim evacuante per inferiora medicamento, vomitorii potenter indicati actionem supplere licet; nec major ab isto, quam a tarda in gastricis ac profusa diar-

rhœa, quæ neglectam insequetur emesin, ægrotantis debilitas timenda erit. Quidquod & tardior saburræ ad superiora turgentis significatio, nisi latens abdomine, aut thorace inflammatio imponat, aut vires jam propemodum deletæ obstent, vomitorium sibi non raro expostulet. Interdum paucæ erunt, quæ per vomitum a stomacho excutiantur materiæ: sed magna hunc ipsum imminutio symptomatum insequitur, ex qua conjicere fas est, vel parva interdum principia majoribus turbis subesse, vel emeticorum actionem in ejecta minus consistere materia, quam in alia super nervis abdominalibus potentia esse quærendam. Siccissimam et fere ustam in ore linguam, ab emetico, mox placidissimo rore madefactam, & naturali mollitie repristinatam, tum nos ipsi conspeximus, tum alii; ut igitur nec ab hoc quidem symptomate vomitorii indicati administrationi contradicatur.

Quotiescunque vero saburrarum nova comparent indicia, interpositis, quæ viscidiorem pituitam resolvere ac præparare possint, remediis incidentibus ac salinis, ad novas evacuationes, modo jam satis indicato (§§. 59. 60.) vel ore, vel alvo instituendas eousque properamus, donec vel potissima sordescentis abdominis vestigia dispareant, vel debilitatis a saburrarum actione non derivandæ ratio mutare consilium jubeat. Atque tunc iterum antimonialia, sed refractis dosibus, cum haustu salino, aut sero lactis sat copioso soluta, gradatim porrecta egregie conferre, et non modo alvum quotidie, sed et cutaneam secretionem promovere observantur. Potus interim vel ex aqua & oxymele, vel ex sero lactis, vel lacte ebutyrato, vel ex succis fructuum horreorum recenter expressis, cumque frigida remixtis; clysteres vero ex similibus, quotiescunque alvus re-

luctatur, frequenter injiciendi sunt. Si majores æstus, post institutas jam evacuationes, urgeant; vitrioli acidum, frigidæ sat magnæ quantitati conjunctum, tum hos ipsos, tum bilis corruptionem frenabit. Interim ægritudine jam quidquam adulta, factisque necessariis depletionibus, conducunt illa, quæ transpirationem moderate secundant, singulaque corporis colatoria aperta servare queunt. Hinc iterum refractæ tartari emetici portiones cum haustu salino combinatæ perbelle operantur: ut cessante evacuantium indicatione, interdum solæ, curationem morbi perficiant.

Cortici Peruviano locus erit, ubi, ejectis saburris, remissiones sat manifestæ occurrant, nec inflammatoria diathesis roborantium usui refragetur. Summos vero hoc medicamentum, vel sub leviori etiam remissione, effectus promittit, cum ex *intermittentis* paroxysmis *continua* componatur.

Cura febris pituitosæ.

§. 110. *Pituitosæ* febris, in qua inflammatoriæ dispositionis, sat raræ, vestigia desunt, curatio exigit, ut tenax primarum viarum gluten solventibus prompte reddatur mobilius, & qua celerius id fieri potest, solutum, per emesin ejiciatur. Interdum hæc aliquoties repetenda venit operatio, adhibitis, tempore intermedio, incidentibus ex decoctis graminis, taraxaci, cichorei, florum arnicæ, cum solventibus aliis, sale ammoniaco, & refractis tartari emetici dosibus. Ipsa vero emetica, ob glutinosam ventriculi custodiam, vel ob nervorum sensibilitatem minorem, facile actione sua spoliantur: hinc potior & hic est *antimonialium*, quam ipecacuanhæ ad ciendos vomitus efficacia. De intestinis quoque pituita liberandis nunc cogitandum erit; sed ob facilem in colliquantes diarrhœas nisum, fortiorum hic exulet

usus; rhabarbarum vero, cum aliqua portione ipecacuanhæ, vel cum sale ammoniaco, vel cum sulphure aurato antimonii, vel demum cum magnesia caustica, præscribendum, alvusque tum his, tum clystere, aliquoties in die movenda erit. Acidorum hoc in morbo usus vix emolumento, interdum vero damno esse observatur.

Si *contagium*, & fortiora *nervosæ* symptomata huic febri subesse videantur; tunc, morbo ad ejus simplicitatem, per emetica imprimis, reducto, is ipse remediis cardiacis excitantibus (§. 94.) expositis, pertractandus erit. Valent & hic, quæ ibi de *corticis* usu dicta fuerunt, sæpiusque in *pituitosa febre*, cum vel in pulvere, vel excitantibus nec quidquam suffultus præscribebatur, anxietatem suscitasse est visus. Major vero intestinis a pituita liberatis irritabilitas esse, & incauta evacuantium dosis fatalem hic excitare consuevit diarrhœam. Hæc autem si morbo accedat, remediis (§. 97.) expositis arcenda est; nec tardioribus emeticis hic tam facile, quam in præcedenti specie (§. 109.), locus est: cum, fractis jam morbo viribus, hæ ipsæ per majorem evacuationem non possent non amplius prosterni.

§. 111. Quid in *febris gastrico-nervosæ* curatione præstandum sit, hoc alibi (§§. 94. 96. 97.) jam abunde indicavimus. Magni vero hic interest discernere, num *simplicem* morbum, num *complicatum* pertractemus: nec enim *inflammatoria* hic semper dispositione liber incedit (§. 90.); nec contagium frequentissime deest, quod majorem ægritudini malignitatem concedat. Ipsa quidem materiæ abdomine coacervatæ interdum tanta est depravatio, ut, venenorum modo, vel solo nervorum contactu, vel

Cura gastricæ nervosæ.

ad sanguinis massam resorpta, nervosum systema, contagiorum fere exemplo, aggrediatur, ac potiora *nervosæ* producat phœnomena; sed tamen majora, sine *contagii* accessione, artis habentur subsidia, tutiorque longe purgantium usus tunc observatur.

Primum igitur est, ut in causas morbi diligentius respicientes, easdem citissime ab ægrotante removeamus. Deinde temporis, quo febris duravit, & virium vitæ, & annuæ constitutionis habenda est ratio. Summa igitur tum aeris, tum rerum, quæ ægrotos circumdant, puritas esto; victusque majori ad primas vias corruptioni favens, animalis imprimis, exuletur omnis. Quæ vero in his collectæ præsentem morbum aut generarunt, aut comitantur sordes: hæ, quamprimum ad evacuandum prompta sit materia, emetico antimoniali, aut, si diarrhœa jam subintret, ipecacuanha, toties, præmissis, si opus esse videatur, resolventibus, expellantur; quoties & signorum id expetat ratio, & ægrotantis vires permittant. Abhinc vero & intestina saburris, bile, aut vermibus, tum per cremoris tartari, pulpæque tamarindorum in sero lactis solutionem, tum, si vermes indicare videantur, addito his valerianæ, aut santonico pulvere, liberanda sunt: quem ad finem refractæ emeticorum cum haustu salino porrectorum doses, ac clysteres ex aqua & aceto, & ibi potissimum inservient, cum majoribus prostratio virium evacuationibus jam nimis repugnat. Rarum est, sed interdum accidit, purgantia per alvum remedia virtutem emeticis exserere superiorem, quotiescunque nempe major ad intestinorum canalem, quam ad ventriculum, saburrarum copia collecta hæret; utplurimum vero, & interdum in provectiori adhuc stadio morbi, summa est, nisi exhaustio maxima refragetur, procurandi necessitas vomitus.

Emeticorum actionem per *calidam* promovere, nisi paucam, consultum non est; pro siti vero, frigida, vel & glacialis aqua, cum acidiusculis succis remixta, potissimum, gratumve ægrotantibus potum constituit. Si ventris dolor, aut spasmus, mitiora implorent evacuantia; tunc amygdalarum, olivarum, recenter expressum, aut *ricini* oleum, securissimum præstat evacuans, vanusque timor est, ne ab animali calore, aut a bile admixta, hæc olea rancescant. Utilissimam vidimus olei, cum tartaro emetico, pauxillo aquæ & mucilaginis arabicæ, soluto, miscellam: qua per horas successive porrecta, sensiliorum ægrotantium alvus blandissime excitatur, ac tormina fæcali acredine inducta potenter sedantur. Sæpius sub ipso morbi decursu nova quasi sordium intestina inundat colluvies, quæ repetitam purgantium opem requirit; sed refractæ stibii emetici doses, cum haustu salino, aut sero lactis epicratice porrectæ, huic necessitati satisfaciunt: & quo major contagii, viriumque successu morbi prostratarum est ratio, eo magis timeatur oportet, ne incauto purgantium usu, quod reliquum est vitæ, evacuationibus expellatur.

Acidorum mineralium his in febribus usum jam alibi (§. 94.) restrinximus, eorumque sub æstu majori bilisque corruptione insigni, administratio, nisi inflammatoria id renuat dispositio, utilitatem habere observatur; interim vix tantum in secundas vias effectum ab his ipsis expectabimus, plurimumque laudis ex *putredinis* theoria huic remedio accrevit; quod certe, si major jam virium dejectio urgeat, ægrotis non sine damno præbetur, sæpiusque, licet optime dilutum, aridissimas jam fauces inflammasse, nobis visum est.

Quamprimum vero sordium abdominalium signa,

quibus fides haberi queat, disparuerint, nec latentis vestigia inflammationis, nec evidentior morbi continuitas impediat; a cortice Peruviano summa *sæpe* virtus exspectari potest. Non tamen universalem hujus remedii laudem confirmamus, qua indistinctim hac in febre, post absolutas evacuationes, vel omnibus porrigendum esse quamplures contenderunt. Debiliores certe, sub datis circumstantiis, hoc remedii genus egregie sustentat; sed a vino, aliisque cardiacis longissime superatur, quotiescunque ex *intermittentium* familia conflata non est *continuæ* natura, vel saltem aperta satis exacerbationum remissio, aut pulsus mollis, minorque urinæ rubedo, non observantur: quibus sub circumstantiis sæpe magnas hic cortex anxietates, spirandique difficultates excitavit. Hujus idcirco medicamenti usum, tum prædictæ cautelæ, tum regnantis epidemiæ character, tum sollicita prægressorum attentio, rectificant; nec parva tunc ejusdem portio, sed quæ tanto morbo penitus debellando sufficere queat, præscribenda est. Sed quæ simpliciorem nunc febrem & fere *nervosam* (§. 88.), respiciant, quamque magna a vino, vesicantibus, camphora, aliisque cardiacis exspectanda sint subsidia, jam alibi satis fuit expositum (§§. 94. 97.)

Cura gast. inflamm.

§. 112. Complicatam cum indole *inflammatoria gastricam*, ad leges pro intermittente hujus naturæ traditas (§§. 52. 71.), — non tamen sine certo ad diversas hujus febris species (§§. 100. 101. 103.) respectu, pertractamus. Neque enim *inflammatorio-pituitosa* febris, quamvis venæsectionem non semper excludat, majorem sanguinis perferre potest jacturam; neque hanc tam facile perfert *gastrico-nervosa*, aut *contagiosa*, quæ plethoricum, juvenemque homi-

nem ex improviso invadit, aut externæ sese læsioni interdum associat. Cæterum pro sananda febre *inflammatorio-gastrica*, regula hæc erit: ut prædominantis vel inflammatorii, vel gastrici genii potior habeatur ratio; utque illius cura non sine magna latentis in abdomine saburræ consideratione suscipiatur. Hinc venæsectio omnino evacuantibus cæteris, idque eo magis præmittenda erit, si visceris quædam subesse videatur inflammatio: cujus ab emetico lethalis certissime foret, sine præmissa venæsectione, exasperatio. Hæc igitur mox a morbi principio instituenda, & pro symptomatum vehementia repetenda est, sub quo interim resolventibus ex nitro, sale ammoniaco, cremore tartari, potuque ex sero lactis ac tamarindis parato, aliisque, tenaciores ventriculi, intestinorum sordes sine stimulo ad proximas evacuationes præparamus, alvumque per clysteres quotidie sollicitamus. Sed cavendum, ne larva nobis inflammatoria imponat: sub qua vires mox a detracto sanguine prosternuntur, vix amplius relevandæ. Hinc sub dubia quodammodo indicatione, medentis in præsentia, ac imposito arteriæ digito, secentur venæ; sique pulsus hoc sub opere attolli observentur, cruoris cum fiducia major aliquanto copia detrahatur. Ipsa dein, vel paucioris, sanguinis conditio, cum regnantis constitutionis charactere, aliisque symptomatibus comparata, quid ulterius audendum esse possit, utplurimum docebit. Est tamen, ubi sub ipsis his dubiis, arteriæ, secta licet vena, sub digitis nequidquam attollantur, quin ideo detrahendi cruoris minor sit necessitas; sed difficile est ea, quæ expertum tunc medicum dirigant, verbis exprimere, & ad lectulos magis, quam literis, doceri hæc possunt. Sed frequentius sat manifesta hic est mittendi sanguinis indicatio; eamque, si urgeat, si-

ne ullo resorbendæ sic gastricæ materiæ timore, prosequimur audacter.

Pacato febris impetu ac inflammatorio charactere, morbus ut *simplex gastrica* (§§. 99. 109.) tractandus : semper vero retinendum erit, devicta licet inflammatoria sanguinis indole, hanc ipsam tamen per sat multum tempus vix in integrum dissipari, & a quovis diætæ, aut curationis stimulo, promptissime posse revocari. Hinc cibi pauciores, iique vegetabiles, potus vero sat copiosi, ac aciduli, ægrotis temperato in aere degentibus præbendi ; remedia vero, quæ tam inflammationi, quam saburrali causæ opposita sint, præscribenda erunt (§. 109.).

Inflammationes gastr.

Non reticendum hic est, interdum febres epidemicas comparere, in quibus *inflammatoria* symptomata, cum localem, aut topicam oculorum, faucium, pectoris &c., aut rheumaticam, catarrhalem affectionem comitantur, aut dysenteriam, exanthemata varia, morbillos, variolas, circumdant, *gastricis* longe prævalere signis, & majorem curationis partem ab audaci sanguinis detractione exspectare videantur; cum interim experientia ostendat, a profuso uberius cruore, valdopere morbum augeri : qui vix peracta vel unica, vel altera venæsectione, copioso amarissimæ bilis vomitu, promptissime solvatur. Tales nobis epidemiæ frequentius occurrerunt, multasque conspeximus *ophtalmias*, *anginas*, *peripneumonias biliosæ* potissimum *indolis*, & quæ, cum ob apparentem inflammationis intensitatem copiosis venæsectionibus ab incautis, & constitutionis annuæ, causæque morbi ignaris viris pertractarentur, civium animos artificiali prorsus lethalitate consternebant : ex quo apparet, non in quavis febre *bilioso - inflammatoria*, venæsectionem præcipuum curationis momentum constituere; nec ubique vomitoria ad plenariam

usque symptomatis inflammatorii dissipationem sat tuto posse differri.

Monendum quoque hic est, in complicatis cum inflammatoria dispositione gastricis, sub morbi fine, *sudores* salutariter plerumque a natura intendi: quæ idcirco tam proficua ægrotantibus excretio, post fractos tum inflammatorios, tum gastricos morbi istius impetus, lenioribus diapnoicis ex haustu salino, vino antimoniato, Rob sambuci, & ejusdem plantæ infuso, secundanda erit. Si felix ad partem externam *metastasis* contingat, hæc ipsa emollientibus, anodynis remediis fomentanda, & ad perfectam suppurationem ducenda est. Si depositio ad viscus facta, ominosa de novo excitare videatur symptomata; habito ad prioris morbi naturam respectu, venæsectio, evacuantia, vesicans, atque alia, ex prædicti sat facile eruenda, indicantur.

§. 113. Reliqua ex morbo ægrotantis debilitas, quod ubique retinendum est, remediis & diæta, pro febris superatæ natura & indole varia, diversis corrigenda est. Nunc enim lenia evacuantia roborantibus commixta, infusum rhei, cum corticis decocto; nunc vero hoc solum, aut amara & martialia indicantur remedia: quorum usum nec linguæ continuans mucositas, nec forte superstes oris amarities, oppressio stomachi, aut diarrhœa, præpedium. Alias elixir vitrioli, cum cortice nuptum, ac vinum generosum conveniunt: cum illi, quibus inflammatoria complicatio pericula auxit, roborantium usum sine damno perferre non possint. Sunt, quibus repetita hinc inde vesicantia, aut fonticulus, potissime conducunt. Nullis non animi quies ac recreatio, corporis adæquatum viribus exercitium, & aer campestris proficere observatur. Reconvalescentia rat.

ORD. II. GEN. III.

FEBRIS CONTINUA INFLAMMATORIA.

Notio. §. 114. Aliud *continuæ* febris genus est, quod ex aucta cordis, arteriarumque irritabilitate & actione exortum, majori, quam cæteræ febres, symptomatum continuatione mortales terret, ac ob frequentem, quam cum aliis complicationem amat, jam sæpius nominanda fuit, *inflammatoria febris*.

Natura et extensio. §. 115. Hæc ipsa, tempore quovis, maxime verno, hibernoque sub frigore sicco, interdum vero fervidissima æstate, adoritur homines laute nutritos, plethoricos, juvenes, ac fortiori, irritabilique fibra constructos; nec pueris tamen, nec feminis parcit; et cum quavis corporum constitutionem tum sana, tum morbosa connubium inire observatur. Colles, locosque sicciores, septentrionali vento perflatos prædiligit; sed nec planitiem, nec ipsas adeo paludes dedignatur; ac sub calidiori non minus, quam boreali sub cœlo domicilium figit (§. 107.).

Symptomata. §. 116. Subito quidem hic morbus et inopinato frequenter accedit. Horror utplurimum validior ac fortis, interdum levis, aut nullus, scenam aperit. Sequuntur ignes tangentis digito mox fere ustionis sensum imprimentes, brevi tempore, sub maximo licet calore, moderatum. Pulsus frequentes, vibrantes, fortes, ac duri; sed a cruoris copia, aut a spasmo, dolore, facile oppressi. Subtumens, et sanguine suffusa est universa cutis, imprimis facies; rubent, fulgentque oculi, labia cum ore siccantur;

lingua, sub initio humida, ingravescente morbo fit arida, et rubra; nares siccissimæ, cum odoratus gustusque sensu fere abolito. Interea sitis intense urget, ad caput dolor hæret, & sub nullo, qui ingratus esset, oris sapore, interdum nausea, ac brevi cessans vomituritio, aut vomitus observantur. Respiratio vix difficilis, sed cita, anhelosa et calida; artuum gravitas, lassitudo, in pueris somnolentia, sopor, convulsio; in adultis vigiliæ, insomnia terrifica, deliria interdum phrenitica cum temporalis arteriæ pulsatione, cordisque magnis vibrationibus. Urinæ ardentes, parcæ, flammeæ, aut rubræ; alvus sicca et difficulter excernenda, transpiratio fere nulla, et sanguinis ex naribus stillatio. Hic vero e venis, nunc quidem, eductus, ruberior sano, firmusque apparet; sed paucorum dierum intervallo, emissus cruor obtegitur corio denso, subflavo ac tenaci, multumque circa placentam ponderosam colligitur serum.

Sic febris ista, cum primas origines duxit, vehementi cum impetu continuat, et vel brevissimo tempore per abundantes sudores, per urinam turbidam, copiosum sedimentum post breve intervallum deponentem, aut denique per copiosam narium hæmorrhagiam, solvitur: ubi veram *Ephemeram* vel *simplicem*, vel *protractam*, quæ *inflammatoriæ*, vel *sanguineæ* nomen meretur, constituit. Ephemera inflammat.

Nunc vero, ex causis majoribus orta, longiores cruciatus meditatur, et ad septimam fere, nonamque diem, non tamen sine quadam symptomatum ad noctem exacerbatione, ac aliqua versus matutinum tempus remissione, cutisque leni madore, protrahitur; donec vel eodem, ac ephemera vix descripta, modo, in salutem terminetur; vel, methodo perversa, sudoriferis, calefacientibus exasperata, sub *ner-*

vosæ febris apparatu, ad lethalem exitum præparetur.

Divisio. §. 117. Nimius tum cordis, tum arteriarum impetus ac reactio major vel ex *simplici* stimulo; vel, morbillorum, variolarum &c., exemplo, ex materia oritur, quæ per se alterius naturæ morbum constituit; aut ab hoc tandem producitur ipsa: atque tunc inflammatoriæ febris *complicatæ* natura resultat. Non *acutam* semper hæc ipsa, sed ex continuato in longum stimulo *chronicam* interdum, lentamque indolem habere observatur. Sed quemadmodum inflammatio sine febre universali frequenter occurrit: sic et febris inflammatoria, nunc sine conspicuis topicæ inflammationis signis, nunc vero cum partis alicujus speciali phlogosi deflagrat.

Causæ. §. 118. Quæcunque cordis, arteriarumque systema ad violentas, et continuatas contractiones stimulare possunt, ea in prædispositis hunc ad morbum hominibus (§§. 66. 69. 115.) febrem inflammatoriam excitare valent. Jam a solo in longum tempus protracto corporis exercitio, fortissima quævis animalia hunc in morbum illico conjiciuntur. Sed quæ peculiari stimulo in ipsam cordis vasorumque substantiam agunt, non absimiles ea hoc in systemate effectus exserere observantur. Experimenta quidem super arteriis instituta, earundem irritabilitatem vix notabilem esse evincunt; sed sua est cuivis parti ac propria quidem sensibilitas, quæ fortissimis interdum excitantibus non respondet: cum a leniori, nec sensibus aliis, nec chymica indagine pernoscendo stimulo, promptissime in maximos rapiatur motus. In vehementissimis inflammatoriæ naturæ febribus, sub enormi cordis arteriarumque agitatione, non mo-

do has ipsas, sed venarum totam compagem, interna superficie undique profunde rubentes ac inflammatas nos primum conspeximus; similesque arteriæ, imprimis magnæ, phlogoses partiales, sub iisdem circumstantiis, jam pluries ostendimus: quæ certe arteriosi, venosique systematis a certis stimulis, ab intus quidem admotis, irritabilitatem abunde confirmant. Quæcunque igitur vel nata in sanguine, vel illuc advecta materia stimulans, ex suppressa imprimis, septentrionalis venti post sudores afflatu, potu gelido, balneis frigidioribus, vestimento leviori, transpiratione oriunda; vel rheumaticum, arthriticum, contagiosum, purulentum, venenosum acre &c., spirituosi potus, frequentem inflammatoriæ febris originem constituunt. Nec minus huc spectant, quæ nervorum præcipue actionem intendunt, pathemata incitantia, contentio animi, vehementior ac diuturnus dolor, vigiliæ protractæ, læsiones variæ; tum naturalis, vel assuetæ excretionis per nares, intestina, vel uterum retentio, calidissima balnea, ictus solis; & alia, quæ sicut localem in parte inflammationem excitare (§. 125.), sic & febrem, de qua sermo est, validissimam intendere queunt.

§. 119. Purioris morbi, si rectius eidem ac in tempore occurramus, pericula tanta quidem non sunt; ac ipsa sæpe natura per largiorem ex naribus hæmorrhagiam, acutiorem alias longamque febrem in *Ephemeram* (§. 116.) convertit, solvitque totam. Hæc ipsa cruoris per diversa colatoria expulsio tardiorem jam morbum, sed non sine larga sudoris, ac urinæ sedimentosæ excretione, circa septimum fere, undecimumque diem, dissipare consuevit. Interdum vero ex insigni humorum æstu citissimus in lethales viscerum infarctus inflammatorios et gangrænam fit Prognosis.

transitus; aut hæmorrhagia interna citissima morte ægrotantem aufert. Singularis est hoc in morbo ad metastases suppuratorias dispositio, quæ coagulabilis ac semipurulentæ lymphæ transudationem ex vasis in vicinam cellularem, probabilem admodum reddit; & ex resorpta hac morbosa, nec in laudabilem amplius succum convertenda materia, videntur tum subitanei illi, ac sine locali inflammatione nati abscessus, tum copiosum in urinis, ac purulentum sedimentum, ac fere similis per alvum secessus, derivari posse. Testiculorum subinde tumor phlegmonosus hic succedit, quem promptissime in lethalem suffocationem ex sanguinis in pectoris cavum effusione abiisse conspeximus. Cæterum & anginæ, & pulmonum, fatalem phthisin minitantes, abscessus, miliaria interdum, præcipue alba, ex imperfecta hoc in morbo crisi, nec non varia nervorum, ex facta super his metastasi, vitia frequenter oriuntur.

Cura. §. 120. Quæ *complicatæ* inflammatoriæ febris curam spectant, ea diversis in locis (§§. 46. 62. 71. 95. 112.) exposita habentur, ac ex cæterorum morborum consideratione ulterius patebunt. *Simplicioris vero inflammatoriæ* medela consistit in eo, ut nimiam systematis vasculosi reactionem, humorumque impetum promptissime restringamus; ut potu copioso, diluente, acidiusculo sanguinis æstum, ac irritantem vasa naturam imminuamus; ut quemcumque ab ægrotantibus stimulum solicite auferamus; ut sub fine morbi illas præcipue excretiones, per quas natura crisin molitur, blandissime promoveamus; turbarumque effectus, aut morbos, in quos inflammatoria febris abiverit, quo fieri potest modo, tollamus.

Nimiam cordis, vasorumque reactionem *venæsectio-*

Venæsectio.

ne potenter infringimus. Hæc enim cruoris massam a corde ac arteriis movendam imminuendo, majoris irritationis motusque causam imminuit, plenitudinem nimiam vasorum, pressionem, spasmum, caloris, ab his saltem oriundi, rationem aufert; elasticitatem vasorum, quæ secretionibus presidet, motusque libertatem restituit; extravasati in cellulosam sanguinis, lymphatici, serosi humoris resorptionem facilitat; excretiones redintegrat; respectu partis a vulnere dissitæ, licet huic rei, mathematicis in vivente machina calculis nequaquam submittendæ, nimium certe tribuerint, pro momento revellit; ratione vero illius, in qua vena secta est, et quæ plus nunc sanguinis accipit, pro tempore derivat, nimiasque, et in sui ipsius destructionem tendentes, corporis vires imminuit: ex quibus luculenter apparet, magnum in venæsectione, si vere indicetur, remedium morborum esse positum; sed nihil insimul in Medicina esse, quo tam sæpe abutantur Medentes, quam venæsectionem.

Indicatio venæsectionis ex symptomatum (§. 116.) vehementia, non ex sola corii, seu *crustæ*, ut vocant, *inflammatoriæ* constitutione, petenda est. Quo prius vero, et morbi magis initio sanguinem mittimus, eo melior a venæsectione obtinebitur effectus. Interim et tardius, et quocunque morbi tempore symptomata illam vere indicent, sanguis tuto mitti potest; neque, ob falsam hypothesin, elapso triduo, vel quatriduo, neque, ob menstrui forsitan comparitionem, aut provectæ, aut infantilis ætatis rationem, sine damno, vel per horam, intermitti, aut suspendi venæsectio potest.

Sanguinis detrahendi copia, ab ægrotantis ætate, sexu, constitutione, morbique ipsius vehementia, determinatur. In genere, ubi cum locali, visceris præ-

cipue nobilioris, phlogosi febris nostra incedit, major ut plurimum cruoris copia mittenda est. Infantes interim tam largas venæsectiones difficulter perferunt, sæpiusque *hirudinibus*, aut *cucurbitulis scarificatis* apud illos est locus: quæ certe non minus apud adultos, infracto jam per venæsectiones febris impetu, si partialis subsit inflammatio, loci inflammati vasa egregie deplent, spasmisque ac tensioni, doloribus, medentur. Parum vero apud adultos, hac febre decumbentes, paucarum unciarum, quantumvis repetita sæpius, cruoris detractio juvat: unica nempe ac sufficiens ex largiori vulnere instituta venæsectio morbum longe certius, quam si majorem cruoris copiam, sed longiori tempore, detraxissemus, jugulat.

Hirudines, scarificat.

Interim nec sub iisdem quidem signis, semper eadem, sub quavis anni constitutione, venæsectionis abundantioris necessitas est; nec in eo certe inflammatoriæ febris cura versatur, ut sine discrimine ac mensura cruorem disperdamus. Hinc ad lipothymias usque hunc ipsum fundere, ut periculosæ rem aleæ habemus; nec citius, quam par est, venæsectionis vix institutæ effectus exspectari, vel sine summa necessitate hæc ipsa mox frequentius repeti potest. Licet vero mittendi sanguinis copia, venæsectionum *numero* circumscribi non queat; semper tamen mente revolvendum est, vel in ipsis inflammatoriæ naturæ morbis, naturam certis adhuc viribus, sub ægritudinis fine, indigere; ac cavendum esse, ne, quos morbus forte nequaquam occidisset, hos scalpello crudeliter trucidemus.

Quamvis vero *refrigerantium*, ut vocant, actio, talis quidem in humano corpore esse non possit, qualis ex salibus mediis cum aqua remixtis, extra hoc ipsum, observatur; nihilominus tum salia neutra,

Refrigerantia.

tum acida vegetabilia sat egregios hac in febre effectus habere, vasorum solvere spasmos, impedimenta cordi opposita auferre, ac calorem infringere, sæpius conspiciuntur. *Nitrum* quidem decoctis hordei, avenæ, vel frigida solutum, a duobus fere drachmis ad unciam dimidiam, per diem, frequenter præscribimus; ad majores vero doses porrectum, a paucis certe, iisque robustioribus tantummodo viris, perferri observavimus. Eadem sæpe irritabilitas stomachi lautiori *ammoniaci salis* usui refragatur. Hinc frequentior nobis *pulverum temperantium* (N. XVI.) usus est; fructuumque horæorum recentes, acidulosque succos, vel cremorem tartari, vel acetum cum aqua & melle ægrotantibus, sub variis formis offerre solemus. Nisi major cordis, vasorumque tonus obstet, *frigida* potior, aut ægrotis gratior potus non existit.

Aer frigidiusculus.

Sed nihil calorem animalem ex istis moderabis, nisi atmosphæra, quæ ægrotantem ambit, tum puritate maxima excellat, tum grato ac moderato frigore succurrat. Frigidior quidem aer sub graviori, pulmonum imprimis, inflammatione cum damno corpus, hosque ipsos, allidit; sed temperata aeris conditio, & ægrotantis extra lectum positio frequens ac cauta, ardentes æstus, anxietatem, deliria, aliaque febris inflammatoriæ symptomata, præ aliis longe infringit.

Clysteres.

Nec minor *clysterum* ex aqua cum nitro & oxymele, vel ex lactis sero, utilitas est, atque summa hac in febre necessitas. *Purgantium* quidem in hac ipsa indicatio, vix, nisi gastricæ saburræ signa hæc exigant, urgebit: sed frequentior fere hic casus est; & institutis jam venæsectionibus, tamarindorum pulpa, cremorque tartari cum nitro, in sero lactis, aut

aqua soluta, non sine conspicua utilitate, aliquoties in die alvum movebunt.

Quo vero tempore futuram morbi per sudores solutionem prævidemus, oportet cutem humoribus perviam, docilemque reddere; ac hos ipsos leniori diapnoico ad superficiem invitare. Balnea interdum, tepidique fotus, egregiam hic opem largiuntur; & haustus salinus cum vini antimonialis portione junctus, tum infusum sambuci, aliudque subcalidum potulentum, secundæ indicationi respondent. Ne tamen sudor præpostere hoc in morbo moveatur, ac ne delitescens sub cineribus ignis incauto stimulantium usu rapiatur in flammas! quæ scilicet sub tam infausto artis conamine ad cutem exanthemata comparent, illa nec ullo morbi levamine efflorescunt, facilemque febris in *nervosam* transitum prædicere observantur.

Si quæ narium hæmorrhagia ægrotantibus superveniat, ea nec adstringentibus, nec contrariis quibuscunque remediis, nisi major, quam par sit, virium dejectio insequatur, cohibenda.

Vesicantium hoc in morbo, nisi in alium jam conversо, usus esse vix potest. Vana sunt certe, quæ, in vivente homine, a vi cantharidum solvente exspectantur subsidia; & vana sanguinis per vasa nunc circulantis spissitudo major. Interim si vitæ vires a nimiis forte venæsectionibus, aut a causa non inflammatoria, prostratæ id exigant; ac fortiora interdum deliria cum pulsu debiliori urgeant; aut si localis inflammatio venæsectionibus jam jam infracta jubeat: vesicantium usui, qui & spasmos interdum sedabit, & sudorem eliciet, quam minime repugnamus. Sopori alias ac delirio hoc in morbo occurrentibus felicius opponentur aut occipitis scarificatio & cucurbitulæ, aut hirudines post aures, vel ad tempora,

vel naribus, applicandæ, vel ipsa, si vires permittant, jugularis venæ incisio.

Quod ad *corticis Peruviani* hac in febre usum pertinet; ille, a pluribus licet laudatus, paucissimis in casibus innoxius esse potest. *Intermittentes* ipsæ, quæ inflammatoriam indolem aliquando ostendunt, ab hoc remedio non tam raro in continuas pervertuntur; & nisi magna vel hujus remissio, vel virium projectio conspicua id jubeat, roborantium, viresque jam nimias erigentium actio non potest non ægrotantibus officere.

Quæ abscessus ex imperfecta inflammatoriæ crisi nonnunquam prorumpentes concernunt, illa ex regulis alibi (§. 112.) expositis facile intelliguntur.

Facilior post febres *inflammatorias* reconvalescentia, & promptior virium restitutio observari consuevit. Hinc non tam urgens hic est roborantium nutrientiumque indicatio, ut non ex citiori alimentorum vinique præpostero usu, vix superatæ ægritudinis scena sæpissime reiteretur. Solius naturæ vires, & juvenilis ætas, superandis morbi sequelis utplurimum sufficiunt; ac sub vegetabili, digestuque facili cibo, infusum chinæ cum frigida paratum, præ cæteris restituit. Reconvalescentia.

FORMULÆ MEDICÆ

IN §§. PRÆCEDENTIBUS CITATÆ.

Num. I. *Decoctum resolvens.*

℞. Recipe Radicis graminis unciam unam, coque in s. q. aquæ, ut colatura sit librarum duarum.

N. II. *Pulvis resolvens.*

℞. Cremoris tartari pulverizati unciam dimidiam,
Tartari emetici (*) granum unum.
Misce exacte, & divide in sex partes æquales.
Interdum duo grana tartari emetici, cum uncia dimidia Cremoris tartari miscentur.

N. III. *Haustus salinus.*

℞. Spiritus Mindereri aut aceti ammoniacalis,
Infusi Sambuci, ana uncias tres;
Oxymelis simplicis, unciam unam.
Misce.

N. IV. *Solutio emetica.*

℞. Tartari emetici grana tria.
Solve in aquæ destillatæ unciis tribus.
Misce.

N. V. *Pulvis emeticus.*

℞. Radicis Ipecacuanhæ grana viginti,
Tartari emetici granum unum.
Misce, fiat pulvis.

N. VI. *Emeto-Cathartícum.*

℞. Salis Anglici unciam unam,
Tartari emetici grana duo.
Solve in aquæ destillatæ unciis sex.

(*) Præparatur apud nos cum pulvere *Algaroti*, et Cremore tartari, methodo jam cognita.

N. VII. *Pulvis alvum evacuans.*

℞. Pulveris radicis Jalappæ drachmam dimidiam,
Tartari vitriolati scrupulum unum.
Misce.

N. VIII. *Potio laxans.*

℞. Salis Anglici unciam unam cum dimidia,
Mannæ electæ unciam unam.
Solve in aquæ unciis sex.

N. IX. *Potio laxans.*

℞. Radicis rhei electi drachmam unam,
Foliorum Sennæ drachmas duas,
Salis Anglici unciam dimidiam.
Infunde aquæ fervidæ s. q.
In colatura unciarum sex, solve Mannæ electæ unciam unam.

N. X. *Pulvis nauseans.*

℞. Pulveris radicis Ipecacuanhæ grana duo,
Sacchari albi scrupulum unum.
Misce.

N. XI. *Pulvis nauseans stibiatus.*

℞. Tartari emetici granum unum,
Sacchari albi scrupulum unum.
Misce, fiat pulvis.

N. XII. *Solutio amara.*

℞. Extracti gentianæ drachmas duas,
Solve in aquæ Menthæ piperitæ unciis quatuor.

N. XIII. *Solutio amara vinosa.*

℞. Extracti gentianæ drachmas duas,
Solve in vini Cyprini unciis quatuor.

N. XIV. *Acetum camphoratum.*

℞. Camphoræ drachmam unam.
Teratur in mortario lapideo cum spiritus vini rectificati guttis viginti,

Sacchari albi unciis duabus.
Probe tritis affundantur
Aceti optimi unciæ decem.

N. XV. *Emulsio Arabica.*

℞. Gummi Arabici unciam dimidiam,
Amygdalarum dulcium excorticatarum N. III.
Sacchari albi drachmas duas.
Terantur invicem, & adeo, sub continua agitatione, olei amygdalarum recenter expressi, quantum cum hac massa uniri potest; posthinc affunde paulatim aquæ uncias octo, et cola.

N. XVI. *Haustus antemeticus.*

℞. Salis alkalini vegetabilis grana viginti.
Detur ad chartam.
℞. Succi pomi citrini recenter expressi unciam dimidiam.
Detur ad vitrum.
Misceantur, & sub actu effervescentiæ ab ægrotante hauriantur.

N. XVII. *Pulveres temperantes.*

℞. Pulveris Cremoris tartari unciam dimidiam.
Nitri puri drachmam unam cum dimidia.
Misce, & divide in sex partes æquales.

Finis Tomi Primi.

DE
CURANDIS HOMINUM MORBIS

EPITOME

PRÆLECTIONIBUS ACADEMICIS DICATA

AUCTORE

JOANNE PETRO FRANK.

TOMUS SECUNDUS.

VENETIIS

1816

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI MOLINARI.

DE
CURANDIS INFLAMMATIONIBUS

LIBER II.

CLASSIS SECUNDA.

INFLAMMATIONES.

GENERALIA DE INFLAMMATIONIBUS.

§. 121. Calor partis, tensio, moles ac durities aucta; utplurimum cum sensu doloris fixi, nunc ardentis, nunc pungentis, pulsantis, nunc gravativi, aliquando nullo, cum colore nunc vivido, nunc profundius rubro; sæpissime cum febre, pulsu frequenter pleno, forti ac duro, sæpe contracto ac parvo, aliquando naturali; ac tumoris evidenti aut in suppurationem, aut in gangrænam nisu, dicitur *inflammatio*. Natura inflammat.

§. 122. Ex his igitur signis (§. 121.) præsens agnoscitur inflammatio; sed ex eorundem complurium defectu, ad absentiam istius, sat infirmo concluditur argumento. Hinc sæpius *occultis* tenentur inflammationibus viscera, & ad partes adeo *externas* hæ ipsæ tam profunde interdum hærent, ut, quo loco nec rubor, nec fere tumor comparuerat, eo non raro purulentus jam humor, aut sanies, subjectam carnem, ac ossa depascatur. In ophthalmiis chronicis, in phthisi pulmonali, in peripneumoniis, ventriculi, intestinorum, ac hepatis inflammationibus &c., dolores frequenter non urgent; & quotiescunque vel paralysis, vel gravior sensorii communis affectio subest, illorum, quæ in partibus contingunt, amittitur conscientia. Non quavis certe sub inflam- Fallacitas symptomat.

matione pulsus vel impetu, vel frequentia augentur, nec ipsæ adeo functiones organorum ab inflammationibus continuo supprimuntur, ut igitur in dijudicanda internorum phlogosi non unum, vel aliud ex allatis (§. 121.) signum; sed singulorum congeriem symptomatum, causas prægressas, & regnantis constitutionis naturam consulere oporteat.

Divisio. §. 123. Varia quoque inflammationis natura est, prout partem vel *externam*, vel *internam*, & inter has vel caput, vel jugulum, vel pectus, vel abdomen, vel artus, vel superficiem externam adoritur; prout vel *primarium* sistit morbum, vel ab alio *secundaria* pendet; prout vel cum *intermittente* (§. 68.), vel cum *inflammatoria* febre (§. 114.), aut cum *gastrica* (§. 98.), aut cum *nervosa* (§. 80.), aut demum cum nulla (§. 122.) incedit: atque hinc vel *benignam*, vel *malignam*, ac interdum *periodicam* mutuatur naturam, cursumque suum vel *acutarum* more, vel *chronicarum* aspectu absolvit. Nec aliorum connubia morborum ab inflammationibus respuuntur; quo illarum vel *simplex*, vel *complicata* resultat indoles: earum exemplo, quæ cum contagio variolarum, morbillorum, aut luis; vel cum acri rheumatico, catarrhali, vel alio, tam frequenter incedunt; legemque vel his imponunt, vel ab iisdem ipsæ reguntur. Frequentius *epidemicum* inflammationes characterem assumunt; aut certis demum regionibus communiores ac vix non *endemicæ* observantur.

Erysipelas. Pro ipsius vero inflammationis externæ vehementia, ac sede vel superficiali lateque diffusa, vel in tumorem circumscripta atque profundius penetrante, *Erysipelatis* illa, vel *Phlegmonis* nomen assumit. Ac

Phlegmone. primum quidem ex istis fusius alibi describendum est; *phlegmone* vero inflammatorium sistit tumorem,

calentem ac profunde rubentem, splendentem, in medio sui elevatum, sæpe acuminatum & exacte circumscriptum, cum dolore distrahente utplurimum insigni ac pulsante, in abscessum frequenter terminandum. Prima hujus principia sub *phlogosis* nomine veniunt, a phlegmone non nisi gradu distinctæ.

§. 124. Descripta (§. 121.) inflammationis symptomata ulteriorem hic dilucidationem ex eo vix admittunt, quod pro varia febris, quæ eandem comitatur, natura (§. 123.), pro differentia causæ, ac pro loci, quo sedem figit, diversitate, hæc ipsa summopere mutentur. Utplurimum quidem inflammatoriæ febris phœnomena (§. 116.) sub locali inflammatione vehementius premunt; ac major tunc hujus in abscessus observatur nisus, ac dispositio: sed quotiescunque aut rheumaticum, aut arthriticum acre tumorem excitaverit; aut extrema cutis, ex bilioso potissimum vitio, superficiali flamma incendatur; tunc rarior longe suppuratio, æque vix benigna, inflammationem terminabit. Si *febris nervosæ* cum hoc affectu symptomata (§. 82.) complicentur, aut vehementior inflammatio partem membranosam, tenuiorem ac valde sensibilem corripuerit; tunc frequentior ejusdem in *gangrænam* exitus observatur: atque sic quævis inflammationis complicatio consuetam alias symptomatum seriem invertit, & non modo eundem morbum facie, sed & medendi methodum vix non penitus interdum immutat. Sympto-mat. varietas.

§. 125. Si causæ inflammatoriæ febris (§. 118.), in unum magis eundemque corporis locum agendo, fortiorem in hoc ipso produxerint stimulum; nascitur tunc in ejusdem loci systemate *partiali* id idem, quod in *generali* ad fortissimas cordis, majorumque Causæ.

vasorum agitationes contribuit. Inscio vix non corde, *primariarum* pars plurima inflammationum adoritur; affectæ partis arteriæ jam pulsant, agitantur vehementer; calorque partialis increscit, priusquam totum vasorum systema in consensum trahatur, ac turgeat. Vim igitur vitalem, nervorum sensibilitatem in parte inflammationem subitura, manifeste conspicimus auctas: ut, qui ab acerrimo aromate, spirituque ardente vix gratum persentiebat calorem ventriculus; hic, cum inflammatione laborat, vel a blandissimi liquoris, aut aquæ guttula mox enormiter convellatur. Nervorum in arterias, quas circumdant, ac in venas imperium tum ex animi pathemate, ex erubescentia, subitoque faciei pallore, ex frequentia pulsus, ac rubris torvisque, sub mentis excandescentia, oculis; — tum ex contagiorum in circulationem actione, abunde innotescit. Quo majus vero muscularium fibrarum robur, & irritabilitatis pendens ab isto momentum est, eo major in phlegmonem promptitudo: & quo sensibilior pars corporis existit, eo magis inflammationibus obnoxia observatur. A simplici apum punctura insignis in parte inflammatio accenditur, & vix perspiciendum sub palpebra sabulum intensam jam oculi phlogosin producit: quæ certe turbarum causæ, non tam obstruendo, quam singulari nervorum irritatione, vasculorum eretismum, ac spasmodicam in contentos liquores agitationem producunt; sub qua tandem vel sanguis ipse, vel lymphaticus, coagulabilis humor in vicinam cellulosam lateraliter exprimitur, ac mutatus transudat.

Non quivis certe stimulus eosdem tum in nervos, tum in arteriarum irritabilitatem (§. 118.) effectus habere observatur; hinc nec quodvis istorum irritamentum inflammationem producere valet: sed

nsignem eorum oportet esse numerum, quæ, dum vel nullum ex aliis sensum afficere videntur, nervorum pulpæ, aut arteriarum irritabilitati inimica, cum in sanguine liberius circulant, *inflammatoriæ febris* symptomata; -- cum vero parti constantius admoventur, *inflammationis localis* imaginem referunt.

Quo vehementior huic irritatio locum dedit, & quo violentior vasorum agitatio est, eo magis secretiones hac in parte supprimuntur. Levior vero inflammationis gradus abundantem variique coloris lympham plorat, quæ, primo in casu, circa vasa inflammata ac in propinquis cellulis collecta, nisi prompte dissipetur, febris ope maturata, præcipuum futuri puris largitur rudimentum.

Irritationes vero, quæ inflammationibus frequentius occasionem porrigunt, sunt læsiones mechanicæ, vulnus, contusio, concussio, fractura, luxatio; corpora peregrina vel pondere, vel mole, vel figura denique, vel motu infensa, fibrarum corporis extensio, compressio, corrosio, adustio; drastica, venena, acre quodcunque, imprimis rheumaticum, morbillosum etc., vel chemicum, vel animale, aut vegetabile; frigus magnum, & quæ alia (§. 118.) enumerata fuerunt.

In ipso sanguine inflammationis causam quæsiverunt, qui ex conspecto his in morbis ejusdem *corio* nunc ad majorem *densitatem*, nunc vero ad *solutam lymphæ naturam* concluserunt. Sed licet hæc ex coagulabili lympha oriunda membrana, seu *crusta pleuritica* in morbis inflammatoriis frequentius compareat; non tamen aut mox initio istorum super sanguine concrescit, aut in sanissimorum adeo hominum cruore tam raro invenitur, ut pro vera inflammationis causa prudenter valeat accusari. Ex eadem

vena, in morbo summopere inflammatorio, detracti sanguinis portio coagulatur, & corium ostendit; alia necquidquam coit; ac sanissimæ alia constitutionis cruorem tuentibus offert. Gravidarum sanguis, vel ille, qui ex ligata diutius vena educitur, firmissimam crustam mox contrahit; ac in morbis, qui de inflammatione vel minimum participant, non infrequens est *corii* præsentia: ut igitur ex tam inconstanti phœnomeno, & ex institutis cum sanguine, jam venis egresso, experimentis, ad illius, qui per vasa fluidissimus circumagitur, naturam, non sine magno erroris concludatur periculo.

Est interim singularis vasorum in parte inflammata conditio, ut, quousque in illis irritatio, ac eretismus continuant, *secretione morbosa* id ipsum nunc præstent, quod in sanorum lympha vix nisi ignis, aut aeris, aut acidorum mineralium contactus potuisset (§. 8.). Expressum sic animale gluten in solidas concretiones, ac in membranas tam pronum est, ut, vel paucorum spatio dierum, vicinas partes, quas natura separatas esse voluit, morboso inter se vinculo conjungat; vel membranaceo, &, quod pluries conspeximus, jam *vasculoso* sacco includat; vel omnem glandularum, viscerum telam infarciat, polyposa, continuo solidescente, materia repleat, & in futuras obstructiones, ac irresolubiles scirrhos disponat.

Exitus inflammat.

§. 126. Hinc varios inflammatio exitus agnoscit: ut nunc extravasata in cellularem materia resorbeatur, partiumque tensio, ac spasmus per blandam

Resolutio;

resolutionem dissipetur; quo in casu, reassumpta in sanguinem lympha per inflammationem adeo mutata, ut de pristina nutrientis principii natura vix amplius participet, sub purulenti humoris imagine, per uri-

nas, aut per alvum, aut per sputa, aut denique per metastases, per sudores olentes, aut per exanthemata expellitur; — vel stagnans in celluloso vasorum inflammatorum ambitu coagulatus humor diuturno fotu, ac præparatione in *abscessum* maturatur: cujus iterum materia, ad sanguinem forsitan resorpta, ut stimulans ac nutritioni inepta rejicitur, aut novam hecticamque febrem accendit; — vel concrescens cum cellulis lypha *duritiem* in parte, cum istius insensibilitate, majorem, aut interdum *scirrhi* rudimentum relinquit; — alias per vim inflammationis sensibilitas partis ac irritabilitas, circulatio omnis, ac naturalis calor destruitur, nasciturque *sphacelus*, aut, si quæ vita supersit, *gangræna*. Interdum, cum inflammatio internam partem occupaverit, non modo purulenta, de qua diximus, materies, sed, & sine hac, copiosum *serum* in cavo, quod illam circumdat, promptissime accumulatur, oriturque *acutus*, vel & *parulentus hydrops*, a quo dolorum, ac inflammationis symptomata disparent; — vel copiosus interdum *sanguis* aut in cava corporis, aut in ipsam visceris cellulosam effunditur. Si cutis superficiem occupaverit inflammatio, tunc, eadem cessante, epidermidis in furfures tenues, aut in latas pelliculas contingit *desquamatio*, quam sæpe humoris serosi ac ex parte coagulabilis, in parvis vesicis collectio præcedit, ac tenaces durasque crustas in parte relinquit. Tandem vero in aliis *acuta* quidem dispergitur, sed *chronica* succedit inflammatio; vel cum eadem purulentæ, sine exulcerationis indicio, fluxus materiæ alternat.

Suppuratio;

Induratio;

Gangræna;

Hydrops acut.

§. 127. *Resolutio* ipsa, qua labes omnis a parte inflammata (si reliquam ad similia dispositionem excipiamus) aufertur, per ipsam quidem moderatam fe-

Resolutionis natura.

brem, in sanis cæterum corporibus, obtinetur; sed præscriptum hoc ad opus ubique tempus non est; & sub violenta licet, vel nobilissimi visceris inflammatione, post decimam sæpe & quartam diem, venæsectionibus repetitis, aliisque subsidiis eandem potuimus a natura impetrare. Interim in multis certe inflammationis jam nimis provectæ *resolutio* expectari vix potest; & copiosior sanguinis hunc in finem detractio naturæ vires ad blandam suppurationem necessarias cum insigni damno disperdit.

Suppurationis ratio.

§. 128. Tumoris inflammatorii *suppuratio* instat, ubi, sub fortiori quidem inflammatione, *resolutionis* occasio aufugit; ubi vel specificus irritantis materiæ nisus in abscessus, vel cachecticus ægrotantium habitus, vel nimia partis affectæ debilitas, & imminuta reactio subest. Incipientis jam *suppurationis* opus prodit febris, ac doloris, sine manifesta causa, & absque consuetis in *resolutione* evacuantibus (§. 126.), decrementum, pulsatio tumoris, & aucta mollities, vel œdematosa cutis inflatio; factam vero & jam adultam suppurationem arguunt febricula continua, post pastum horripilationibus incedens, ad noctem exacerbata, & cum sudoribus matutinis remittens, urgente siccitate ac siti continua; fluctuatio puris, vel ejusdem effluxus, expulsio, rejectio; emaciatio corporis cum sat valido ciborum appetitu; œdema pedum, genarum rubor vespertinus, calor urens ac siccus, diarrhœa, & alia, cuivis parti suppuratæ propria, symptomata.

Plura tamen ex his signis non sat firmam *suppurationis* absolutæ diagnosin constituunt; vel latentem interius abscessum non aperte comitantur. Hinc toties vel supponuntur, quæ non existunt, suppurationes; vel occulta viscus depascens vomica prætervi-

detur : ut vel ipsa purulentæ ex internis rejectio materiæ sæpe infidum exulcerationis largiatur argumentum.

Pus utique dicemus, quam in vulnere non impuro, vel in abscessu phlegmonoso invenimus materiam, humorem blandum, albidum, opacum, adinstar pultis mollioris, aut cremoris lactei crassiusculum, aqua graviorem, ac in eadem vix solutum, mox fundo iterum præcipitatum, specifico, vix fœtente odore donatum, nec ab igne quidem, nec ab intenso frigore, nec a spiritu vini, sed a salis alcalini fixi ac vegetabilis solutione coagulandum. Ast vero, cujus ex abscessu, aut ulcere origo non derivatur, interdum descriptis in omnibus indiciis convenit, nec tamen (a muco licet distincta) cum *pure* æquiparanda est, *materia puriformis*. Hæc nempe, sine partis exulceratione, inflammationis vi, expressa gelatina (§. 125.) quæ sub simplici oculorum, pulmonum, vesicæ, aut urethræ phlogosi, copiose transudat, — vel quæ hydropicorum in aquis ad fundum reperitur, aut forte quæ & in pituitosa phthisi ex bronchiis copiosa secernitur, a *pure* ipso, vel ob solam jam in medendo diversitatem, distinguenda, alcalinæ beneficio solutionis ab eodem nequaquam distinguitur. Hoc autem *pus verum*, licet eandem cum *puriformi* materia aut *spurio* pure, ex pauco sero ac lympha, secretionis vitio mutata, originem trahat, ab hac tamen valdopere distare videmus : quod non tam facile in membranas, ac nova ligamenta convertendum, vicinas partes, & cutem denique ipsam sibi protinus assimilare, ac specifica operatione in se ipsum convertere observetur; quod ad sanguinem resorptum, non modo *puriformis* adinstar materiæ per diversas a natura vias expellatur, sed (quod hæc sola, nisi diuturna inflammatione suffulta, non facit) suppuratoriam, Pus.

hecticamque febrem inducat; & quod denique contagiorum variorum fertilissimum constituat vehiculum. Sine prævia interdum sat manifesta aut febre, aut inflammatione, abscessus in morbis spurii oriuntur: quorum quidem materia, nisi diuturno fotu, ac locali præparatione maturata, non tam *pus verum*, quam *puriformem materiam*, vi sola vasorum inflammatoria, ac sine cordis consensu, aut febre, vel per solam lymphæ in cavis stagnationem, vel alio, ac incognito secretionis vitio generatam constituit.

Donec igitur *purulentæ materiæ* non solum a *muco*, sed ab ipso *pure* distinguendæ innotescat ratio: oportet certe, ut maxima in dijudicandis internarum partium suppurationibus difficultas Medentes premat; utque non nisi ex causæ morbique totius consideratione, ac roborato experientiis oculo, diagnosis sub hac ipsa certitudo hauriatur.

Cæterum *pus* bonum ac laudabile nec in abscessu, nec in vulnere præparatur, si vires vitæ, tam corporis universi, quam ipsius, in qua suppuratio contingit, partis, aut nimis excedant, aut contrario errore deficiant. Hinc vulnus a summa inflammatione siccescit, ac puris in phlegmone principia in gangrænosam convertuntur saniem; sub febre vero, aut debiliori partis reactione, tenuis, sanguinolentus, acris, fœtidusque humor, seu *ichor*, vel serosum, pallidumque secernitur liquidum.

Ichor.

Indurationis, scirrhi conditio.

§. 129. Lympha sanguinis, morbosa vasorum actione immutata, vel in his ipsis, aut in cellulosa vicina intercepta & stagnans, in polyposam interdum ac callosam duritiem degenerat, cum ambientium membranarum canaliumque superficie concrescit, cavitates opplet, infarcit, humorumque in illis, ac in vicinis partibus circulationem delet omnem, aut ma-

gna ex parte remoratur. Hinc partium, viscerumque induratorum nativus calor, sensusque perit, & actio quævis organica; vel cum aucto ejusdem volumine ac tumore, vel contracta in parvam duramque molem substantia, sufflaminatur. Interim varii tum indurationis gradus, tum recludentis materiam organi hanc in ipsam effectus; tum stagnantis, ac vel simplicis, vel acredine mixtæ lymphæ in corruptionem sibi propriam nisus; tum varia ex nervorum hac in parte affectorum irritatione, & ex ipsius visceris differentia, diversa oriuntur phœnomena. Quæ ad glandularum imprimis systema delitescit materia, illa promptiorem in scirrhos, ac carcinomata naturam ostendit; & quemadmodum hæc inflammationem prægressam sat raro pro origine agnoscunt, sic & aliis in partibus indurationes a phlogosi derivantes tam malignam non facile naturam adquirunt.

Partes ab inflammatione correptæ, vel ob propriæ spongiosam ac laxam substantiæ naturam, vel ob febris, vel ob reactionis febrilis per nimias venæsectiones prostratæ in parte languorem, vel ab incauto adstringentium externo usu, vel denique ob incognitum lymphæ in concretiones nisum, indurantur; nec tam infrequens inflammationum hic effectus ab eo dicetur, qui tot anhelationes ac dyspnœas a peripneumoniis, tot articulorum ab arthritide rigiditates, — tot excernentium canalium ab œsophagi, tracheæ, intestinorum, urethræque inflammationibus, coarctationes, ac tot demum arteriarum callositates, ossificationes, ab inflammatione vasorum occulta (§. 118.) plerumque pendentes, attento consideraverit animo.

§. 130. Quæ pars corporis nec calorem proprium, nec sensationem, aut irritabilitatem, nec tonum ac

Gangræna.

elasticitatem agnoscit, sed colore livido, aut plumbeo notatur, — aut quæ demum sensu ac motu privata corrugatur, sine sanguinis circuitu contabescit, induratur, ac friget: illam pro *mortua* declaramus. Mors talis incipiens, *gangrænæ*, — perfecta vero, *sphaceli* denominatione insignitur. Si mumiæ instar pars affecta rigescat, *gangræna sicca*; — si ob succorum stagnantium ac corruptorum abundantiam molliter emoriatur, *gangræna humida* vocatur.

Subita, vel paulo lentior quam maximi doloris, ardoris, caloris in parte inflammata cessatio; ruboris ex læto in igneum fere, aut profunde rubrum, ac lividum & nigrum conversio; — radiorum longitudinalium ad vasorum ductus decurrentium, livescentium conspectus; vesicarum brunarum, sero ex flavo obscuro, subsanguineo, aut atro repletarum, super inflammata parte elevatio; — arteriarum, motusque muscularis abolita actio; — epidermidis separatio, remanensque impressa mollescenti, frigidoque tumori fovea, vel aeris in cellulosam evolutio, seu emphysema, cessantem in parte vitam, sphacelumque demonstrant.

In *humida* quidem *gangræna* potissima ex recensitis symptomata locum inveniunt; sed & citior putridissimi ichoris in vicinos nervos effectus, aut ad massam humorum resorptio est: qua *febris nervosæ* (§§. 87. 88.) seu *gangrænosæ* symptomata cum summo vitæ periculo quantocyus inducuntur, & in sanas gangræna partes citissime propagatur.

Lentior *siccæ* progressus observatur *gangrænæ*, ac diutius ista, donec vel in humidam convertatur, vel in mumiæ speciem corrugetur, aut a corpore pars sponte secedat, sine febre incedit.

Sed quemadmodum totius corporis, sic & *partis* interdum *asphyxiam* occurrere, observationibus com-

probatus: quibus caute hoc de statu judicandum, nec quamcunque gangrænam, imprimis si putredo desit, rudiori manu pertractandam esse, docemur.

Multiplex vero, nec certe ex sola inflammatione repetenda, *gangrænæ* causa existit. Quæcunque vasorum, nervorumque in partem officia auferunt, illa si tempore sat longo in istam agant, mortem necessario in eadem inducunt. Hinc extensio, contractio, compressio, fascia strictior, decubitus, contusio, impletio nimia, inflammatio maxima, extravasatio sanguinis, seri acris; hinc frigus summum, adustio, acredo specifica, scorbutica, venerea, putrida, gastrica, contagiosa, metastatica, venenosa, alia; hinc corpora peregrina, stimulantia, vel alio demum modo excitatus spasmus diuturnior, ac dolor summus, aut paralysis, marasmus, aut arteriarum in osseam substantiam conversio, & similia, sæpissime *gangrænam*, nunc *sine*, nunc prævia, vel comitante *inflammatione*, producunt. Causæ.

Cum interim frequentiores *cum* ista gangrænæ observentur, monuisse juvat, non ideo causam in ipsa semper inflammatione esse quærendam; vel saltem hanc ipsam non ubique cum inflammatoria febre esse conjunctam. Quod si etiam aut suam ex inflammatione originem gangræna agnoscat, aut cum illa manifeste incedat; post paucos tamen dies, aut citius, alienam inflammatoria febris ipsa naturam facile assumit, ac cum nervosa (§. 90.) quam maxime complicatam.

§. 131. Qui non tam raro sub viscerum inflammationibus inducitur *hydrops* acutus (§. 126.), ille nunc ipsius morbi ab impetu, nunc vero ex incauto venæsectionis usu originem petit. Quamprimum aquæ vel solæ, vel cum lympha coagulabili, vel cum Hydrops acut.

cruore remixtæ, circa viscus colliguntur: inflammatio ipsa quamplurimum imminuitur, & succedunt rapidissima diversi hydropis diversa phœnomena; quibus febris necdum penitus profligatæ signa consociantur.

Prognosis. §. 132. Ex illis, quæ (§§. 119. 126. 127. 128. 129. 130. 131.) allata sunt, sat clara inflammationum prognosis habetur. Ex ipsa vero gangrænæ historia, quam justus hanc undique timor circumdet, non minus comparet. Prævidemus istam ex majori febris, potius quam sub hac suppuratio sperari queat, intensitate, ac diuturno auxiliorum neglectu; ex præsente morbo alio tam chronico, quam acuto, contagio, aut acredine vitali infesto; ex causæ inflammationem excitantis, externæ, internæ natura, & actione in partem, imprimis mollem, spongiosam, sensibiliorem, aut tenui membrana constructam, continuata, nec facile removenda; ex subita virium vitalium sub locali affectu dejectione, faciei mutatione insigni, horrore magno, ac cessante tandem in parte dolore, cum singultu, anxietate, meteorismo, lipothymiis, extremitatum frigore, diarrhœa: quæ singula, ad *internas* partes, quam ad *externas*, magis infida, vel instantem, vel jam inceptam gangrænam, cum signis aliis (§. 130.) collata, frequentissime indicant, & pericula mortis, ab *externa* quidem affectione, si *gangrænosa* defuerit febris, ac si emorientis separatio partis ex ambiente hanc ipsam inflammatione vividiori, aut suppuratione incipiente, exspectari queat, *minora*; — ab *interna*, *vix non certa*, manifestant.

Cura inflam. §. 133. Inflammationis cura pro varia ejusdem natura (§. 123.), ac pro febris, aut nullius (§. 122.),

aut, eandem comitantis, diversæ (§§. 68. 80. 98. 114.), ac denique pro causarum, subjecti, partis affectæ, ac temporis, quo medelam instituimus, ratione, valdopere differt. Potissima in quavis inflammatione, non minus *externa*, quam *interna*, tum febris, ac virium vitæ excessus, tum annuæ constitutionis consideratio facienda est. Quæ ad interna inflammatio urget, ea utplurimum ob majorem visceris nobilitatem promptiori auxilio indiget; aut saltem effectus neglecta funestiores exserere consuevit.

Princeps quidem in curandis inflammationibus, *resolutionis* (§. 127.) offertur scopus; partibusque multis vitam, nisi hac sola, constantem non præparamus: sed non quævis *resolutionem* aut admittit, aut indicat inflammatio; vulnusque contusum, non recens, variolæ, furunculus, aut critica in externa depositio, utriusque veritatis largiuntur exempla.

Resolutionem vero, causarum remotarum ablegatione, spasmi, aut reactionis in parte inflammata nimiæ moderamine, massæque fluidorum vel in toto, vel in speciali vasorum systemate abundantis imminutione, secundum regulas alibi (§. 120.) expositas intendimus.

Pro varia igitur causarum (§§. 118. 125.) ratione, os fractum, luxatum, hernia, prolapsus reponenda; peregrinum corpus ex vulnere, vel quocunque hæreat loco, extrahendum; plethora generalis, specialis, per venæsectionem generalem, localem, per scarificationem, hirudines, victum vegetabilem, parcum, potusque acidos diluentes auferenda, divertenda, stimulansque vel ad ipsam, quæ inflammatur, partem, vel ad abdomen, alibique latens, acre, opportunis, specificis remediis corrigendum, revellendum, expellendum; & quæcunque demum cor i-

psum, ac arterias, vel ipsius inflammati compagem loci agitare, comprimere, infarcire, distendere, vexare possent, solicite removenda sunt.

Atqui cum sic causarum rationem assumimus, vel hoc ipso jam *spasmi*, ut illarum aut effectus, aut socii, quamplurimum detrahimus violentiæ. Venæsectio certe sat largo vulnere susceptа, pro re nata, sæpius nec parva nimis quantitate, nec tamen ad lipothymiam usque, repetita, aut ex ipsius inflammatæ, aut eidem vicinæ, partis venis instituta, tum sanguinis copiam, ac nimium cordis, arteriarumque refringit impetum; tum stimulo locali, eretismo vasorum, tensionique nimiæ potenter medetur, ac stagnantis in cellulosa materiæ resorptioni summopere favet. Nec certe *arteriarum* vel incommoda nimis, vel fortioris hæmorrhagiæ non ubique formidine immunis, sectio prærogativa tanta hic gaudet: ubi minus ex cruoris a tergo venientis impulsu, quam ex locali vasorum excessu, & ab impedito sanguinis per venas regressu, irritatio pendet. Hunc certe scarificatio, hirudinisque officium potentissime expedit; & quod reliquum est, hoc non ad externas modo ac superficiales, sed & ad profundas, internasque inflammationes apposita emollientia, fomentationes tepidæ, vapores, ac molliora cataplasmata absolvunt.

Cum vero aut laxior inflammatæ partis est habitus; aut violenta ejusdem extensio, concussio, irritationem producit; aut acerrimum luis, blenorrhœæ contagium genitalia, aut nervi externa ad artus læsio, hos ipsos inflammat; aut grave gelu inducit phlogosin; vel ipsius calvariæ vexatio, fractura, encephalitidem minatur: depletis prius venæsectione vasis, ex *frigidorum* applicatione, nisi tardum nimis, auxilium habetur. Alias & vinum cum aromaticis her-

bis decoctum, aut acetum cum ammoniaco sale & aqua remixtum, externis a concussione suggillatis, ac tono potissimum destitutis applicitum partibus medetur.

Quod si ergo non cuivis mox inflammationi emollientia competant; dantur & aliæ, quæ detracto aliquoties sanguine, aut linimenti volatilis, aut cantharidum stimulo, super affecta parte agenti promptissime cedunt. Vix tamen in alia, quam *rheumatici* generis inflammatione, profuisse vesicans compertum habemus; & cutis inducta per illud exulceratio vel inutilis est, vel ob dolores, quos diuturnos infert, & spasmos, inflammationi contraria.

Si doloris impetus, majorque partis sensibilitas, ac violens pathema animi inflammationem, imprimis externam, minetur: tunc, emisso prius ex venis cruore, sat generosa *opii*, mature porrecti, dosis eandem sæpius prævertit. Nec minor hujus, si atrox dolor, ac longa partis *internæ* contractio inflammationem progignat, efficacia ostenditur & virtus, quam si atrox dolor, ac longa partis a spasmo contractio inflammationem excitaverit. Imminentem ex acri specifico phlogosin, citamque in partibus membranosis gangrænam, detracto prius, nisi alia vetent, sanguine, nihil opio potentius, cum cortice, aut mercurio nupto, dispellit. Jam provectam vero, ac vehementi cum febre junctam, aut ex saburris pendentem in partibus inflammationem ab opio constanter exasperari, experientia docet.

Complicatam cum sordibus gastricis inflammationem, quamplurimum levia, alvumque sine stimulo moventia dispellunt evacuantia: tamarindus, oleum, vel manna, & cassiæ pulpa. Nec in puriori, nisi ventriculum, aut intestina occupante, inflammatio-

ne, hæc medicamenta, moderata manu porrecta, & clyster frequens, utilitate destituuntur.

Jam fractam satis inflammationem transpiratio, aliaque secretio aucta, felicius dispellit: quo fine refractæ stibii emetici, cum nitro, aut cremore tartari, vel haustu salino remixtæ doses egregie conducunt.

Post dissipatam protinus inflammationem, roborantium usus externus, internus, frequenter indicatur; in aliis tamen, ob latentem in pristinos affectus dispositionem, per longum satis tempus in vegetabili victu, & in illis continuandum est, quæ irritabilitatem nimiam moderantur, aut saltem cortex cum ammoniaco sale indicatur remixtus.

Inflammat. chronica.

Quæ diuturno tempore divexat *chronica* inflammatio, illa ad oculos certe, ad fauces, aliasque partes externas nimis conspicua est, quam ut ad interna viscera in dubium vocari debuisset: atque ex tracheæ, bronchiorum, ex vesicæ, urethræ, intestini recti per extensa spatia vigente phlogosi, & copiosa materiæ *puriformis*, sine ullo exulcerationis vestigio, continuante secretione morbosa manifeste comprobatur. In hac vero, ex causis utplurimum complicatis nascente, lentaque inflammatione, complicata non minus, nec hic loci exponenda methodo frequenter indigemus. Sæpius hæc diuturnæ inflammationis roborantibus dissipatur species; illorum vero, quæ relaxant, noxius sæpissime usus, & per novam interdum, acutamque inflammationem, excitantibus provocatam, hæc dissipari affectio observatur. Interim non constans satis hæc regula est, & interdum vel tepidis, sulphureisque balneis, vel sedantibus opus est, ac specificis remediis; aut, revulsa in alias partes stimulante materia, per artificialia ulcera medelam obtinemus.

§. 134. Si *resolutio* inflammationis acutæ, quæ præscriptum a natura terminum non agnoscit (§. 127), obtineri non queat: *suppuratio*, quam citius potest, ipsius febris, non penitus suffocandæ, nec tamen excedentis, ac emollientium, vel, sub certo debilitatis statu, excitantium, internorum, externorum beneficio maturanda; & pus ipsum pro varia abscessus, locique natura, nunc antequam plane maturaverit, nunc tardius, vel ferro, vel causticis, vel directa per emollientia, vapores, situationem partis, corporisque motum, ad apertas vias spontanea disruptione, educendum, saccique purulenti superficies impura detergenda, & in purum vulnus convertenda, ac demum conglutinanda est. Suppurat. cura.

Ex his apparet, nunc, quamprimum *suppurationis* signa in conspectum prodeunt, venæsectionibus, ac sedantibus remediis valedicendum esse; nunc vero, si febris, pro bona suppuratione, nimia, aut gangrænam minitans illam ipsam comitatur, sanguinis detractioni adhucdum locum concedi. Deficientem hinc febrem, & vasorum reactionem suppurationis operi conducentem, tum diæta quidquam lautiori, ac vino, tum excitantibus tantisper internis externisque remediis prudenter erigimus: & cum in majoris jam turbæ casu vel solis emollientibus, aut repetita interdum indigeamus venæsectione; illinc calore quidquam aucto & humido, nec non, si exterior fuerit inflammatio, gummi-resinosis interdum, aut cæpæ pulpa assatæ cum emollientibus anodynis remixtis utemur, ac beneficio corticis languentes naturæ vires erigemus.

Oportet vero, ut quæ in *externis* inflammationibus, ac suppuratione contingunt, ad ea Medicus attentionem, quam potest, omnem convertat: & cum Chirurgia pro illis regulas experientia probatas sequa-

tur ; has ipsas , in quantum *res interne* patiuntur , ad viscerum inflammationes & suppurationes, earumque tractationem referat prudenter . Multum interim abest , quin tam felicem in his esse liceat , & remediorum in externas partes actio , dum interius assumuntur , virtutem in partes eandem non habeat . Hinc balsamicorum , ut vocant , aliorumque , in apertum licet abscessum non idem , ac in externum ulcus effectus , & febris abhinc multoties incrementum & irritatio magna observantur.

Quæ interim suppurationes internas concernere leges possunt , eas sub speciali earundem expositione suo quasvis loco succincte communicabimus .

Indurat. cura. §. 135. Pro vario lymphæ in cellulosa , ac in spongioso glandularum parenchymate coagulo (§. 130.), ac pro intimiori singulorum coagmento , inducta per phlogosin soliditas nunc prompte satis , nunc artis nullo vel unquam emollitur auxilio . Tunc enim vasorum his in partibus vix non ubique solidescit compages , nec sanguinis circulo , nec solventis actioni remedii patet ; ac deleta nervorum sensibilitate , quasi calli , seu emortuæ in vivente corpore particulæ sistitur imago .

In minori spissitudinis & duritiei gradu , excitata , per resolventia , partis , quæ superest , vitalitate ac energia , vel novæ inflammationis beneficio , stagnantis materiæ divisio , vel fusio purulenta sensim sensimque impetratur , ejusdemque in circulum obtinetur reductio . Hunc in finem , externis quidem , tum aquæ , vel aceti , tum animalis recenter mactati , vel aromatici decocti vapor , aut fomentatio longa , balneumque frequens , saponacei liquidi , vel thermalis aquæ ex alto cadentis usus , vel mercurii , loco opportuno , quo lymphatica vasa eundem reci-

pere, ac ad glandulam obstructam perducere queant, illiniti subsidium, fotusque partis assiduus, ac lenis fricti̇o, irritatio, adhibentur. Nec absimilis, licet multo difficilior, est *internorum*, quæ induruere, pertractatio: qua vasorum, quæ hæc adeunt, nervorumque libertatem, vitalitatem restituere, ac tum antimonialium, mercurialium, saliumque refractis dosibus porrectorum, tum saponacei, lactescentis succi, aut cicutæ demum, aliorumque auxilio, stagnantem solvere materiam, ac impeditas vasorum vias reserare contendimus.

Ast vero, tum hoc ipso in casu, tum sub majori partis, aut glandulæ infarctæ duritie, frequenter non inutilis modo, sed & perniciosa est diuturna, vel solicita nimis obstructi visceris excitatio, vexatio. Sæpe, quæ per annos hic immobilis ac quieta hæsit, aut per morbos deposita fuit, suspecta, vel specifica interdum, materia, alienam prorsus a naturali succorum animalium blanditie naturam assumpsit; vel *morbosa* his in partibus elaboratio, secretio, malignam potius erosionem, & cancrosam tumoris naturam, quam bonam in parte suppurationem inducit: quæ pericula ex illis, quæ alibi de scirrhis & cancro exponentur, ulterius patebunt.

Est interim in canalibus, ad quos chirurgiæ accessus conceditur, excretoriis, cum ab inflammatione induruerint prægressa, in artificiali per cereolos nunc simplices, nunc compositos, vel per spongiam præparatam, dilatatione subsidium aliquod, a qua scilicet protuberantis in medium ductus membranæ inæqualitas & coarctatio aufertur, exeditur, & pristina excretionis restituitur libertas; sed ad interna corporis hoc non extenditur beneficium, & sæpe per vitam hic inflammationis infaustus effectus remedium non admittit.

Gangræ-næ cura.

§. 136. Pars vere emortua reviviscere nequit: hinc, quæ gangræna, sphaceloque correpta est, oporteret hanc aut a natura sponte separari, aut ab arte citissime rescindi: nisi primum, sat raro; alterum vero hic nunquam; ibi, sæpius cum summo periculo susciperetur opus. Magnæ igitur in privatæ vita partis separatione dirigenda difficultates Medentem premunt: tum illæ, quæ a dilatata in horas gangræna, tum eæ, quæ a resorpta, nervisque exitiali, gangrænosa sanie, in cætera redundant.

Cum vero gangræna sæpissime alterius morbi constituat symptoma (§. 130.), hinc clarum est, ejusdem a primariæ affectionis, & a causæ, quæ hanc ipsam induxit, natura potissimum pendere. Si febris igitur hanc partis mortem aut incipientem, aut perfectam induxerit; oportet certe, tum illius indolem, tum originem, quam ea habuerit, solicite inquiri. Febris, quæ gangrænam inducit, aut comitatur, nunc nervosæ (§. 80.), nunc gastricæ (§. 98.), nunc inflammatoriæ (§. 114.) observatur naturæ; & quemadmodum triplex istius conditio a diversa causarum indole potissimum derivatur, sic & a sola partis, sine febris accessu, vexatione locali, pro differentia causæ, genium gangrænæ ubique diversum observamus.

Primum igitur in gangræna curationis momentum in eo positum est: ut causam tam febris, quam, si localis modo ad partem hæserit, hanc ipsam, quoad fieri licebit, avertamus.

Hinc si gangrænam *inflammatio* comitetur, videndum est, an ista prioris causam sistat, vel modo sociam. Si *primum*, tunc methodum inflammationi ipsi opportunam (§. 133.), habito tamen ad facilem *nervosæ febris* a resorpta sanie accessionem (§. 130.) respectu, continuamus, nec tonicis remediis, aut

cortici Peruviano, sed emollientibus, ac sedantibus locus concedatur oportet. Si vero *secundum*, tunc iterum inquirendum est, num febris illa *inflammatoria* vera, num potius *inflammatorio-nervosa* (§. 90.) mereatur appellari. In primo casu, venæsectioni, non quidem ob gangrænam, sed ob febrem ipsam, interdum locus esse potest; in secundo vero, nonnisi sub conditionibus alibi indicatis (§. 95.), cautissime aperiri vena potest, & corticis porrigendi occasio contrariam venæsectioni rationem sequitur.

Si primarum sordes viarum febrem violentam accenderint & gangrænam, vel si hæc etiam sine tantis illius compareat symptomatibus; tunc princeps in emetico, & in leniori per alvum evacuatione, curationis punctum ponendum est, & methodus in *gastrico-nervosa* alibi (§§. 66. 111.) proposita, cui simul externum corticis usum adjungimus, conducit.

Cum vero sub *nervosæ febris* (§§. 87. 88.), vel & ante hanc ipsam, sub extrema corporis aut partis laxitate, debilitate, gangræna comparuerit: tunc præter excitantia, & cardiaca in illa indicata remedia (§. 94.), ad Peruvianum corticem, tum interius *copiose satis*, ac potissimum in substantia, ut vocant, præbendum, tum ad fomenta saturata, ex eodem medicamine parata, ut ad sacram anchoram, properandum est.

Quod si violentior in parte *dolor* gangrænam præcesserit, ac febris vel pauca, vel *nervosa*, eandem comitetur; tunc *emollientium* usus externus, & accommodata symptomatibus *opii* dosis, ad plura interdum grana in die augenda, quam maxime indicatur. Nunc vero hæc gangrænæ species, post paucas ab atrocissimo in parte dolore horas, vel sine inflammationis præsentia, illo cessante, comparet, & citissime cursum, tunc *humida*, absolvit; nunc, &

quidem frequentius, ad pedes, non modo senum, sed & juniorum hominum, sat cito quidem prorumpit; sed lentiori passu, utplurimum *sicca*, incedit. Hanc ipsam ante quatuor jam annos vidimus, cum a quatuordecim opii granis per dies multos porrectis nec quidquam cessisset; a duobus solummodo ejusdem remedii, cum tribus *moschi* granis, bina in die vice assumptis, opem perfectam habuisse. Ab alio nuper tum *moschus*, tum *sal volatile Cornu Cervi*, commendantur. In utraque mali specie, a cortice interius porrecto symptomata facile augentur; &, in quantum gangrænam dolores circumdant, nec externus quidem ejusdem remedii usus indicatur.

Cum vero interdum nec febrium hucusque memoratarum species ulla, nec dolor gangrænam præcedat, sed causa istius in ipsa partis affectæ substantia hæreat; tunc, si *externa* hæc fuerit, facilius distinguenda, qua potest celeritate, hæc ipsa auferatur oportet. Si rationem internam agnoscat, hæc ipsa vel utplurimum obscura, vel artis auxilio removenda vix est. Exemplum primæ, in spurio brachii aneurysmate, in fortiori præputii post glandem constrictione (paraphymosis); secundæ vero, in artubus interdum, ex arteriarum ossificatione, ex irritabilitate ac sensibilitate partis, per localem paralysin, destructis; aut in atrophiæ specialis casu offertur, ac remedia cuivis causæ opposita desiderat.

Sed, præter febris & causarum rationem, ipsius etiam *localis gangrænæ* non minor ubique habenda est. Ac duas quidem, easque principales hic nasci videmus indicationes: quarum prima est, ut majorem illius dilatationem ac progressum, — altera, ut putridissimi, ac vix non venenosi ichoris resorptionem prævertere conamine quovis quæramus.

Jam dictum est, separationem emortui, per ar-

tem, nec in pluribus, ad interna scilicet, fieri posse; nec in aliis, nisi jam gressus gangræna in totum sistat; aut valdopere, & cum partium mollium destructione, extensa sit; aut in *localis* prorsus, nec febre stipatæ gangrænæ casibus, sine totius pernicie tentari. Sub alia rerum conditione, limitandæ spes major gangrænæ relinquitur; quam ut quis viventis adhuc particulæ, cum infectionis, jam vicinis, aut profundis partibus communicatæ, incertitudine, ac redituri in his ipsis mali, tunc sine dubio lethalis, periculo, amputationem aut pati, aut suscipere in aliis velit. Brachium, pedisque phalanges aliquot, gangræna correpta; non ferro, sed *ligatura*, feliciter ablata conspeximus.

Ipsius vero naturæ, non artis, mirabile hoc opus est: ut excitata ad gangrænosæ partis confinia inflammatione, ac suppuratione sat expedita, majorem sanis, ut mortem a se repellant, concedere partibus vitam intelligat. Facile vero quibuscunque hanc in rem attentis videre est, quod, si vel major sanas inflammatio ac spasmus carnes obsideat, vel minor, quam par est, vis vitæ easdem accendat, progressus gangræna momento quovis majores faciat, & exspectatæ separationis nequaquam a natura impetretur opus.

Hinc artis illi succurrentis in eo ponuntur officia: ut, in primo casu, non modo procurando febris, si quæ adsit, inflammatoriæ, sed localis præcipuæ inflammationis ac spasmi moderamini, emollientibus, anodynis, viventi carni applicandis, solicite studeat; partis vero jam emortuæ putredinem antisepticis, aut interdum frigidis topicisque remediis, arceat; — ut vero, in secundo, languentem partis, circa mortis confinia, vitam excitantibus erigat, & ad subcundam, quæ limites gangrænæ ponat, inflamma-

tionem tum externo ex aromaticis fomentationibus, aut demum ex cantharidibus, aut semine sinapis cum summa cautela petendo, tum interius porrecto, auxilio exstimulet.

Resorptionem ichoris gangrænosi, ac diuturnam super vivis partibus stagnationem prævenimus *scarificationibus*, ne ad partes vita instructas penetret: ne his ipsis venenosum istæ liquorem inserant, aut novam eamque malignam inflammationem solicitent; & ne periculosam in tam debili parte hæmorrhagiam excitent, *cautissime instituendis*; tum partis jam emortuæ, putredine luxuriantis excisione non integra, aut per causticum pulverem linteamine carpto excipiendum erosione circumspecta.

Sed maxima in prævertenda partium exitiosa cæteris putredine in cortice Peruviano, si vera debilitas subest, exterius simul adhibito, & ex ejusdem tum decocto fortiori, tum pulvere, cum acriori sanie coeunte, interdum cum camphora, alumine, & myrrha combinando, subsidia erunt. Nec fomentationes ex aromaticis herbis, ex aceto, spiritu vini camphorato, ammoniaco sale commixto, vel ex aqua sclopetaria, aut calcis recenter parata, ex fermentantibus, aeremque fixum copiose evolventibus fluidis compositæ, spernendæ sunt; nisi ob latentem sub gangræna, vel circa eandem, fortiorem inflammationem, quæcunque stimulum, aut solidorum crispationem inducunt, ut noxia, & periculi plena considerari mereantur: nec enim vel cortex ipse, dum ad carnem, quæ sub mortua, vel circa hanc ipsam, vivit, penetrat, ut *antisepticum* agit; nec, ut præsentem moderatur, sic futuram arcet gangrenam, adstringens, irritansque remedium.

Quid in *gangræna sicca* ex insigni dolore oriunda faciendum sit, docuimus: de alia, felicem experien-

tiam non habentes, credimus tamen, vix a cortice hic multum, aut a scarificationibus posse promitti; & nisi causa mali, quod rarissimum erit, felicius erui ac impugnari queat, vix aliud, quam quod natura præstat, a medicina peragitur. Febris interim & hic, si quæ adsit, viriumque vitæ habenda est ratio.

§. 137. Cum vero ipsius loci inflammati tum signa, tum curatio in multis inter se differant; juvabit hic singulas, quibus humanum corpus subjicitur, internas saltem, ac præcipuas inflammationes succincte satis exponere. Parum, quo ordine hoc fiat, interest; sed a capite, juguloque incipiendo, ad thoracem, ab hoc vero ad abdomen ac pelvim, dein ad articulos artusque descendentes, ex illis nullam, quæ ad Medicinam spectat, & quæ distingui meretur, omittemur. Transitio ad species.

ORDO I.

INFLAMMATIONES CEPHALICÆ.

GEN. I.

ENCEPHALITIS.

§. 138. Pars maxima nascentis, magnæque apud adultos extensionis, *caput* cum *vertebrali columna* est. Sed quod hac in consimili calvariæ, vertebrarumque specu delitescit viscus, *cerebrum*, *cerebellum*, *spinalisque medulla*: hoc, sicut *unum*, nec ob aliam, nisi desideratæ viciniæ, ac mobilitatis majoris rationem, verticulis intercisum ac multiforme; sic no- Extensio inflamm., nerv.

bilissimam hominis partem, nervorum omnium aut principium, aut finem, sensusque omnis, ac motus originem constituit.

Notio morbi. §. 139. Hoc viscus (§. 138.), &, quibus involutum hæret, velamenta, ob causas quidem *externas*, frequentem, sed ob *internas*, quod miremur, inflammationem aliis fere rariorem subeunt: quem cerebri affectum, ab unico, nec ubique præsenti, nec proprio, *constantis* ac *febrilis* furoris & dementiæ symptomate, *phrenitidem* appellant, *Encephalitidem* melius dicendum. Nec enim aut maniaci semper adeo febre immunes vivunt, aut in aliis interdum, *nervosis* imprimis febribus (§. 80.), furiosa, & vix non continua deliria tam rara observantur: ut ex hac sola mentis aberratione tam diri character morbi eruendus foret. Nec exempla tum aliis, tum nobis ipsis copiosa desunt aut perpetui fere, ac ferocissimi etiam delirii, cum encephalo phlogosis experte; aut nullius in mente vitii, cum inflammatione, ac ipso adeo abscessu in cerebro latente: ut igitur *phrenitidis* quidem denominatione ferox quodcunque ac febrile, continuumque magis delirium, exprimere, — sed non speciem morbi, cui *proprium* hoc esset, & *unicum*, hoc vocabulo liceat denotare.

Encephalit. symptom. §. 140. Inflammatorum interim vel cerebri, cerebelli, vel integumentorum iisdem communium symptomata, ob hanc sedis differentiam nullo inter se, quod constans, firmumque esset, signo distinguenda, in sequentibus fere observantur.

Horror vagus per vices, cum lassitudine artuum, & cum anxietate, cutim perstringit; calores insueti intercurrunt; singularis animi inquietudo, mœstitia, irritabilitas; imaginum menti obversantium, cu-

ra haud eluctandarum, copia; interdum hilaritas, & in cachinnos & risus cantusque effrenes proclivitas, securitas sine ratione, vel audacia insolita, caligines vertiginosæ, oblivio rerum, utplurimum capitis calor auctus, & mox dolor internus, ad occipitis maxime, vel bregmatis ossa, quasi cerebrum, aut cerebellum perterebrans; vel per colli vertebras, atque per universam pene spinam extensus, cum insigni vasorum colli, temporumque vibratione; pervigilia continua, aut non reficiens sopor, aut *typhomania*, insomnia turbulenta, terrifica, desipientia levis; exscreatio frequens, tremor linguæ & artuum, anorexia, vomitus pituitosus, æruginosus, observantur. Prodroma.

Sed non tam semper initio morbi symptomata tam lente incedunt; sed, prævio rigore, acuta mox febris incenditur, cum pulsu nunc duro, vibrante, frequenti; mox vero parvo, duro, crebro, aut languido, tremulo, inconstanti, inæquali. Deliria vel sensim sensimque increscunt; vociferationes assiduæ; vel subito & repente in furias aguntur, cum quadam sæpe ferociæ remissione, interdum nulla; sed multis taurinum musculorum robur, frequens tergorum versio, capitisque assidua commutatio; vox a naturali recedens, audax, temeraria loquela, fuga ex lecto, præcipitatio improvisa ex fenestris in vicinas aquas, aut violenta aliorum aggressio, ac visus attentus, frequenter palpebrans, oculi truces, adinstar cornu rigentes, circa axin rotari apparenter, fulgidi, vel, ut vix album in iisdem cernatur, sanguinolenti, fugientes lumen, prominentes, cum lacrymis ex uno fere, præ alio, expressis; capitis externa intumescunt, inflatur vultus, ruborque plurimus in facie consistit; interdum continui ejulatus; vel inter verba solummodo ineptiens, tranquillus mus-

sitat ægrotus; acutissimi sunt aurium sensus, & a minori strepitu læduntur; vel aures tinniunt, ac difficulter soni subintrant; oris et linguæ ut plurimum siccitas, exiguo potu contenta; urinæ abundantia flavæ, aquatæ, et paulatim exclusæ.

Interdum a fortissimo capitis dolore, cum febre insigni, sine prægresso delirio, mox sensus obruuntur, & ægrotus stupore detentus, vix nisi excitatus, quærenti pauca respondet; inquietus in lecto revolvitur; aut manibus caput amplexus, hoc undique circumjactat; suspiria ducit, ac interdum præ dolore contorquetur, quem verbis tamen vix indicat, sed lethali silentio mutus sustentat; aut brachium attollit, erectum capiti admovet, ac in hoc situ diutius tenet, quemadmodum faciunt, qui capite læsi decumbunt; aut supini jacentes, ob magnam virium debilitatem, neque verba facere, neque in grabato cubantis habitum præ angore servare possunt, neque consurgunt fortiter, neque prosiliunt; sed floccos venantur, & festucas legunt, ac immoti ac tremuli, non nisi manus inordinate jactitant. Sudorem copiosum, ac vaporem quasi ab ebullientibus aquis e corpore toto elevari, & caput, cum ad unum bregma intensius doluisset, ad oppositum corporis latus paralysin induxisse, in juvene conspeximus; aut epileptica convulsio, animique grave deliquium; spiratio magna ex longis intervallis ducitur, aut frequens, & plenis buccis, sub apoplectico apparatu, spumando peracta nobis visa est.

Ex his vero singulis apparet, inflammationem Encephali tum generalia cæterarum inflammationum, tum propria sæpius agnoscere symptomata, quæ in calore majori, ac tensione capitis, in sanguinolento aspectu lucisque impatientia oculorum, faciei suffusione, tumescentia, in fixo ac interno capitis dolo-

re, arteriarum temporalium, carotidum vibratione majore, in acutissimo sæpius, interdum obtuso aurium sensu, in pervigilio continuo, aut delirio, tum miti, tum sæpe feroci, vel & in soporoso magis, ac stupido ægrotantis statu, aliquando & apud infantes, in ipsis *acutissimi hydrocephali* symptomatibus, consistunt. Quod si deliria, frequentius quidem, nec vero perpetuum, aut proprium huic soli morbo phœnomenon offerant: quotiescunque tamen eidem accedunt, mox ægritudinis initio, nec a provecto jam febris statu pendere observantur; sed hanc ipsam fere præcedunt, &, si hoc idem fere de febribus quibusdam, imprimis nervosis (§. 87.), dici meretur, a sociis tamen effectæ potissimum calvariæ signis in *Encephalitide* raro separantur: ut igitur ex toto potius signorum concursu, quam ex uno, vel singulari quidquam symptomate, ad præsentem morbum concludere queamus.

§. 141. Sed & ipsa cerebri, ac cerebelli per spinam protensa medulla non minus, quam substantia in calvaria custodita, inflammationibus subjecta est. Eadem fere hoc in casu ad vertebram unam, aut alteram, quam quæ, in *Encephalitide*, ad calvariam, seu primum, maximumque verticulum observantur, contingunt. Spinæ scilicet cruciatus insignes, ardentes, interni, non simplici vertebrarum attactu, sed a spinæ inflexione augendi, eidemque regioni respondentes, cum intensa febre, pulsuque forti, aut parvo, sed ubique frequente ac duro. Anxietas magna, sed fixus in dorsu decubitus; ac pro varia mali sede, internorum, vel ad abdomen consensus, aut crurum stupor, aut paresis accedunt. Spin. medul. inflamm.

§. 142. Varia in hominum tam diro morbo extin- Sectio cadav.

ctorum calvariis, aut vertebrarum columna, tum ab aliis, tum a nobis ipsis, detecta fuere. Nunc enim vel solæ meninges inflammatione correptæ, crassiores, ac fere callosæ, vel gelatinæ albescentis, serique purulenti inter has ipsas ac cerebrum, cerebellum, aut spinalem medullam collecti non æquivoca vestigia occurrunt; nunc firmior ac fere dura medullosi visceris consistentia observatur, omnisque cerebri, cerebelli, spinalis medullæ substantia rubet, ac innumeris, alias vix distinguendis depingitur, infarciturque vasculis; nec non serum, purulento humore remixtum, in ventriculis ad cerebri basin, aut in lumbali tubo reperitur; nunc vero in uno alterove hemisphærio, aut in ipso cerebello, tumoris fere circumscripti, ex pallido rubentis, flaviusculi detegitur species: in quo pultacea quasi ac cineritia, pure tamen quodammodo crassior, ac fere sicca invenitur materies. Interim nec signa sat certa tam diversæ, & nunc late diffusæ phlogosis, nunc phlegmonosæ quasi, ac in abscessus tendentis inflammationis sedem in cerebro indicant; nec utriusque symptomata mali constanter adeo inter se differunt, ut *sphacelismus* cerebri per solum capitis cum vehementi febre repentinum dolorem, ac sensuum mentisque primum stuporem, mox vero abolitionem, ab *Encephalitide* sat tuto valeat distingui. In ipso spinæ cavo medullarem substantiam frequenter abscessus consumunt; & quemadmodum tardior latitantis hac in specu materiæ lethalitas observatur: sic acris, & corrupta sanies osseam vertebrarum substantiam hinc inde corrodit, ac spinam inflectit; aut pressione in nervos sua, tum vesicæ urinalis, tum ani, crurumque paralyses, gangrænas, mortemque lentam quidem, sed certam, frequenter inducit.

§. 143. Causæ inflammationis tum cerebri, cerebelli, tum spinalis medullæ, ac velamentorum, quibus ambiuntur, cum illis conveniunt, ex quibus inflammationes in genere oriri diximus (§§. 118. 125.); oportet interim, ob morbi infrequentiam, has omnes in cerebrum minori, quam in partes alias, potentia esse instructas. Frequens nihilominus ex violentia cranio, ac vertebrali columnæ illata, ejusque fractura, vulnere, concussione, contusione ad cerebrum medullamque spinalem; — ex rudiori, imprimis per vectes ac forfices infantilis calvariæ compressione, inflammatio inducitur; nec tam rara dicatur illa, quæ erysipelatis aut retrocessioni, aut, cum ad faciem hæserit, dilatationi, ac ad cranium ingressui debetur. Imprimis rheumaticum acre medullæ spinali, cerebroque ipsi infestum vidimus; vel capitis scabies unguentis siccata, aut metastasis quævis, hunc ad morbum contribuit. Fortior dein mentis per iracundiam, aut amorem infelicem exæstuatio, suppressa lochia, aut narium jam sæpius absoluta hæmorrhagia, ictus solis, & longa sub eodem, calvaria vel nuda, vel metallico, apud milites, pileo instructa, versatio, peregrinatio huc spectant. Peripneumoniæ, anginæ, otitis prægressa non minus huc faciunt. An tænia vesicularis, hydatigena, *Encephalitidis* interdum causa? Plethora, imprimis illa, quæ capiti specialis est, ac fortior animi sub studio intensio, vigiliæ protractæ, dolores capitis violenti ac diuturni, ebrietas frequens, opiique abusus hunc ad morbum imprimis disponunt. Causæ.

§. 144. Ex dictis facile intelligitur, encephali, spinalisque medullæ inflammationem nunc esse *primariam*, nunc vero ab aliis affectibus *secundariam* pendere. Sed hæc ipsa inflammatio, ut aliæ faciunt Divisio.

(§. 123.), nunc *vera* est, & cum febre *inflammatoria* incedit; nunc vero *spuria*, vel *erysipelacea* magis observatur: ac tunc facile cum *nervosa* conjungitur, *malignamque* nanciscitur naturam, aut ad *gastricarum* revocanda est indolem. Saburralium interim causarum in producendis deliriis interdum ferocissimis potentia quotidiana experientia innotescit: sed cum hæc *Encephalitidem*, sola nequaquam constituant (§. 139); hinc tam frequens ex sordibus causa, rarioris morbi illa, vix tam sæpe, quam quidem de faucium, oculorumque inflammationibus potest, dici meretur.

Prognosis. §. 145. Ex ipsa symptomatum consideratione, inflammationis ad Encephalum ejusque productionem spinalem pericula jam satis elucent. Leviores quidem meningum phlogoses non tam sæpe in mortem terminari, videtur ex non tam rara illarum *callositate* post mortem hominum, qui ejusdem morbi signa dederunt, inventa, doceri; vulnerumque ad calvariam penetrantium historia abunde illustrat. Ipsius adeo cerebri, cerebelli, spinalisque medullæ inflammationes, non tam cito ubique lethales esse, tot *abscessus occulti* docuerunt, qui ad cerebrum, sine prævio interdum Encephalitidis signo in cadaveribus detecti fuerunt. Interim a fortiori quacunque harum partium inflammatione, post paucos utplurimum dies, nisi extemplo succurratur, mors certa promanat; ac unius fere hebdomadæ, vel trium, quatuorve adeo dierum spatio, lethalia apoplexiæ, hydrocephali acuti, aut syncopes, aut hemiplegiæ, aut convulsionis symptomata comparent. Ad spinam quidem hæc pericula lentius minantur, ac diuturna in cruribus, ad vesicam, rectumve intestinum paralysis succedit: sed ubicunque non simplex ad illam acutus hydrops, sed abscessus, vertebrarumque caries hæc sympto-

mata producit; non minus infelix, etsi tardior, in mortem exitus observatur. Funesta Encephalitidis natura est, si jam exhausto viribus ægrotante, aut ex angina, peripneumonia, aut a depositione quavis ad cerebrum, exorta fuerit. Ubi febris quidem violentia moderatur, sed delirium fere in soporem profundum convertitur: tunc vel apoplecticus morbi finis, vel cerebri exspectanda est suppuratio. Interdum liberato doloribus capite, peripneumonia quamplurimis lethalis succedit. Quo magis vero æruginosæ bilis urget vomitus, aut dentium stridor, masticatio perpetua, aut laboriosa deglutitio, — quo magis fæces albescunt, ac urinæ crudiorem tenuemque naturam retinent, aut tendines subsiliunt, aut per vigilia urgent; eo certior a morbo interitus est. Interdum hæc affectio in maniam abivisse est visa; & si jam diutius morbus protrahitur, & febris ignava est, delirium in fatuitatem convertitur. Hoc in *puerperis*, quibus ex lochiorum suppressione Encephalitis accessit, interdum contingit.

Meliori hoc in morbo succedunt omine hæmorrhagiæ per nares, per uterum, aut per hæmorrhoides; interdum felix a capite in aliam partem depositio contingit; aut sudor copiosus, ac fere purulentum, copiosumque in urinis sedimentum ægritudinem dissipant: quod quidem nunc citius, nunc tardius contingere observamus. Facile interim in recidivam pejorem, atque in augmentum hoc morbi est genus; etiamsi parva occasio impulerit causæ. Quotiescunque vero salutari quidquam modo inciderit; deliria, quæ diu noctuque urgebant, nunc sensim minuuntur, & cum somno placido, & reficiente alternant. Quousque vero pervigilia continuant, aut sopor nimius est, de felici solutione morbi cogitari vix potest. Eodem vero pro votis licet depulso, æ-

grotus tamen ad longum tempus vertigine, dolore oculorum, capitis, memoriæ debilitate, auditusque acutie, aut gravitate, laborat.

Cura. §. 146. In descripta hucusque (§§. 140. 141.) tum cerebri, tum spinalis medullæ inflammatione, valent illa omnia, quæ ad quamcunque aliam hujus indolis affectionem commendavimus (§. 133.): sed maxime curandum est, ut quo magis in Encephalitide deliria urgent, eo major securitatis, tum maxime quietis, silentii, ac obscuritatis, in loco, quo ægrotus decumbit, ratio habeatur. Quod si furiosus coerceri ægrotus debuerit, fasciis quidem, si plurium defectus custodum id jubeat, usus esse potest; sed prætectis lana aut veste locis, quæ vinculis nectimus, ne major utilitate quiescendi imprimatur vexatio. Maxime vero hic interest, ut ægrotus, quam sæpius potest, e lecto trahatur, & sedili erectus, frigidiori expositus auræ, capite tonsus, leviterque coopertus inhæreat diu. Deinde vix non unicum in venæ, imprimis jugularis, sectione auxilium petendum; vel, & vena frontis aperiri, & temporibus, occipiti, vel post aures, hirudines, aut cucurbitulæ scarificatæ frequenter apponi, vel naribus aliquot admoveri sanguisugæ possunt; quibus, educto jam copiosius venæsectione generali sanguine, vasorum capitis depletio potissimum obtinetur. Arteriæ temporalis incisioni, ob plura operationis incommoda, ac delirantis furores hominis, non multum favemus. Cum *spinalem medullam* inflammatio teneat; præter generales venæsectiones, cucurbitulæ plures circa partem, ac per totam spinæ longitudinem ponendæ, profundiusque scarificandæ, nec non vasis hæmorrhoidalibus hirudines applicandæ sunt.

His præstitis, tum capiti, tum spinæ inflammatis,

fomentationes ex frigida, cum nitro, sale ammoniaco, & aceto remixta, frequenter, quo tempore crura ad genua usque pediluvio tepido immittuntur, aut linteis tepida madefactis involvuntur, adhibendæ; & clyster emolliens cum nitro ac aceto frequenter injiciendum est. Si vel rheuma, vel aliunde huc deposita materies caput aut spinam inflammaverit; tunc hanc ipsam ad locum, quem deseruit, vesicantibus invitamus. Nec ipsi quidem capiti hæc, nisi sensibilitas major ægrotantis obstet, ubi major jam febris infractus est impetus, applicare, veremur.

Cæterum remedia, quæ in aliis inflammationibus laudavimus, lenia imprimis evacuantia, largumque potum subacidum, nitrosum, & hoc in morbo commendamus. Febris vero, ac causæ hanc inflammationem concomitantis ratio quam maxima ubique habenda, & sua cuivis medendi methodus opponenda est. Camphoram cum nitro, dum pulsus undosus, ac tremulus aut inæqualis adest, commendant varii: quotiescunque interim validior sanguinis ad caput raptus est, cum camphora cautius mercamur, ac moschum sæpius eidem præferendum esse censemus. Idem de opiatis remediis judicium esto! quæ, licet veteribus arriderent, medicamenta, vix nisi devicto inflammationis impetu, ob continuas vigilias, nimiamque sensibilitatem, indicari queunt.

ORD. I. GEN. II.

OPHTHALMITIS.

§. 147. Pars corporis inter externas nobilior, nervis præ quavis alia instructa magis, cum præcipuis visceribus & cum toto corpore consentiens, vicinis- Oculi natura.

sima cerebro, vasisque ex eodem directis ornata, mobilissima simul, est oculi bulbus: qui, ob compositam non minus, quam ob subtilissimam in singulis naturam, tum communibus aliarum partium, tum propriis sibi ipsi frequentissime exponitur morbis.

Defin. ophthalm.

§. 148. Inter hos inflammatio potissimum spectat, seu *ophthalmitis*, vel *ophthalmia*: scilicet affectio oculi aut palpebrarum inflammatoria, cum aucta illius sensibilitate, aut dolore, & lucis intolerantia, plerumque cum lacrymatione; si externa sit, cum rubore aut & tumore conspicuis; si vero interna, tunc sæpius occultis; nunc febrem inferre, nunc omnem protinus excludere solita.

Symptomata generalia.

§. 149. Symptomata hujus morbi (§. 148.) pro varia inflammationis sede, diversa observantur. Sæpe color oculi in ophthalmitide vix mutatus; sed dolor insignis in medio hujus, ex orbita ad occiput extensus, ac summa lucis impatientia & lacrymatio adsunt. Alias intense rubet albuginea, ac vel ipsa ejusdem vasa copioso sanguine, vix non varicosa turgent; vel in ipsam adnatæ tunicæ cellulosam effusus est cruor, oculique sistit ecchymosin; atque tunc sæpius, saltem in progressu mali, dolor vix ullus observatur; vel etiam rubori intensior correspondet dolor. Sæpius in febribus (§. 88. 103.) hæc pars conspicue rubet, quin dolor, aut vera inflammatio subesse videatur; pluribusque, sanissimis licet, oculi perpetuo rubent, vasculisque cruore extensis pinguntur ubique. Ab effusis in cellulosam oculi tum sanguine tum lympha coagulabili, tumor non raro insignis hic oritur: ut oculus in cavo orbitæ contineri, ac circummoveri, nequiens, ex eodem promineat (Exophthalmia); ac ut palpebræ claudi super bulbo tumidissimo non possint. Potissima hujus tumoris se-

Exophthalm.

des in conjunctiva tunica est; quæ super ipsam non nunquam corneam propendet, & crudæ quasi carnis nunc globum tuentibus offert. Si qua febris hæc symptomata comitetur, sæpius illa inflammationem magis sequitur, quam præcedit. Interdum cum violenta satis ophthalmitide quæcunque febris vestigia desunt. Subinde vel ipsa cornea de inflammatione manifeste participat; sed utplurimum hanc ipsam non attingit. Pupilla hinc ab interna magis, quam alia inflammatione afficitur: ac in illa, mox angustior ac contracta, mox vero dilatata magis & amplior observatur.

§. 150. Sed varia ophthalmitidis natura est, ac vehementia. Nunc enim *primaria;* nunc pendens ab alio morbo, *symptomatica* affectio dici meretur. In his *simplex* est; in aliis *complicata* incedit; febrem hic agnoscit, & *acuta* comparet; illinc vero nec minime febricitant, ac *chronica* magis aut *habitualis* observatur. Nunc vero paucos in civitate, ex causis non similibus *sporadica* invadit; nunc *epidemica* ejusdem est indoles; ac in certis regionibus nativum quasi solum *endemica* agnoscit. De sede hujus inflammationis vel *externa*, vel *interna*, vel ex utrisque *composita* jam dictum est: atque nunc sine ordine, ac *vaga;* nunc *periodica* recurrit, ac typum observat. Divisio.

Ob vehementiam vero ac symptomatum differentiam, varia eidem fere malo imposita sunt nomina.

Levior quidem gradus ac quasi initium, ab externis causis, sine tumore, aut dolore incedens, *Táraxis* vocatur. Táraxis.

Superficialis oculi inflammatio, cum ejusdem rubore manifesto, & cum dolore, ardore, lucis intolerantia, & plerumque cum lacrymatione comparens, *ophthalmiæ* obtinuit nomen. Ab initio quidem pruritus, & caloris insueti sensatio, ac in palpebris mo- Ophthalmia.

vendis gravitas percipitur. Inter has, & oculum, quasi sabulum hærere videtur. Augetur ardor, rubor, sensibilitas ad lucem; dolor fit acutior, & oculi tanquam ab infixa spina, accedente imprimis nocte, stimulari videntur. Cum lucem inspiciant, magnus ad aures susurrus, & constrictio capitis persentitur; obruuntur lacrymis oculi, ac convulsive clauduntur. Matutinis horis puriformis ad internum oculi canthum densata hæret, tarsosque ac cilia conglutinat materies, in lemmas acutas, irritantes abitura. Hinc perpetuo digitorum tactu has ipsas deglubendo, irritationem augent, ac tarsos excoriant. Febris sæpe nulla in pulsu detegitur.

Epiphora. Hanc ipsam vero inflammati lacrymationem oculi molestam, cum genarum abhinc erysipelaceo rubore, vel deformi erosione, *Epiphoram* dixere: quod nomen, ubi puriformis materia in angulis oculi, aut inter tarsos colligitur, aut destillat, Latini in *lippitudinis* illud commutarunt.

Lippitudo.

Cum lacrymarum nihil ex inflammato licet oculo profluereret, tunc iidem Latini *aridæ* sibi *lippitudinis* denominationem, ut ab *humida ophthalmia* distinguerent, permiserunt; *xerophthalmiam* Græci compellant. Interim lacrymarum copia ac puriformis materiæ effluxus, a fortissima quavis inflammatione facile diminuitur, aut supprimitur tota.

Xerophthalm.

Chemosis. Gravissimam, sed externam, bulbi inflammationem, cum rubore insigni, & tunicæ adnatæ ac albugineæ totius tumore super corneam assurgente, *Chemosis* appellatione insigniunt. In hac vero symptomata graviora mox in conspectum veniunt: pondus scilicet super orbita, oculique & capitis intensus dolor, cum affectæ partis pulsatione, ac ardore insigni, sæpius cum febre manifesta, ac facile ipsius corneæ devastatione, erosione, suppuratione.

Symptomata.

Nunc etenim, ab effusa inter istius lamellulas coagulabili lympha, oriuntur *maculæ*, seu *nubeculæ*, vel *leucoma*, quæ, si pupillam obducant, visum ipsum infringunt, aut protinus obscurant; nunc vero tum super albuginea, tum sæpius super cornea ipsa, elevantur *vesiculæ*, seu *phlyctænæ*, quæ aut exsiccantur sponte ac rumpuntur, aut minimos in cornea abscessus (*onyx*) relinquunt, qui, si ulcus in hac ipsa inducant, *helcoma* hoc ipsum a Græcis appellatur. Macula corn. Phlyctænæ. Onyx. Helcoma.

Quotiescunque in oculorum internis inflammatio viget, gravissimus tunc & periculi plenus, *phlegmone* vocatur morbus: ab initio vel solus, vel ex *chemosi* increscente compositus. Cum parvo hic sæpius albugineæ rubore, summus jam dolor ad oculum, lucis intolerantissimum, ac lacrymantem vexat, & ad tempora, caputque totum immanis, cum pervigilio, sæpe cum deliriis, ac maxima febre, extenditur. Tantus interdum, cum a causa vehementius ac subito agente inflammatio incendatur, tumor oculum hic corripit, ut palpebris obtegi non queat; & ut, in orbita non amplius continendus, ex eadem propellatur (Proptosis). Iris ipsa nonnunquam rubros spargit colores, ac pupilla vel restringitur admodum, vel subinde dilatatur (§. 149.). Phlegmone oculi. Proptosis.

Quod si non nisi palpebrarum limbus, vel tarsi, ac in eisdem positæ glandulæ cum suis canaliculis inflammentur, rubeant, tumeantque, vel excorientur, *psorophthalmiæ* nomine hoc venit: quae vel in adnatæ phlogosin transibit, vel ex eadem originem duxit. Psorophthalmia.

Nonnunquam vero *introrsum* palpebræ convertuntur: quod *Entropium* dixerunt. Hoc in casu, si non desint, cilia, quod & sine Entropio interdum faciunt, in ipsum oculum diriguntur, et eundem sæpius inflammant. *Ectropium* vocant, cum palpebra Entropium. Ectropium.

vel una, vel altera, sub hac rerum conditione *extrorsum* revertitur. Tarsorum versus bulbum conversionem *Trichiasin* appellant; *Distichiasin* dicunt, cum duplex ciliorum ordo, ac unus ex istis in bulbum conversus est.

Trichiasis.

Distichiasis.

Ipsam vero palpebrarum inflammationem, *Blepharophthalmiam*, -- cum vero tuberculum super tarsum compareret, *hordeolum*, -- ac si hoc idem indurare-tur, *chalazion* salutarunt.

Blepharophthalmia.

Hordeolum.

Chalazion.

Interdum non tam ipse oculus, aut membranæ ejusdem, quam aut *lacrymalis glandula*, aut *caruncula* inflammatur. Hoc in ultimo casu *angularem* vocarunt *ophthalmiam*: in qua pruritus, dolor, tumor, ac vasculorum varicositas ad nasalem oculi canthum comparet. Ab hac imprimis caruncula phlogosi *Pterygium*, seu tumorem, extensionem varicosam vasorum conjunctivæ, oriri dixerunt; atque si fere semilunaris ac pellucida, tenuisque lamina ex cantho super oculi bulbum extenderetur, *ungulam*; -- si vero crassa hæc esset, ac rubra, tunc *pannum*, quo vix non totus interdum obducitur oculus, nominarunt.

Epiphora.

Ophth. angularis.

Pterygium.

Ungula.

Pannus.

Diuturnam, ac per annos frequentius quidem, sed absque tanto dolore, ac sine febre conspicua recurrentem, utplurimum secundariam *ophthalmiam*, *habitualem* atque *chronicam* vocamus. Laxa hic sæpius est vasorum ac cellulosæ oculi constitutio; palpebrarum limbus, seu tarsus, purpureo induitur colore, purulentam pluit materiam, nocte palpebras conglutinantem: quæ singula nunc fere perpetuo urgent, nunc per vices oculum aggrediuntur; et ex speciali ad hunc ipsum, acrioris imprimis materiæ, confluxu repetenda sunt: quo sæpe visus, ab albescente, vel cicatriculis defœdata cornea, pro majori parte arcetur. Frequentius vero communes in-

Ophthalm. chronica.

flammationis exitus hæc ophthalmia, nisi in acutam conversa, non agnoscit.

Maximæ vero auctoritatis est, ophthalmitidis ex causarum diversitate divisio; ac præcipuas ejusdem species hic adducemus.

Potissimam sibi attentionem meretur *ophthalmitis venerea*, quæ chronicæ utplurimum naturæ, ac luis ipsius, non tantos quidem dolores inducens, proles est; matutino tempore remittit; nec tam facile, licet id viderimus, in chemosin transire observatur. Symptomata luis alia, naturam morbi manifestant. Ophthalm. venerea.

Ophtalmia Blennorrhoica, qua oculus rubet, dolet, ac inflammatur, cum epiphora, palpebrarum prægno tumore, ac copioso ex sebaceis tarsi glandulis effluxu materiæ viscidæ, puriformis, variique coloris: ei ipsi fere, ex qua suppressa ortum ducit, *blennorrhœæ* materiæ similis. Cessat nempe, utplurimum a frigore locali, vel ab adstringentibus incautius urethræ hoc in morbo injectis, vel a pathemate animi, puriformis urethræ fluxus; ac ad oculum irritatio, ex eodem, ut videtur, contagio magis, quam a *metastasi* convertitur, maximumque cæcitatis periculum vel paucissimo tempore inferre consuevit: ut igitur acutissimum hæc ophthalmiæ species morbum, interdum tamen cum minori violentia, quod vidimus, incedentem Medentibus offerat. Ophth. blennorrhoica.

Aliam *ex contactu* per blennorrœæ materiam, oculo digitorum ope infricatam, notarunt Scriptores ophthalmiam: in qua similis iterum, ac in blennorrœa, materies oculis effluxisse refertur. Dubium quidem circa hanc acrioris materiæ potentiam non alimus; sed toties, quæ sub quavis alia oculorum inflammatione oculis prorumpit materia, colorem tum flavum, tum viridescentem nobis obtulit: ut ex hoc solo, differentem ophtalmiæ, quam ex omni alia ir- Ophth. blenn. ex contactu.

ritante materia oriundæ, characterem vix audeamus asserere.

Ophth. metastatica. *Metastaticæ ophtalmiæ* specimen sæpe nimis offerunt efflorescentiæ cutis, herpetes, scabies aliæ, cujuscunque effectu causæ retropressæ, morborum reliquiæ. Sic frequentissima post variolas, morbillos, scarlatinam ophthalmia est, et frequentem rheumatis ex alia parte super oculum depositionem observavimus.

Ophth. ab acri. Alias primariam *rheuma* sedem in oculis figit, aut *catarrhale*, *morbillosum*, aliudque acre ponit, ac inflammationem nunc fere superficialem ac quasi erysipelaceam; nunc vero fortiorem ac profundam inducit. In rheumatico malo, interdum ex facta in aliam partem materiæ depositione, celerrima in melius mutatio percipitur.

Ophth. scrophulosa. Inter chronicas ophthalmitides, illa, quæ ex *scrophuloso* acri originem ducit, fere frequentior est, infantibus hoc vitio affectis perfamiliaris. Humida hæc inflammatio, nec dolens multum esse consuevit. Ipsum oculi bulbum tumuisse, ac ipsam corneam inflammatam, vasculisque rubris, sine ulla doloris præsentia, depictam fuisse, in adulto conspeximus. Tumidi & palpebrarum margines, ac viscosa obducti sunt lippitudine; conjunctiva ex pallido rubra est, ac subtumida, lacrymæ acriores per genas ruunt; labrum superius, quod tamen et in aliis non scrophulosis subjectis interdum facit, crassescit; plures hinc inde lymphatici systematis glandulæ turgent. Sub hisce rerum conditionibus cornea facile obscuratur, ac videndi omnis tandem amittitur facultas.

Ophth. scorbutica. Interdum in *scorbuticis* lenta oculorum inflammatio occurrit. Sine hac rubentem in oculo ecchymosin, indolentem quidem, sed cum scorbuti lethalis signis, tum simili ad ventriculum sanguinea suffusione, ac vomitu pertinaci, conspeximus.

Infantes etiam neonati, tum ex vitio scrophuloso, aut hœreditaria lue, tum imprimis ex refrigerio, ac latitante in abdomine meconio, vel et a luce vividiori, adversa, incaute admissa, oculorum sæpe laborare phlogosi observantur. Tument illis, rubentque palpebræ; ac flava, crassior, et puriformis materies tum ex oculis effluit, tum hos ipsos undique obtegere solet: unde major mox bulbi irritatio, inflammatio, & ad corneam maculæ, aut abscessus oriuntur. Apertis digito, vel infantis ploratu, palpebris, hæ ipsæ interdum revolvuntur. Ophth. neonatorum.

Ex ipso *dentitionis* opere gravis nonnunquam invadit oculum inflammatio, imprimis cum dens aut caninus, aut huic vicinior molaris irritationem produxerit. Ophth. ex dentit.

Frequens, ac interdum, quod et nobis conspectum, epidemica ophthalmitis illa est, quæ saburrali originem principio debet, & ex abdomine potissimum derivatur. Signa hic premunt gastrica, & emeticorum alvumque purgantium virtus ægritudinis indolem manifestant. Ophth. gastrica.

Periodicas oculorum inflammationes, cum atroci quidem sub paroxysmo dolore, lacrymarum fluxu, pulsuque nunc celeri, forti, ac pleno, nunc naturali; dein vero cum plena symptomatum per datum tempus cessatione, Medicorum fasti loquuntur. Ophth. periodica.

Endemicas inflammationes oculorum quibusdam regionibus proprias novimus; atque tam volitanti per aerem subtiliori arenæ, quam reflexis a nivibus aliisque objectis in oculos radiis, vel causis etiam hucusque incognitis originem debent. Ophth. endemica.

§. 151. A fortiori, eaque interna potissimum, inflammatione oculi, vel *puriformis materies*, vel ex abscessu corneæ, iridis, uveæ, coronæ ciliaris, *pus* ipsum, inter corneam, iridem ac lentem, seu in Hypopion.

cameris oculi tum anteriori, tum posteriori, colligitur, nasciturque *hypopion*, aut *oculus purulentus*. Subinde non tam ipsius oculi inflammatio, quam *metastasis* in eundem facta vitium genuit. In triplici hoc casu per corneam, nisi violenta inflammatione obfuscatam, transparet contenta in cameris materies, ac albescente, cinereoque colore translucet. Videndum tamen est, ne simplex forsitan *Nephelium*, aut pelluciditate quadam non destituta corneæ macula, vel *Albugo*, vel *Leucoma*, seu corneæ obscurior macula, vel & exteriora ejusdem ulcuscula, pro latente in oculis pure imponant; quod obliqua eorundem, & ex latere instituta inspectio, tum præcedentium symptomatum, causarumque consideratio præcavebit. Ipse quidem oculi bulbus in hypopio volumine augetur & turget; sed imprimis cornea extensioni cedit, ac prominet. Nunc vero, quod rarius est, inter lentem, iridemque purulenta, vel in camera posteriori magis collecta materies (Empyesis), iridem ipsam ad anteriora propellit, corneæque tunicæ viciniorem reddit: unde cum eadem aut concrescat (Synechia); aut, si forte cornea ipsa vel sponte, vel arte rumpatur, *prolapsus iridis* contingat; nunc in anteriori oculi camera purulentum hæret, segniorque motus pupillæ est; hæc ipsa lenti propior hæret, ac a cornea divulsa. Utplurimum utramque cameram purulentus humor, cum fluidis oculi remixtus, replet, radiorum per illum transitus impeditur, visusque languet, aut perditur omnis. Si per ipsam oculi inflammationem vel *puriformis* materies, vel *pus* ipsum generetur: ingens utplurimum tam febris, quam dolor, ac singula fortioris tum chemosis, tum phlegmonis symptomata præcedunt, ac tandem sedantur quidem, ac intensitate decrescunt, sed remanet gravedinis ad ocu-

Nephelium.

Albugo. Leucoma.

Empyesis.

Synechia.

Iridis prolaps.

lum, ac tensionis, cum ejusdem tumore, sensus. Interdum purulenta materies non in ipsis oculi cameris, sed inter membranarum istius cellulas, ac in separato ab illis cavo continetur: quod *abscessus* oculi, non hypopion, in quod tamen transire facile potest, nominabitur. Si per *metastasin* purulenta materies tum in oculorum cava, tum inter ejusdem membranas deponatur, tunc plura desunt interdum ophthalmitidis signa, vel factam jam metastasin tardiora sequuntur. Abscessus oculi.

Sed vel ipsius interdum ophthalmitidis violentia, licet hoc & alias ob caussas contingat, vel ipse *sanguis* in oculi colligitur cameris (hæmophthalmia); vel aquosi istarum liquores in immensum augentur, nasciturque *hydrops oculi acutus*, vel *hydrophthalmia acuta*, cum chronica, quam alibi describemus, minime confundenda. Interdum non tam aquosus oculorum humor, quam *vitreus*, ex causa nunc inflammatoria, nunc alia; — vel ipsa demum *lens crystallina*, vel, quibus includuntur, capsulæ, obscurantur, ac naturalem pelluciditatem amittunt. In primo casu *glaucoma*; in altero *suffusio*, *hypochyma*, vel *cataracta*, hæc vitia appellantur. Alias totus fere oculus, post violentas inflammationes, *pseudomembrana*, ex coagulabili lympha conflata, involvitur; ast vero frequentius, tum ex inflammatione, tum alias ob causas, cornea ipsa in parte condensatur, & quam maxime interdum prominet: ut palpebræ motum aut impediat, aut varias in eadem irritationes excitare observetur. *Staphyloma* hoc malum, nunc *simplex*, nunc, ob plura sibi vicina tubercula, *racemosum* appellatur. Hæmophthalmia. Hydrophthal. Glaucoma. Cataracta. Staphyloma.

§. 152. *Causæ* ophthalmitidis vel ex ipsa specierum expositione luculenter satis quamplurimæ patent. Omnes vero recte dividuntur in illas, quæ oculum Causæ.

immediate afficiunt; & in illas, quæ non nisi per consensum offendunt, tum ad externas tum internas revocandæ. Exterius agunt plaga, ictus, concussio, compressio, operatio cataractæ, fasciæ post hanc ipsam diutius relictæ, comprimentes, calefacientes, pulvis, sabulum, fumus, vapor, pilus inversus ciliorum, corpora peregrina oculum inter & palpebram hærentia, aura frigida, borealis, liberius oculis admissa, splendor nimius objectorum, lectio, imprimis scriptio nocturna, reprimentia, vel spirituosa, oculo leviter inflammato inconsulto adhibita. Caussæ internæ tum illæ sunt, quas alibi (§. 125.) exposuimus, generales; tum imprimis catarrhus per nares ad oculos extensus, morbillorum præcipue, ac variolarum virus, erysipelas, herpes, crusta lactea, tinea, scabies, ophthalmia sæpius prægressa, vitia scrophulosa, venerea, rheumatica, blennorrhœa, metastases, cruditates primarum viarum, epidemica constitutio, dentitio, caries dentium, consuetique pridem tabacini pulveris omissio, sanguinis ad caput congestio, plethora specialis etc.

Prognosis. §. 153. Ophthalmitidis prognosis ex dictis satis elucet, ac pro diversa ejusdem causa, sede, vehementia, subjectique natura, diversissima est. Symptomatica, nisi morbo primario expulso, curationem vix admittit; sed, hoc licet facto, remanet tamen perpetua interdum in hos morbos dispositio. Uniuss inflammatio in alterum facillime transilire oculum observatur. Phlegmone oculi exitum frequentius infestum, ac sæpe suppurationem, vix unquam gangrænam, interdum carcinomaticum oculi tumorem inducit. Frequentior, & huic inflammationis speciei proprius est exitus, humorum oculi perturbatio, inspissatio, obscuritas, vel corneæ opacitas, ipsiusque

interdum oculi ruptura. Quæ sicca est, illa præ humida fere difficilius curatur ophthalmitis: scrophulosa vero, & quæ chronica est; illa, licet minus periculosa, vix curam admittit. Sæpe vero hic morbus, ut signum, pejor, quam per se ipsum foret, observatur. Veneream, ac scorbuticam ophthalmiam, latens in orbita caries aut exostosis, immedicabilem interdum reddit; alias pejor est, quæ a suppressa blennorrhœa originem ducit. Alvi demum fluxus non raro hunc morbum dissipavit.

§. 154. Ophthalmitidis veræ ac idiopathicæ cura, si febris inflammatoriæ signa simul observentur, cum illa inflammationum aliarum (§. 133.) conspirat; ac quo gravior affectio est, eo citius, ob visceris nobilitatem, brevique mora timendam organi subtilioris destructionem, venæsectio sat ampla instituenda; sique symptomata exigant, repetenda venit. Nec ob ruboris absentiam externi (§. 150.), hoc auxilium negligatur oportet; utpote in latente ac interna magis, quam in alia quacunque inflammatione oculorum, necessarium. Si febris defuerit, ac plethorica constitutio, tunc raro fortiores indicantur venarum sectiones; sed localis vasorum, præmissa interdum vel unica generali venæsectione, per hirudines depletio, aut cucurbitularum ad tempora applicatio, potissimum indicatur. Cura.

Pauciores quidem sanguisugæ sæpe magis irritasse, quam oculis auxilio fuisse nobis visæ sunt; & quas ad inferiorem palpebram hirudines applicamus, eas, ob teneram, spongiosamque cutis naturam, ecchymoses, lividasque circa oculum relinquere maculas observamus. Hinc ad tempora, vel circa oculos, excepta regione inferiori, vel quindecim, aut viginti applicamus hirudines, sanguinemque libere ex

vulnusculis defluere permittimus. In fortiori conjunctivæ inflammatione, non quidem rudior, irritansque veterum *ophthalmoxysis*, seu illius membranæ per spicas secalinas vulneratio; sed repetita cum scalpello vel internæ palpebræ inferioris superficiei, vel ipsius adnatæ tunicæ scarificatio quam optime suscipitur; ac si laxa & quasi in saccum pendens membrana hæc turgeat, ejusdem per cultrum excisio, licet quibusdam reprobata, cum fructu instituta fuit. Temporalis sectionem arteriæ, ut incommodam (§. 146.), & hic rejicimus.

Interea quicunque ophthalmitide laborat, oportet illum in obscuriori degere loco, omnisque lucis accessionem aut oculorum intensionem vitare. Tenue linteum oculis inflammatis superimpositum, pro tegmine sufficit; fasciarum usus, & quæcunque partis compressio, nocet. Convenit vero & sanum simul obtegere oculum, omnemque ejusdem contactum evitare, ac stagnantem in oculorum canthis acriorem lympham cum tenui, emolliente decocto, aut lacte imbuta spongia interdum abstergere.

Nec cætera, quæ in aliis inflammationibus laudavimus, remedia (§. 133.) in ophthalmitide negligenda sunt.

Vesicantia. In fortiori malo, sedato per venæsectiones, tam generales, quam locales, inflammatione, — imprimis si rheumaticum, catarrhale huic ipsi occasionem porrexerit acre; vel ipsis ab hirudinibus, aut scarificatione, temporibus inflictis vulnusculis, vel nuchæ, imponitur vesicans. In longiori, hac a causa derivanda phlogosi, setaceum ad nucham egregie conducit.

Emollientia. Si vero major oculorum, palpebrarumque sensibilitas, tensio, ac calor observentur: tunc, detracto jam satis sanguine, aut vapor tepidus aquæ, aroma-

ticis herbis & floribus imprægnatæ; — tum malvæ, vel althææ decoctum, lac tepidum, aut gummi arabici tenuis solutio, tum cataplasma anodynum, paucissimo pondere adhibitum, nisi diuturno usu contraria, exterius quam optime proficiunt.

Opium.

Sed & ipsum *opium* in vino solutum egregios hic effectus habuisse conspectum est. Hinc vel tincturæ Thebaicæ, N. XVIII., vel laudani liquidi duas, tresve guttulas, semel in die, oculo instillare convenit: quo dolores quidem per breve tempus augentur; sed vi remedii tum excitante, tum sedante, melius interdum, quam remedio quovis alio, tum in acuta, tum in chronica affectione, præmissis in illa venæsectionibus, auferuntur.

Pediluvia.

Pediluvia tepida in quovis nimio ad oculum appulsu conveniunt; quo tempore, rasis prius ad caput capillis, hoc ipsum frigida lavari utiliter potest.

Adstringentia.

Adstringentium usus in fortiori ophthalmitide perniciosus admodum, ac in majori oculorum rubore, tensione ac dolore evitandus. In laxiori horum statu, & si contusio externa præcesserit, vel in leviori phlogosi a catarrhali causa exorta, vel demum in *chronica* potissimum inflammatione, roborantia externa egregios non raro effectus produnt. Simplex frigida, eaque per destillationem obtenta, vel saltem non alienis imprægnata, cæteris fere palmam eripit remediis. Alias huic ipsi, vel succi citri aliquot guttulas, vel salis saturnini, aut vitrioli albi, aut, quod præferri meretur, aluminis, grana aliquot (N. XIX.) superaddere convenit; vel aluminis portio cum albumine ovi conquassata, per noctem superimponitur palpebris; atque sic infinitus fere *collyriorum*, unguentorum est numerus: quæ, cum uni aut alteri auxilium tulerunt, non raro alium, sine causa satis aperta, divexant in alio oculum; & si acrior ad eundem

confluxus excitaverit malum, frequenter hoc idem exasperant, & corneæ maculas, ulcera, ac cæcitatem interdum relinquunt.

Psoroph-th. cura.

Psorophthalmia, locale, ac a causis internis non oriundum sæpius malum constituit. Huic ipsi *unguentum citrinum* (N. XX.), vel unguentum ex butyri recentis uncia una cum dimidia, ac mercurii præcipitati rubri drachma una, solicite inter se commixtis, utiliter opponitur, parvaque ejusdem portio, unica per diem vice, tarsis molliter infricatur. Matutino tempore cum lacte tepido, sine impetu, oculus eluatur oportet.

In purulenta *neonatorum* ophthalmitide, remotis ipsius mali causis, lac recens & sanum, ex ubere matris, nutricis, instilletur oculis, aut ope parvæ syringis, ex elastico gummi felicius parandæ, sub palpebris tepida, vel & malvæ decoctum injiciatur. In fortiori affectione, vitrioli albi tenuior & aquosa solutio, absque violentia, immittitur oculis.

Ophthalmitides *symptomaticæ* curantur, morbi, a quo pendent, prudenti medela, vel ad partem, unde ad oculum pertigerat, revocatione.

Sic ex primis viis oriunda oculorum inflammatio, per emetica & purgantia, — quæ ex venerea lue, per mercurium rite, atque tum interius, tum exterius subministratum; scorbutica ophthalmia, illis quæ scorbuto adversantur; — scrophulosa vero, licet ubique difficulter, remediis ex antimonialium classe, Peruviano cortice cum calomela remixto, salibus mediis diuturno usu adhibitis, balneis maritimis, ac spongiæ hac in aqua vegetantis lixivio, interdum persanatur. In rheumatica inflammatione, si febris accedat, antiphogistica methodus, & demum antimonialia, refracta dosi porrigenda, serum lactis, dulcamaræ decoctum, & alia hoc in morbo alibi

commendanda remedia, imprimis vero vesicantia, setacea, fonticuli, præscribi merentur. Quæ a retropulsa blennorrhœa ortum habuit ophthalmia, ea restituto iterum per candelas antiquo fluxu, solisque demulcentibus, abacto prius inflammationis periculo, percuratur; nec mercurialibus, nisi complicata, indigebit. Si periodos observet oculorum inflammatio, & ad legitimas intermittentes pertinere videatur (§. 68.): tunc eandem, quam istæ, per corticem, curationem admittit. Natam ex retropressa scabie inflammationem, hac ipsa per novum contagium, vel insitione, vel scabiosorum cohabitatione revocata, ac remediis transpirationem promoventibus, antimonialibus, aliisque, imprimis balneis, dissipamus; peregrinum corpus chirurgicis ex oculo trahendum, eluendum est subsidiis; irritantes oculum pilos, evulsione, vel emplastro glutinante, externæ palpebræ imposito, pilosque rebelles figente, vel demum cutis palpebræ pro parte excisione, ac cicatrice tarsum superiora versus dirigente, ab oculo auferimus, aut avertimus etc.

§. 155. Sequelas ophthalmitidis (§§. 150. 151. 153.) Chirurgia magis, quam ipsa Medicina pertractat; qua tamen sæpe, ob causarum internarum naturam, carere Chirurgus non potest. Sequelar. cura.

Ad *hypopion*, oculi, nunc cum solis emollientibus pertractatio, nunc vero ejusdem matura satis perforatio, nunc sectio proposita, — ab aliis rejecta est. Observatio scilicet docuit, purulentum oculum vel a solo corporis motu, vel ab usu emollientium, præter opinionem, claritatem pristinam interdum acquisivisse. Hoc certe, cum *pus* verum, & ex abscessu veniens in cameris latuerit, vix unquam contingere; — aliud vero, si *puriformis* humor (§. 128.), Hypop.

aut metastasis aquosos oculi perturbaverit humores, dicendum; nec impossibilis in utroque hoc casu resorptio videtur. Contingit hæc subinde ad quævis alia corporis cava; nec, cur ad oculum fieri non possit, perspicimus satis. Quod si igitur signa purulenti in oculis liquoris celerius, ac tempore, quo vix abscessus nasci potuisset, vel sub fortiori phlegmone, vel sine omni inflammatione, per materiæ ex parte longinqua raptum, comparuerint: juvabit utique, priusquam ad oculi sectionem perveniamus, emolliente ex malvæ decocto fotu, ac spleniolis eodem imbutis, ad oculum positis, nec non evacuantibus, ac aliis, resorptionis tentare vias; ac tandem, nisi hæc obtineri sat prompte possit, -- in casu vero latentis abscessus continuo, ad corneæ ipsius incisionem descendere: atque sic spontaneam oculi rupturam, qua cæcitas ipsiusque ruina oculi induceretur, maturo satis prævenire consilio.

Corneæ maculas (§. 151.), si profunde in oculum descendant, aut cum excavatione membranæ cicatricem offerant, difficulter, si unquam, abigimus. Frequentissimum ex variolis *leucoma* est, quod, sicut aliud quodcunque, ubi superficiem corneæ vix penetrat, tum revellentium, tum aliorum, nucis juglandis scilicet olei non rancidi, aut fellis *mustelæ fluviatilis* vel *lacustris*, aut *lucii* piscis, aut alterius usu, tum erodentium imprimis ope, nonnunquam auferetur. Hunc in finem non minus, quam ad *pannum*, *ungulamque* dissipanda, tum albissimi pulverem sacchari, tum alium, ex hoc ipso, cum æquali cremoris tartari, bolique albæ portione remixtam, quotidie paucissima quantitate, maculato corneæ loco inspergimus; vel staphyloma tum lapidis infernalis solutione, tum butyri antimonialis guttula, penicillo tumori illinita, recentiorum methodo, quæ & nobis

profuit, exedimus caute: quem ad scopum & mercurii corrosivi granum unum, in quatuor aquæ destillatæ unciis solutum, a nonnullis cum fructu adhibitum fuit. Prominentes admodum corneæ maculas & staphylomata interdum cultro feliciter, lentoque labore, remanente semper aliqua hujus membranæ obscuritate, abstulerunt Chirurgi.

ORD. I. GEN. III.

OTITIS.

§. 156. Sensilissimam & aures humani corporis partem constituunt; cerebroque non minus, quam oculi, vicinam. Nervorum hoc quidem organon adeuntium potestas in totum, vel ex solo, quem concentus ac harmonia in animam, & in circulationem exserit, effectu, luculenter apparet; sed insigne commercium, quod eosdem inter et faciei, linguæ, oculorumque nervos tam conspicue observatur, hanc partem corporis, ut sensationum plurimarum januam, & ut malorum sedem in cætera longe dominantem, respicere jubet. Nobilitas aurium.

§. 157. Cum vero tot morbi causis aures continuo pateant, plurimæ ex istis nunc atrocissimos hic loci dolores, quibus *otalgiæ* nomen; -- mox sævam inflammationem, cui *otitidis* appellationem dederunt, excitare observantur. Mox externa tantummodo aurium concha inflammatur, & nisi per meatum externum hæc affectio, utplurimum erysipelacea, penetret; rarius tam magna, neque alia fere, quam erysipelatis symptomata comparent. Mox vero absconditas aurium partes, atque vel meatum ac tubam, ad eas- Inflammatio.

dem ducentes, vel interna hujus organi loca inflammatio pessundat.

Definitio. §. 158. Atque hæc ipsa internæ auris inflammatio est, quæ *otitidis* sibi nomen promereatur: in qua, utplurimum sine tumore exterius conspiciendo, dolor ardens, gravis, tensivus, lancinans et pulsatilis ad aurem, cum febre utplurimum intensa, cephalæa, tensione capitis, pervigilio, inquietudine, ejulatu continuo, cum auditu acutissimo, aut obtuso, et apud adultos sæpius cum deliriis, convulsionibus, ac lipothymia, observantur.

Symptomata. §. 159. Hæc vero symptomata (§. 158.) tam rapide sibi interdum succedunt, ut vel in ipsa definitione morbi, jam tota ejusdem lateat historia; vel superaddito auris tormento, vix non omnia *encephalitidis* acutissimæ (§. 140.), quæ non raro ad otitidem accedit, produntur symptomata, ita ut jam primis morbi diebus, nisi discutiatur morbus, sub exili & frequentissimo pulsu, ac sub atroci ad occiput, oculos, buccarum musculos, & tempora, dolore, phrenesis violentissima, & convulsio, & sopor, & loquelæ defectus, & extremitatum frigus cum syncope, ac mors demum ipsa, insequantur.

Sæpius interim non sub tam gravi res aspectu incedit: sed dolor, primum mitis, per gradus intenditur, ac febris vel antecedit, vel sequitur affectum; ægrotus aliquam, matutino imprimis tempore, doloris remissionem persentit; pulsus pleni, nec semper tam frequentes, sed vibrantes ac duri, interdum contracti, cum urina multa & cruda; facies rubra, & magna, nec tamen continua, cephalæa; auris affectæ susurrus, ac tandem rubedo exterioris conchæ, cum singulis febris continuæ attributis, observantur;

donec aut sexta fere, aut octava die, interdum citius, fere singula increscant symptomata; ac tandem aut serosa ex aure materies, aut pus ipsum sanguinolentum, tum per meatum externum, tum per tubam ad fauces, cum summo mox symptomatum levamine, expellatur; ac sudor æqualis per totam corporis superficiem vaporosus erumpat.

§. 160. Tum *otalgiæ*, tum *otitidi* communis fere, & nonnisi gradu distincta origo habetur, atque ad causas vel externas, vel internas spectare observatur. Nunc enim irritatio ab illapso, aut intruso corpore peregrino, piso, faba, cerasorum nucleo, globulo plumbeo, alio, ab insectis aurem ingressis, ab eorundem ovulis in illam depositis, ac temporis, calorisque ope evolutis, a frigido, ex adverso auribus admisso vento, ex ceruminis exsiccatione ac duritie nimia, a concussione, alapa, vel a cranii læsionibus, vulnere, ac ossium carie, ab auriscalpiis, ac nimia munditiei cura; — nunc vero membranæ hanc osseam specum investientis, dividentis, aut aliarum partium catarrhalis, ac rheumatica affectio; depositio ad aurem arthritica, variolosa, morbillosa, achorosa, scabiosa, venerea, erysipelacea, scrophulosa, metastatica; dentis molaris in pueris eruptio difficilis, aut in adultis caries; inflammationum caussæ communes aliæ (§. 125.), imprimis narium hæmorrhagia suppressa, variique spasmi, hysterici, hypochondriaci, — caussam horum affectuum potissimam sistunt. Non tam raro sordes in primis viis stagnantes, & hujus sibi partem inflammationis assumunt. Causæ.

§. 161. Otitidis pericula jam satis ex dictis (§. 159.) patent: & cum oculorum vitia intra ipsos nocent, Prognosis.

aurium inflammationes doloresque interdum etiam ad dementiam mortemque præcipitant. Interim ab otitide natu minores citius intereunt senioribus; ac pauci interdum dies in utrisque certe, affectu vel ipsi tandem cerebro communicato, vel per solum consensum, ad mortem sufficiunt. Crebrius in otitide resolutio per transudationem purulenti liquoris, ejusdemque subitaneam excretionem obtinetur. Suppurationem hanc ipsam dixere; sed vidimus frequenter, jam post viginti quatuor, aut quadraginta horas, quo tempore abscessus supponi haud potuit, illam contigisse. Frequentior omnino suppuratio vera hoc in morbo, quam in alio quovis, observatur: atque tunc ulcus in auribus non raro supermanet, quod curationi pertinaciter per vitam interdum resistit, strepitumque perpetuum, ac repetitas inflammationes, surditatem, nec non continua cariei pericula inducit. Vidimus sub hac ipsa, fortissima ad omnes portionis duræ auditorii nervi propagines, ad os temporis, ad malam, nares, ad oculum, labium inferius, ad linguam, incommoda, dolores maximos, ac ipsam denique paralysin. Alias ad ipsum calvariæ cavum erosio penetrat, & cum lethali eventu suppuratio encephalo communicatur. Sed interdum per internæ auris suppurationem tum ipsum tympanum, tum subtiliora auditus destruuntur organa, & immedicabilis hac in parte surditas inducitur. Subinde felix per tubam Eustachii tum puriformis materiæ, tum ipsius puris, depletio contingit.

Cura. §. 162. Non aliam otitis, quam vehementissima quævis inflammatio (§. 133.), potissimum vero ac opthalmitis (§. 154.) sibi curam expostulat. Hinc prompta, sæpiusque repetita venæsectio in vera auris inflammatione potissimam opem spondet, & ma-

gna hirudinum, qua cucurbitularum post partem affectam positarum hic virtus observatur. Interim caussæ latentis præcipua habenda est ratio; & quod irritationem hic loci inducit, hoc, si stimulum operatio non augeat, majori cura mox auferendum: insecta vero, si, quod nobis in forti otalgia licuit, educi non possint; vel oleo, vel absinthii, aut ledi palustris succo, aut melle, gossipio suscepto, cautissima manu necanda sunt. Ab hoc vero, emollientissima inflammatæ auri admovenda sunt remedia, eaque ex lacte, decocto malvæ, tum auri externæ per spongiam, aut cataplasmatis anodyni sub forma, applicanda; tum, si magis interna videatur inflammatio, in faucibus diutius detinenda sunt. Ipsi etiam externo auris meatui tum lac tepidum, tum seminum cydoniorum, vel gummi arabici mucilago quidquam diluta, ac tepida, -- superaddita, si spasmi violentia extremi sic jubeat, opii moderata portione, instillanda; injectiones vero, ut stimulantes nimis, evitandæ sunt.

Interea nitrum, potumque copiosum acidiusculum, ac, si gastrica signa occurrant, evacuantia lenia ex tamarindis et cremore tartari N. XXI. propinamus, alvumque alias clystere servamus apertam.

Suppuratio auris, quam prævenire hac methodo non licuit, solicite promovenda; et, ne in ulcus impurum, ac in surditatem, aut cariem terminetur, curanda est. Cum igitur ex doloris augmento, pulsatione, gravitate, calore, distensione majore præsentem jam agnoscimus suppurationem: tunc vapor tepidus in aurem mittendus, aut hæc ipsa cataplasmate emolliente continuo fovenda est. Puris ex abscessu disrupto effluxum juvat positio frequens in aurem affectam, ac repetita hujus, cum decocto hordei & pauxillo mellis despumati, lotio, aut mode-

rata injectio. Ad insecta æstatis tempore ab aure suppurata tutius avertenda, tenui hæc ipsa bysso obtegenda, nec ichoris effluxus fœtidusque vapor præfocandus est.

ORD. II.

INFLAMMATIONES JUGULARES.

GEN. I.

GLOSSITIS.

Raritas morb. §. 163. *Linguæ* substantia frequentius sub ciborum incauta masticatione, dentisque acutioris aut cariosi actione, vel sub fortioris insultu epilepsiæ, vesparum ab ictu, a variolis, aphthis, a methodo mercuriali, sub anginis, a latente interdum calculo, a frenuli post partum læsione, irritatur, vulneratur, eroditur, turget, ac intensius dolet. Nativitatis interdum hæc particula vitio insigniter aucta, vel œdemate tumet, aut scirrho volumine crescit. Sed vera, & primaria linguæ inflammatio, tum aliis raro, tum unico nobis, cum hæc ipsa scribimus, exemplo comparuit.

Symptomata. §. 164. Hic linguæ status (§. 163.) *glossitidis* nomen obtinuit, atque in subitaneo furore, ac insigni, nec tamen a prædictis causis pendente hujus partis dolore, duritie, rubore, tumore, oris hiatu, cum febre intensa, salivatione, screatu, tussi continua, loquelæ, deglutitionis, respirationis difficultate, ac continuis vigiliis consistit. Frigus intensum, longumque ægrotantem, quem conspeximus, atque calor magnus, cum præsente mox linguæ affectu in-

vasit. Sequebatur jam primis morbi initiis linguæ sub motu summopere dolentis tumor, durities, rubedo, siccitas, ardor, ac magna sub attactu sensibilitas, loquelæ impotentia, cum summa deglutitionis necessitate, difficultate. A perpetuo nempe tenacioris pituitæ, ac salivæ in faucibus, dolore affectis, confluxu, sub oris, a volumine linguæ vix non deleta capacitate, ac mandibularum hiatu, importuna salivatio, aut screatio, aut anxia & validissima tussis, quietem ac somnum demebant omnem; caput interea dolebat; nec tamen facies, quod alii observarunt, rubra; sed; cum lacrymante oculo, pallida, sudore obtecta, & tristis comparuit; nec ex ore lingua, ut in aliis, propendit; sed fere immobilis palatum, hiansque buccatum antrum omne, a dentibus utroque ex latere excoriata, replevit; nec demum respiratio, quæ per nares potissimum fiebat, difficilior, nec deglutitio in totum ablata, quod sub futuro morbi incremento facile prævidebatur, hucusque terrebant. Pulsus hac sub rerum conditione duri, vibrantes, magni, ac frequentes erant; urgebat sitis, appetitus languebat, ac major corporis universi calor, & siccitas aderant.

Interea febris, licet manifeste inflammatoria, diversis tamen horis remisit, ac post has iterum increvit. Quarto morbi die lingua copioso lymphæ cooperta fuit coagulo; & sexto, sudor per universum corpus, ac urina cum lateritio sedimento apparuit: quo facto, symptomata glossitidis remiserunt, ac paucorum spatio dierum, sua linguæ mollities, ac pristina ægrotanti salus fuit restituta.

§. 165. Causæ hujus morbi non aliæ, quam illæ, quæ cæteras partes inflammant (§. 125.), imprimis rheumatica, accusandæ esse videntur; comparuitque Causæ.

hoc communicato nobis glossitidis exemplo, quæ nuper, disparente ad hepar inflammatione rheumatica, in conspectum celerrime venit.

Prognosis. §. 166. Si resolutio hoc in affectu quidquam graviori non prompte succedat; suppurationis non modo, sed antequam hæc ipsa contingere queat, suffocationis periculum instat. Febris, quæ et hoc in morbo non ejusdem semper indolis esse videtur, ob potus impossibilitatem necessario accenditur magis; ac alimenti cujusvis denegatus ad ventriculum transitus, licet sub majori febris intensitate illius vix tanta necessitas subsit, ad gravitatem nihilominus symptomatum non parum contribuet. Frequentior linguæ scirrhus, vix rariorem pro causa glossitidem agnoscere videtur.

Cura. §. 167. Ad hæc pericula (§. 166.) ab ægrotantibus avertenda, methodus in quavis vera inflammatione laudata promptissime adhibenda, & sanguis tam ex brachio, quam imprimis ex jugulari, quod cum summo successu a nobis factum est, & per hirudines circa mentum appositas, frequentius detrahendus est. Raninarum sectio venarum, quæ plurimum hoc in morbo promitteret, ob tumentem ubique linguam institui nequiebat. Interea cataplasma emolliens circa collum molliter ponendum, ac vapor ex aqua & aceto frequentius ore hauriendus est. Lac tepidum, aut emolliens decoctum cum melle & nitro, vel ore teneatur; vel, si ob linguæ molem non possit, sine majori injiciendum est impetu. Tandem & vesicans non largum sub mento posuimus; ac evacuans alvum medicina, non fortis certe, quæ febrem auxisset, difficulter licet, assumpta, & præterea alvus frequenter clystere solicitata est. Cum

suppuratio tumoris observetur, hæc ipsa fovenda, & mature satis aperiendus abscessus est. Si fames urgeat, ægrotus per nutrientia sustentandus enemata; nec non ipsa, quæ ore assumi vix possunt, medicamenta, hac demum via injicienda sunt.

Sub instanti suffocationis periculo, tum ipsius linguæ, licet durissimæ, scarificationem; — tum, si nec hoc quidem sufficiat, tracheotomiam proponimus.

ORD. II. GEN. II.

CYNANCHE.

§. 168. Communis pro aere, ac pro alimentis ad fauces via, — maxime composita tum deglutitionis, tum respirationis functio, — ac instrumentorum pro utroque hoc opere perficiendo perfecta conspiratio est. Ex hoc patet, morbos faucium ac laryngis, tam sæpe inter se communicantes, separatos ab invicem non facile posse pertractari. Interim ipsarum affectionum, quæ his in partibus occurrunt, sat naturalis in illos instituitur divisio: qui, vel ex spasticis magis, aut mechanicis obstaculis, tum *asthma tracheale*, tum *dysphagiam* inducunt; vel ob natam tum in faucibus, aut pharynge, tum ad laryngem inflammationem, aut deglutitionem impediunt, aut respirationi obsunt, aut utrique functioni minantur. Hos ultimos, sub *cynanchis* denominatione, hic examinabimus; atque illos, quo loco magis convenient, in sequentibus exponemus. Institutio.

§. 169. Est autem cynanche affectio faucium, ac partium adjacentium, cum inflammatione ac febre, quam impedita & dolens deglutitio, vel respirationis difficultas, vel utraque simul, comitatur. Definitio.

Sympt. gen. §. 170. Generalia *cynanchis* symptomata sunt vel ea, quæ inflammationibus observantur communia; vel ea, quæ ab impedito aeris, ciborum, potus per fauces transitu; aut a sanguinis per venas jugulares intercepto reditu, & a lymphæ in proprio vasorum systemate congestione, oriuntur.

Symptomata, quæ ex inflammatione hic loci proveniunt, sunt: vel tumor, rubor, ac dolor externus, deglutitionem, aut respirationem impediens; vel rubor, tumor, & dolor, ad tonsillas, fauces, velum pendulum, ac radicem linguæ sese manifestans; vel similis ad pharyngem affectio; vel internæ demum laryngis inflammatorius habitus.

Symptomata, quæ ab impedito aeris in pulmones descensu, & ab alimenti necessarii potusque negato transitu nascuntur, sunt vasorum capitis inflatio, ac humorum ad encephalum congestio, sopor, deliria, extravasatio, œdema, livor, suffocatio prompta; vel totius debilitas machinæ, & sanguinis, aut lymphæ, recenti fluido non renovatæ, morbosa mutatio.

Divisio. §. 171. Si cynanchis sedem consideremus, erit hæc vel *interna*, atque nunc ad tonsillas, velum pendulum, uvulam, radicem linguæ, palatum, vel ad *pharyngem* ipsam, quas singulas partes sub *faucium* nomine comprehendimus; vel ad ipsam *laryngem* ac *tracheam* hærebit; — nunc vero *externa* magis conspicietur, quam non adæquata satis denominatione *parotideam* vocaverunt. Si febris cynanchen comitantis rationem habeamus, potest illa nunc *inflammatoriam*, nunc *gastricam*, nunc vero *nervosam* ac *malignam* assumere naturam. Sub his febribus interim cynanche non semper principalem morbum, sed interdum nonnisi symptoma febris constituere observatur. Nunc etiam inflammationis causa ad ipsas, quæ eadem la-

borant, partes hæret; nunc vero ex alio in fauces loco actionem exercet: ut igitur cynanchis in *primariam* ac in *secundariam*, in ipsa rerum natura posita sit divisio. Frequentius vero cynanche *epidemico* more grassatur; &, ex generali causa producta, popularem morbum exhibet. Alia etiam cynanche *habitualis* fit, & aliarum utplurimum affectionum, quales nempe ex scirrho, carcinomate glandularum colli, palati, vel ex convulsionibus, ex phthisi pulmonali, ex paralysi faucium, ex lue venerea, aliisque sub morbis observantur, *symptoma* constituit.

§. 172. *Cynanche faucium*, quam *synanchen* Græci, *tonsillarem* dicunt alii, frequentissima inter omnes occurrit, ac depressa linguæ radice, ad fauces luci obversas, in conspectum facillime cadit. Nunc autem ad sinistra, nunc ad dextra magis inflammatio tonsillæ, membranæ faucium mucosæ, observatur; mox per totam faucium distribuitur superficiem, partesque singulæ tunc rubent, tument, ardent, siccescunt, aut puriformi ac albescente muco obducuntur; sub quavis partium istarum agitatione, imprimis sub deglutitionis opere, dolor insigniter crescit, ac interdum cibi, potusque per nares regurgitant, nec pharyngem adire queunt; vox rauca, vel acutissima, vel nasalis observatur. Difficilius utplurimum liquida deglutiuntur, quam solida; ac perpetua screationis, aut salivæ, muci ad fauces ruentis, vel paucissimi, dolensque summopere deglutiendi necessitas est: unde vel continuus ex ore fluxus ac salivatio adest; vel ægrotus, ob instantem suffocationis metum, ac ob tussim, vix ulli indulgere somno inquietus potest. Sub deglutiendo sæpe acutus per aurem dolor, & crepitatio magna percipitur; vel gravius interdum audiunt. Nausea quoque a faucibus per viscidiorem, acriorem mucum titillatis excitatur. Cynanche faucium.

Interea dolores cum febre augentur, calor incenditur summus; rubet, livet, inflatur facies; prominent, splendent, fulgentque oculi; cephalalgia, jactatio, vigiliæ, vaniloquia interdum obscura, vel deliria summa, alvus obstructa, sitis ingens; ac si faucium tumor laryngi vicinæ communicetur, respirationis maxima difficultas & anxietas observatur. Interdum conspicuus ad externa tumor est: qui, si cum interiorum levamine contingat, felicem morbi ad ignobiliora conversionem; -- in contrario casu, pejora significat.

Sæpius tamen hæc cynanche in superficiali magis faucium phlogosi, cum febre non magna, catarrhalibus symptomatibus stipata consistit: hinc fauces ex pallido, vel erysipelatis in modum rubent, ac mucosam harum partium membranam ex catarrhali ac serosa colluvie, uvula in longum extensa, & ipsius linguæ radicem attingente, affectam testantur.

Cynanche pharyngea. Cynanche pharyngea, vel *parasynanche* Græcorum, a præcedenti vix nisi profundiori inflammationis situ, ac symptomatibus ad pharyngis musculos ac membranam magis referendis, distinguitur, & sæpius cynanchis faucium sequela, vel comes est. In posteriori nempe faucium antro, sat profunda istius inflammatio, interdum ad singulas musculosas pharyngis expansiones extensa conspicitur; adestque calor, ardor, robur, siccitas, ac major, quam in cynanchis tonsillaris varietate, sub deglutiendo dolor, ac potulentorum per nares regurgitatio, aut tussis, sub hac ipsa, convulsiva.

Cynanthe œsophagitis. Aliquando profundiorem œsophagi locum sibi eligit inflammatio, *œsophagitidis* tunc nomine non indigna; sed tamen ob impeditam in iisdem viis deglutitionem, ac similia cynanchi symptomata, ad hanc ipsam facile revocanda. Ad locum vero inflammatum

œsophagi, quem ipsimet ægroti indicabunt, deglutiti cibi obstaculum inveniunt, atque dolores fixos ac uni fere loco inhærentes producunt : donec sub majoribus angustiis, profundoque, vel ad dorsum urgente dolore, contenta ex œsophago vix mutata rejiciantur.

§. 173. Quæ vero ad laryngem inflammatio *cynanchen laryngeam*, aut paulo profundior *trachealem* constituit : ea, nisi cum aliis (§. 172.) conjuncta incedat, vix externo in faucibus signo eruitur. Infantibus magis, quam adultis hæc cynanche, quam & *spasmodicam* in pueris interdum naturam assumere dixerunt, est propria; respiratio summopere difficilis, deglutitio minus impedita; in casu tamen lethali, ac in adulto, cum violento illius dolore nobis se obtulit. Vox plurimum hoc in morbo mutata, vel rauca, vel clangosa, stridens, & acuta; alias, ut vidimus, a naturali non multum aberrans. Interea febris acutissima hunc morbum cum pulsu frequenti, parvo ac duro, vel tremulo, cordis palpitatione magna, calore insigni, ad noctem crescente, comitatur; ac ardoris, dolorisque sensus, aut magna sensibilitas ad laryngem, aut tracheam, præsertim sub inspiratione, aut deglutitionis sub opere, percipitur. Nunc autem superficialis modo, ac fere erysipelacea inflammatio internæ laryngis, tracheæ, hic subest; nunc fortior membranarum, ligamentorum, musculorum laryngis inflammatio latet: sub qua lymphatica & coagulabilis materies transudat, & nunc molliter lateribus adhæret; nunc in pseudomembranam laryngi, tracheæ adhærentem, aut intermedio puriformi liquore separatam, interdum cum tussi projiciendam, convertitur; nunc vero, quod conspeximus, copiosa sub seri purulenti forma per tracheæ ramos

Cyn. laryng. tracheal.

in pulmonem depluit, eosdem replet: ut his in cadavere sectis, cum impetu profluat; hinc in vivente magnam dyspnœæ, ac peripneumoniæ symptomatum partem sibi assumat. Tussis igitur in hac cynanchis specie frequens, impetuosa, cum dolore ad laryngem, cum pauco utplurimum, sed puriformi, aut sanguinolento sputo, cum membranosis interdum frustis, iisque subinde majoribus, observatur. Præter hæc, anxietas, ac extrema, sed sæpe apparens modo, virium prostratio, jactatio, genæ rubentes, facies tumida aut livescens, carotidum pulsatio magna, & jugularium venarum extensio, nec non soporosi affectus, sudores ad vultum multi comparent; ac, nisi citius tam vehementi morbo succurratur, mors cita succedit.

Tracheitis. Cum vero profundius per tracheam penetrat, ac in bronchia descendit inflammatio: tunc, in primo casu, *Tracheitidis* speciem; -- in altero *Peripneumoniæ* imaginem refert: in qua ultima, vix non constantem internorum bronchiorum phlogosin in centenis cadaveribus deteximus. Vix igitur *anginæ pectoris* hic morbus nomen sibi meretur; & quem, longioris utpote decursus, hoc sub nomine descripserunt alii: ut cum spirandi, sub motu, subitanea difficultate ac suffocationis sensu, cum lancinante ac profundo circa musculos brachiales & pectoralem, vel ad sternum dolore, cum pulsu in multis intermittente, ac periodica corporis positione fere serpentina, incederet; ille nunc ad organica pulmonum, cordis, vasorum majorum vitia; nunc ad asthma spasmodicum facilius refertur. In ipsius vero *tracheæ inflammatione*, præter alia & communia signa, fixus ad fistulam ardor, cum tussi aspera, sicca, vel sputo puriformi ac sanguinolento, respiratione difficili, dolore, sub esculentorum deglutitione, cum ad certum œsophagi

locum descenderint, acuto. Non desunt pseudomembranæ, per totam tracheam interius subtensæ, exempla, quæ vel mortis, vel asthmatis diuturni, -- ac ulcerum in eadem serpentium, quæ phthisis trachealis ac purulentæ, causam exhibuerunt.

§. 174. Interdum ad glandulas parotides, maxillares aut jugulares tumor sat magnus, vix multum inflammatorius, interim tamen durus ac dolens, repente, ac sine malignitatis suspicione, tum apud adultos, tum præcipue apud pueros, juvenesque insurgit. Vel, ut vidimus, ab œdematis circumscripti, jugulum ac mentum collaris adinstar alte circumdantis, ac demum inflammati specie, tensio hic oritur & congestio: quæ in musculis ac ligamentis maxillarum, ossisque hyoidis, dolorem, & cum febre sat vehementi, masticationem orisque aperturam impossibilem, deglutitionem vero difficillimam reddit. In primo casu, nunc post paucos dies, nunc, febre quidquam majore, post hebdomadam pauloque ultra, tumor utplurimum per resolutionem blandam imminuitur; vel interdum inopinato disparet, ac, ut factum esse cum aliis novimus, in viris ad testiculum, ad mammam in mulieribus, cum aucta abhinc febre, convertitur. Vel ex utroque maxillarum latere tumor insurgens, jugularium venarum compressionem, & non parva abhinc incommoda producit. In secundo vero, ac pertinacis œdematis phlegmonosi casu, insignis tumor ex mento ad pectus usque fere duplex, durissimus ac dolens protenditur: quo non modo deglutitionis summa difficultas, sed & instans suffocationis periculum, in multos dies continuatum, creatur. Cynanche externa.

Externam quoque dicemus, diversam licet a priori, cynanchis speciem, quæ ex ossis hyoidis, aut Cynanche hyoidea.

appendicum ejus luxatione aliquoties petiisse originem, relata est.

Diversitas ex febre.

§. 175. Ratione febris, cynanche, tum illa faucium (§. 172.), tum quæ trachealis (§. 173.), ac parotidea (§. 174.) dicitur, diversissimam non raro adipiscitur naturam: ut indolem nunc inflammatoriam, nunc gastricam, nunc vero nervosam malignamque acquirat. Atqui cum nervosa febris (§§. 87. 88.) hunc morbum comitatur, tunc funestissima, quam *malignam*, *ulcerosam*, aut *gangræno*sam dixere, cynanche exoritur: sed cum vix non semper alius tunc morbus, imprimis *scarlatina*, subesse observetur; hinc ut *symptomaticam* fere ubique hanc cynanchis speciem esse censemus, eamque sub *scarlatinæ* consideratione potius contemplabimur. Hoc interim reticendum hic non erit: non solam *faucium cynanchen*, sed & *trachealem* non raro cum gangrænosa exulceratione incedere, & ex eadem fere origine pendentem, iisdem subsidiis esse tractandam.

Cynanche maligna.

Causæ.

§. 176. Cynanchis causæ, pro varia ejusdem natura, vel primaria, vel secundaria, deinde pro diversa febris, quæ illam comitatur, indole, differunt; nec tamen ab illis, quæ cæterarum partium inflammationes inducunt, distare observantur. Frequentius hic morbus, ob ignotam anni constitutionem, populariter grassatur; sed sporadicæ cynanchis rationes non raro sub oculis cadunt. Ad obvias magis ejusdem causas refrigerium pertinet: ex quo nempe hic morbus vernali, ac autumnali potissimum tempore comparet. Vidimus post peripneumonias hiemales, easque rheumaticas, moderato morbi impetu, ac sede inflammationis sublimiori loco ascendente, cynanches successisse. Sed quovis fere anni tempore, vel ex frigore

sudanti corpori incautius admisso, vel ex speciali faucium frigidiori afflatu, a vehementi & adversis ventis instituta ex equo aut rheda vectione, ex subita hypocausti cum atmosphæra frigida, post oratorias exercitationes, post cantum, clamores, tubarum tractationem, mutatione, ex improvida colli sudantis denudatione, ex potu frigido, glaciali, æstuanti gulæ ingesto &c., cynanche originem trahit. Huc spectant acria diversa, imprimis morbillosum, variolosum, scarlatinum, erysipelaceum, venereum; ut rheumaticum, scrophulosum, ulcerosum, aphthosum, quæ faucibus magis infesta, cynanchen sæpissime, utplurimum symptomaticam, producunt. Huc & alia revocanda erunt: ut corpora peregrina, sub deglutitione faucibus impacta, mercurialium usus, creber vomitus, quicunque tumor faucibus vel intrinsecus, vel extrinsecus adnatus. Cynanche jam sæpius, per suppurationem imprimis, devicta, sub quavis levissima occasione facillime revertitur. Anginam ex vertebrarum colli in junioribus ad anteriora luxatione, recentiorum vix confirmavit industria; & majora certe, quam cynanche, abhinc exspectanda videntur infortunia. Quid causarum actionem in hanc magis, quam in illam juguli partem dirigat, ignorâmus; sed peculiaris certe ex hoc annuæ constitutionis comparet natura: quod, quæ sub eadem fere tempestatis conditione hoc anno faucium imprimis cynanchen causæ inducunt, in alio, tracheæ magis, aut glandulis ad collum positis, atque testibus tunc, & mulierum mammis potissimum insidientur. Nec magis patet, cur cynanche trachealis, infantili magis, quam alteri ætati sit propria; nec infantum vagitus hujus phœnomeni rationem reddere videntur. Ex purpura in icterico per frigus retropulsa, trachealem observavimus cynanchen; ac quæcumque similis ad laryn-

gem tracheamque facta depositio, inflammationem hic loci excitabit. Ex peripneumonia cynánchen oriri, atque bronchiorum inflammationem per totam tracheam in cadaveribus extensam conspeximus frequenter, nec difficilior tracheitidis in peripneumoniam est transitus. Latens in pulmonibus ulcus vix non in omnibus sub vitæ termino fauces inflammare, vocemque extinguere observatur. Quotiescunque cynanche aut laryngea, aut faucium, *nervosa* cum febre epidemice incedit, latentis contagii non iniqua nascitur suspicio. Ipsa interdum *pestis*, cum glandularum tumores ad faciem ac jugulum, aut fœtidiora faucium ulcera, qualia in Atheniensium peste observabantur, eandem potissimum comitantur, ad cynanchis speciem malignissimam pertinere videtur. Sæpius vero in primis viis illud, quod fauces incendit, latere, multiplici experientia confirmatum habetur.

Prognosis. §. 177. Cynanchis pericula ex febris natura, & ex ipsa, quam inflammatio tenet, sede, tum ex causarum differentia, pétenda sunt. Cynanche faucium, consuetum inflammationum cæterarum absolvit ordinem, ac sæpe resolvitur; frequentius vero in illis, qui jam aliquoties suppurationem hic loci experti sunt, suppuratur; rarius, nisi scrophulosum insimul vitium accedat, in tonsillarum scirrhum, aut œsophagi superioris angustationem ac indurationem convertitur; rarissime vero, nisi malignæ accesserit febris complicatio, in gangrænam, sed in suffocationem potius ægrotantis terminatur. Facilis cynanchis in alium morbum, ut in peripneumoniam, aut in encephalitidem, conversio dicitur; quin hoc ipsum, nisi de *erysipelacea* natura morbus participaverit, ex propriis compertum haberemus observationibus. Quæ catarrhalis est, illa, licet longior, facilius tamen

solvitur cynanche. Cum in suppurationem transitura est faucium cynanche, dolor fit intensior & pungens: tandem, ubi tumor ad summum gradum ascenderit, hic dolor, jam facta suppuratione, imminuitur, atque versus sextum, vel septimum ægritudinis diem, vel sponte, sub somno interdum, abscessus; rumpitur; vel ad aperiendum maturus observatur. Quæ ad *pharyngem* est inflammatio, ea, nisi ad alias partes extendatur, longa quidem, sed tam periculosa non est. In suppurationem vero conversa, ob tenuitatem musculorum, imprimis si *venereum* virus subfuerit, vertebrarum facillime cariem producit. Quæ vero linguam simul afficit; aut sine tumore exterius conspicuo, laryngem aut tracheam cum respiratione parva, erecta, dolente, ac magna anxietate aggreditur affectio: illa cum summo vitæ conjungitur periculo. Hinc in *cynanche laryngea* ad gangrænam vix iterum tempus conceditur, nisi erysipelacea lateat inflammatio: sed suffocatio promptissime ægrotantem interimit. Sub feliciori hujus morbi exitu, puriformia ac sanguinolenta sputa cum membranarum frustis, copiosa, cum sudore ac urinis ubertim manantibus rejiciuntur; aut vomicæ species pulmonem occupasse visa, quæ cum longa, & fere purulenta expectoratione feliciter dispersa fuit. Visi sunt, qui hoc ex morbo jam secundo, aut quarto die obierint; interdum ad octavum, & ultra protrahitur affectio. Rarius ab hoc morbo tracheæ angustatio, aut obductio membranosa insequitur, perpetuæ dyspnœæ causa. Talem ab externo herpete juguli super tracheam internam deposito, cum respiratione, sub minimo fere motu clangosa & stridente, observavimus. Interdum vero, abscessu in aspera arteria relicto, *trachealis*, a pulmonali bene distinguenda, inducitur *phthisis*. Vix periculosa est cynanche, quæ a causis non malignis, ex glan-

dularum maxillarium, parotidum, aut lymphaticarum tumore producitur. Summa vero malignam quamvis aut gangrænosam cynanchen pericula, sub *scarlatinæ* imprimis consideratione ulterius exponenda, premunt.

Cura. §. 178. Cynanchis cura iisdem fere, ac aliarum inflammationum medela, submittitur regulis: atque eum causæ, epidemicæ constitutionis, febrisque naturæ, tum denique subjecti, ac temporis, quo morbus duravit, considerationem sibi exposcit. Resolutionem quidem ab initio morbi solerter tentamus; sed in tonsillarum inflammatione, peracto jam quarto, aut quinto morbi die, vel si jam sæpius hunc ipsum cum suppuratione perpessus fuerit ægrotans, rarissime obtinebitur illa. Venæsectionum generalium repetendarum paucis in casibus tam sæpe, ac alibi necessitas observatur. Post has vero, localis vasorum depletio præcipue indicatur. Raninas hic venas incidere docuerunt antiqui: sed incommoda satis hoc in malo, nec periculo destituta operatio videtur. Venam alii jugularem aperire jubent: quæ quidem, si absque fasciarum ad jugulum applicatione suscipiatur, in graviori casu subsidium offert; interim duodecim fere hirudinum collo appositarum actio huic ipsi vix multum cedit auxilio. Si tamen ex abdominis saburris inflammatio dolorque faucium potissimum pendere videatur: tunc, absente quidem cruoris abundantia, emeticum, aut emeto-catharcticum medicamentum sæpissime juvisse conspeximus; in casu plethoricæ *complicationis*, aperta prius vena, sine affluxus sub vomendo ad fauces majoris timore, ad emesin pervenimus.

Cynanchis faucium.

Si catarrhalis faucium videatur affectio, nec febris urgeat, tunc sanguis non facile mittendus est; sed sæpe vesicans ad nucham positum, ac colutoria quid-

quam adstringentia (N. XXII.), tum haustus salinus cum nitro, ac unico tartari emetici granulo, potusque tepidus ex infuso sambuci & melle paratus, egregie conducunt.

In fortiori faucium inflammatione cavendum est, ne salinis facile, ac irritantibus medicamentis, aut potu frigido gulam stimulemus: hinc medicamenta per anum potius frequenter sunt injicienda. Interim tamen blandiora per alvum evacuantia egregie conducunt, & siccíores tensæque fauces tum frequenti balneo ex decocto malvæ, cum melle, ac nitri parva portione, vel ex lacte tepido, cum ficubus cocto, fovendæ; tum vapore ex aqua, cum aceti pauca quantitate, spongia suscepta, hauriendo, continuo relaxandæ; tum linctu ex cydoniorum seminum, aut gummi arabici diluta mucilagine, ac melle (N. XXIII.) demulcendæ sunt. *Injectio* in fauces, nisi tenacissima pituita eandem sibi expetat, ac nisi omnis insimul evitetur impetus, cum damno suscipitur. Nec *gargarizatio* sine majori partium irritatione ab ægrotis tentatur. Exterius quoque, sub mento, linimentum volatile (N. XXIV.), panno laneo abunde susceptum, aut emolliens ex lacte ac pane cataplasma, applicari potest. Si rheumaticam inflammatio habuerit indolem: detracto jam sanguine, vesicans jugulo applicitum eandem potenter aliquando dispellit.

Cum vero resolutionem cynanchis ob prædictas rationes non attingimus; superest, ut, imminuto jam faucium dolore, accedente horroris levioris, ac pulsationis in illis, quin febris in integrum cesset, sensatione, maturationem abscessus promptiorem, ac puris sine magna partium destructione evacuationem celeriter promoveamus. Rarius, sed interdum ad exteriora turgentem faucium dirigere licet abscessum; subinde vero hic ipse, totius fere gulæ cavum

occludens, angustias insignes, ac præfocationis adeo instantis minatur periculum. Hinc in balneo vaporis, ac in emollientium externorum usu perseverare; venæsectionem vero, nisi major adhucdum inflammatio ac respirandi difficultas hanc exigat, evitare oportet. Si albicantis jam, ac fluctuantis abscessus ruptura citius obtineri non queat, tunc hic idem lanceolæ auxilio aperiendus est promptius; nec unquam, nobis quidem, hac in cynanchis specie, ob imminentem suffocationem, ad *Bronchiotomiæ* operationem (§. 166.) recurrendum fuit.

Cynanchis laryngeæ.

§. 179. In *Cynanche laryngea* (§. 173.), & in *tracheæ inflammationibus*, sub maximis quidem vitæ periculis, sæpius arti non nisi pauca curationis conceduntur momenta. Ubi manifestus est hujus morbi character inflammatorius (§. 175.), tunc in citissima jugularis, alterius venæsectionis, sæpius repetitæ administratione, ac in scarificatæ cucurbitulæ, laryngi ipsi, vel inflammatæ tracheæ regioni superimpositæ, aut in duodecim fere hirudinum huic ipsi loco solicita satis applicatione, potissima quærenda sunt auxilia. Infantes quidem, huic morbo præ aliis subjecti, tam largas venæsectiones vix perferunt; sed adæquata eorundem ætati venæsectio, aut hirudinum usus, non minus in illis requiruntur. Præterea nec pediluviorum, nec clysmatum frequentiorum, nec vaporum ex aqua frequentius inspirandorum, nec vesicantis post venæsectiones laryngi, tracheæ applicandi, beneficio renunciandum est. Imminentem ex purulenti humoris ad laryngem collectione suffocationem, post venæsectionis administrationem; interdum dissipavit *emeticum*.

Interim celandum hic non est, methodum quam hucusque proposuimus, antiphlogisticam, non in qua-

vis, licet minime maligna, cynanchis laryngeæ epidemia semper conduxisse. Hinc in spasmo magis causam hujus morbi quæsiverunt alii (§. 173.), ac ad ipsum denique mercurium, vix æquali tamen felicitate, ita confugerunt, ut, omissis fere in totum venæsectionibus, infantibus, etiam non ultra duos annos natis, *calomelas* grana quinque, vel sex, bis aut ter in die, aut omni trihorio, grana tria, donec quindecim mercurii grana devorassent, porrigerent: aut mercuriale unguentum vel ipsi (quo non penetrabit) laryngi illinirent.

Cum, ob summam vel in larynge ipsa, vel in superiori tracheæ parte inflammationem suffocatio instare videtur: tunc *bronchiotomiæ* operatio, ut anceps quidem, sed unicum in his angustiis auxilium, instituenda est.

§. 180. In *cynanche externa* (§. 174.) quæ ad glandulas colli, maxillæ, originem agnoscit, benignæ ut plurimum naturæ morbo, pro vehementia febris pulsusque ratione, una, vel altera venæsectio, interdum nulla, indicatur. Præterea linimentum volatile, aut sub majori tensione, cataplasma emolliens, tumori imponitur; ac evacuans salinum, posthinc vero haustus salinus cum vino antimoniali, aut cum refractis tartari emetici dosibus, nec non infusum sambuci cum nitro & oxymele, utiliter præscribuntur. Remedia repellentia, adstringentia, saturnina, quæ glandularum facile tumorem relinquunt, aut irritantem materiam in loca nobiliora conjiciunt, evitentur oportet. Cyn. parotid.

Quotiescunque vero aut ex istius, vel ex alterius cynanchis celeriori dissipatione, expansione, ægritudo, aliud ad viscus conversa, pericula vel auget, vel nova creat: tunc his ipsis, secundum regulas par-

tim jam traditas, partim alibi tradendas, succurrendum est.

Cyn. hyoid. Quæ species cynanchis ex hyoidei ossis luxatione pendet, chirurgicis ea auxiliis, ac repositione curatur.

Cyn. malignæ. §. 181. Si vero febris nervosæ, ac malignitatis symptomata quamcunque ex prædictis cynanchen comitentur (§. 175.): tunc methodus huic febri ac malignæ inflammationi adaptata (§§. 94. 95. 96. 97.), ac illa imprimis, quam in anginosa, sic dicta, & maligna scarlatina exponemus, requiritur.

Cyn. præserv. §. 182. Superato cynanchis cujusvis impetu; pro diversa febris, quæ eandem circumdederat, ratione, diversa reconvalescentibus remedia, & diæta conducunt. Habitualem & ex faucium laxitate ac irritabilitate pendentem cynanchen, collutorium ex aqua frigida, vel ex decocto corticis Peruviani, quercini, cum aluminis, interdum cum opii portione, avertit.

ORD. III.

INFLAMMATIONES PECTORALES.

GEN. I.

PERIPNEUMONIA PLEURITIS.

Significatio. §. 183. Viscera thoracis in cavo contenta inflammationibus p[illegible]sæpe corripiuntur; ac inter hæc, pulmones frequentius, quam alia, hoc morbo laborant. Sæpius dolores punctorii ad costas, variasque thoracis regiones, hos affectus comitantur: ob quos, pleuritidis his ipsis impositum nomen est; sed centeno-

rum inquisitio cadaverum nos docuit, quod jam a magni nominis scriptoribus animadversum fuit, in paucissimis, qui ex *pleuritide*, aut *pleuroperipneumonia* cum singulis aliis decubuerant, inflammationis sedem ad ipsam pleuram hæsisse; vix autem non omnibus, sine pleura, pulmones, non alio modo, quam quibus sola peripneumonia credebatur propria, inflammatos fuisse. Nec his paucis vel sola & sine pulmonum inflammatione pleura, quod ab aliis interdum observatum fuisse legitur, incensa fuit; sed cuivis inter illos hi ipsi quam maxime tumebant, et veram mortis causam non in superficiali, minusque lethali membranæ istius phlogosi, sed in ipso hoc spongioso respirationis organo latere testabantur. Est quidem commune cum costis circumjectum pulmonibus tegumentum: & hoc quidem sensu *pleuritidis* ad ipsam hujus visceris inflammationem extenderetur significatio; sed cum inter pulmonum inflammationem, quæ cum costarum dolore est, & inter illam, quæ sine hoc ipso incedit, in illis quidem nec minima subsistat differentia; nec exterior magis in *pleuritide* sic dicta, quam in *peripneumonia*, inflammatio observetur; nec bronchiorum frequentissime a nobis conspecta phlogosis in hac ultima sæpius, ac in illa, occurrat: clarum, ut opinamur, ac indubium prorsus est, nullam his morbis diversitatem intercedere, ac utramque unico sub *peripneumoniæ* nomine ægritudinem posse, ac debere pertractari. Ipse quidem thorax, vel ad musculos, vel ad membranas eidem insertas, dolores, ac inflammationes hinc inde experiri, suppurari, ac respirationis opus non parum præpediri potest; sed quemadmodum abdominalium musculorum ac peritonæi affectio, ab inflammatione viscerum hoc in cavo positorum; — sic et pulmonis inflammatio a thoracis ipsius, seu pleuræ affectione,

sub pleuritidis nomine (§. 186.) distinguenda est, & ratione tam symptomatum, quam periculi, differre observatur. Nec pulsuum, nec sputorum huic assertioni vel minimum contrariatur natura: cum & in simplicissima pulmonum inflammatione frequentius certe duras, quam molles arterias, ac sputa eo certius sine sanguine, ac fere nulla inveniamus, quo vehementior in pulmonum parenchymate inflammatio viguerit.

Definitio. §. 184. Est igitur *peripneumonia* febris, cum respiratione difficili, cum sensu vel ponderis, vel doloris in pectore fixi, gravioris, ac cum tussi sub majori inspiratione mox redeunte, hæc symptomata quamplurimum exacerbante.

Divisio. §. 185. Cum ideo & thorax interdum inflammetur, & respirationem utique difficiliorem reddere queat; juvabit, præter veram peripneumoniam (§§. 183. 184.), illius quoque inflammatoriam affectionem sub *pleuritidis* nomine retinere: quo nos quidem eundem morbum intelligimus, quem alii scriptores sub *pleuritidis spuriæ* seu *nothæ* appellatione intellexerunt. Sic & pulmones interdum morbo, periculoso quidem, sed tamen a *peripneumonia vera* diverso, quam *nothan* appellamus, corripiuntur. Alias vero nec ad pulmones, nec ad pleuram ægritudinis causa residere, sed ex alio loco pendere observatur: quos affectus tum *peripneumoniam*, tum *pleuritidem consensualem* vocare sueverunt. Omnes vero hi morbi, ratione febris, variam atque tum *gastricam*, tum *nervosam*, seu *malignam* assumere naturam queunt; atque nunc *sporadici*, nunc vero *epidemico* grassari more, ac interdum, quod copiosius hoc ipso anno conspeximus, *periodicam* ostendere indolem observantur.

§. 186. Varius symptomatum in peripneumonia *vera*, hiemali sub frigore longe frequentiori, nec tamen sub fervidissima æstate exulante, ingressus est. Nunc enim dolor acutus in pectore, cum lassitudine, anorexia præcedit; nunc horror, aut rigor, nunc solus calor scenam aperit, ac citius, vel tardius cum dolore, aut ponderis tensivi super pectore sensu sociantur. Utplurimum horrorem sequitur æstus major, ac fere continuus, moxque vel acutissimus pungensque dolor quamcunque thoracis regionem, frequentius lateralem, mediam, invadit, ac ad claviculam, scapulamque sæpe extenditur; aut insignis ad sternum constrictio, oppressio, angustia, plenitudinis sensus, anxietas accedunt. Hinc respirationis profundioris difficultas, & incommodus vel in hoc, vel in aliud latus decubitus, utplurimum in dorsum, altiorique loco facilior, anhelatio frequens ac parva, cum tussi difficili, frequente, expectoratione aut spumosa & viscida, aut sanguine mox tincta, interdum protinus sanguinea, aut flava & viridescente, aut demum, in ferociori morbo, nulla, & singulorum sub tussi symptomatum augmento. Interea pulsus utplurimum durus, fortis, plenus ac frequens; interdum mollis, hinc inde intermittens, aut & parvus, contractus; in aliis frequentia naturalem vix multum superans, aut etiam tardior. Cordis interim, sub quovis arteriarum statu, vibratio magna, & multus in præcordiis ardor ac æstus percipitur. Sanguis, ab initio morbi emissus, naturali fere conspicitur similis; qui paulo tardius educitur, hic *corio* denso, flavescente, ac tenaci, quod *pleuriticum* vocant, utplurimum obtegitur. Facies in multis est rubra, subtumida, interdum fere livida; sed in pluribus pallida & collapsa observatur. Sudor non raro multus, viscidusque ad faciem, jugulum, ac pectus

Symptomata.

exprimitur, inutilis; cætera corporis intense calent & siccescunt, lingua aridissima, cum siti intensa, ac laboriosa deglutitione. Aerem exspiratum *calidiorem* hic esse, vix non omnes asseruerunt; sed in plurimis, hoc ad signum attenti, non invenimus idem, plurimusque ex ipsius Medici manu nunc frigida, nunc calida, & ex celeritate, qua aer respirando renovatur, errori locus est. Omnes vero, qui hoc morbo decumbunt, dum sermocinantur, brevia, & anhelationibus intersecta verba proferunt. Utplurimum quidem in latus, quo dolent, facilius decumbunt; sed frequenter satis contrarium, ex rationibus non semper claris, contingit. Alvus interea, nisi liquida ac copiosa, in multis est obstructa; urinæ utplurimum jumentosæ; ac singulorum symptomatum manifesta ad noctem, cum pervigiliis, aut deliriis, exacerbatio.

Per asperrimam vero tussim non modo vomitus biliosus in multis succedit, sed & maximus non raro signorum gastricorum apparatus sub violento morbi progressu observatur; quin tamen istorum aliud, quam in ventriculi cum inflammato viscere consensu, fundamentum existat. Hinc toties, hac a larva seducti, lethale ægrotantibus emeticum præscripsere Medici, totiesque prudentiori sub cura, per solas venæsectiones hæc symptomata non minus, quam frequens in peripneumoniis diarrhœa, dissipantur. Maximam in lethalibus peripneumoniis vasorum abdominalium, hepatis imprimis, repletionem frequenter deteximus; ut ex quacunque in hoc ipsum facta incisione, copiosus mox sanguis proflueret, ac mesenterium, ac intestina, vasa undique cruore distenta exhiberent: ex qua locali abdominis plethora, quamplurima ad ventriculum ac intestina hoc in morbo abunde explicantur symptomata.

Sed magnus interdum hypochondriorum tumor, dolensque tensio observatur, nec non gravis aliquando, sub quavis fortiori inspiratione, abdominis dolor, exspirando moderatus, nobis comparuit; quem iterum tum ex hac ipsa vasorum repletione, tum vero ex inflammati pulmonis cum diaphragmate cohæsione, hujusque in abdomen repetito descensu, sectionibus cadaverum reperimus illustratum. Non raro ad diaphragmatis arcum, cui hepar subjicitur, inferior dextri pulmonis lobus cum hoc septo connascitur, atque tum huic ipsi, tum vicino hepati inflammationem, doloremque communicat: sub qua, in suppurationem aliquando conversa, purulentam ex pectore materiam in abdominis cavum depluisse, ac purulentum istius hydropem constituisse, aliquoties deteximus (§. 249).

In tantum vero tumorem inflammatus pulmo aliquando effertur, ut in eodem, thoracis cavo vix non ampliori, costarum frequentius vestigia, formamque albescente ex flavo materia delineatam, ostenderimus: quod in dextro imprimis thorace, per hepatis, interdum prægrandis, & ad quartam, tertiamve, ex veris, costam apud multos in pectus ascendentis volumen adauctum non raro contingit. Hinc facilis est tensionis ad hypochondria, imprimis ad dextrum, multorumque symptomatum ad hepar, & ad ventriculum explicatio. Interim non tam perfecte semper dolor cum inflammati pulmonis loco respondet: ut non in alia longe parte illa, sub vita; in alia iste, post mortem, detegantur. In sinistro adeo thorace dolorem, in dextro vero pulmonem inflammatum fuisse, compertum habetur. Discissa pulmonis inflammati substantia, copiosam in cellularem hujus visceris tunicam crassioris ac subsanguineæ lymphæ transudationem ostendit: qua cocti fere hepatis duritiem parenchyma pulmonur adquirit, & ex spongiosa, aeri-

que pervia substantia, compressis ac obliteratis fere bronchiis, in ponderosum, solidumque corpus convertitur. Frequentior nobis, ex copiosis certe cadaveribus, posterioris ac lateralis pulmonum portionis inflammatio comparuit; cum anterior, ac sub sterno posita eorundem compages, ab incendio libera, vix non sola pro respirationis ac circulationis sufficere debuerit opere, ac ponderis hic loci utplurimum prementis non minus, quam prædilecti in dorsum decubitus, docuerit originem. Ipsorum interim bronchiorum inflammationem vix non in omnibus, quibus pulmo sic laboraverat, deteximus; plurimumque spumosi, vel sanguinei, ac purulenti humoris, qualis sub morbo per tussim ejiciebatur, continebant ubique. Cæterum in sinistro non frequentius, quam in dextro pulmone inflammationem contigisse, nec ex una, quam ex altera pericula majora fuisse, nobis visum est. Frequentius forte superiores pulmonum lobos inflammatos deteximus: cum tamen dolor vel sub clavicula, vel post scapulas sat raro afflixisset. Singulos non modo pulmonum lobos inter se ipsos, sed & cum pericardio, cumque universa pleuræ extensione, lymphæ coagulabilis ope, concretos sæpissime, & non raro pulmonem totum pseudomembrana inclusum, cum aliis, deteximus; ac aliquoties in novissima ac tremula fere adhucdum membrana, innumera, quinque vel sex dierum spatio generata vascula Auditoribus, quod iterum alii ante nos jam fecerant, ostendimus. Hunc saccum inter ac pulmonem, non raro plurimum purulentæ colligitur materiæ: quæ primo quidem intuitu abscessum pulmonis amplissimum mentitur; sed attentius ab hoc ipso abstersa, visceris superficiem intactam prorsus ostendit. Sed cum densissima sic lympha in pulmonum parenchymate, ac circa hæc organa colligitur; in

plurimis certe peripneumonia defunctorum thoracibus, serosi, ac nunc purulenta materia, nunc sanguine commixti liquoris quantitatem conspicuam, interdum ad octo, vel decem librarum pondus ascendentem, invenimus: quæ extravasati copia liquidi non semper quidem cum præsenti inflammationis vestigio correspondit, ac ob citam hæc in loca depositionem, in viventibus *hydropis acuti* (§. 131.), seu *inflammatorii* nobis speciem obtulit: sub qua, inflammationis symptomata quamplurimum quidem imminuta, compressionis vero ac suffocationis repentinæ effectus lethales, præeunte utplurimum brachii ejusdem lateris torpore, aut hujus, ac dorsalis regionis œdemate, comparuerunt.

Atqui ex his singulis, symptomatum hoc in morbo ad pectus urgentium natura, ac singularis anxietas, cordisque vibratio intelligitur satis. Nec tamen desunt & alia truculentæ affectionis phœnomena, quæ ex insigni circulationis impedimento, ac sanguinis ad caput collectione, tum ex affecto nervorum systemate non obscure derivantur: summus nempe capitis dolor, oculorum splendor, rubor, prominentia; linguæ tumor, deliria, vel coma somnolentum ac stupor: quæ singula, ingravescente in dies ac in aliam, aliamque thoracis partem converso morbo, pedetentim accedunt; donec, sub pejori rerum statu, ad septimum circiter, vel circa nonum, undecimumque diem, aliquando citius, aut tardius, fatalis in thorace stertor, faucium inflammatio cum voce extincta, extremitatum frigus, pulsusque inæquales, intermittentes, exiles, ac sudores glutinosi, viscidi, frigidique, vicinam mortem præsagiant.

Atque hæc fere funestioris morbi symptomata concernunt. Alias vero, vel ab ipsa natura felix per nares excitatur hæmorrhagia; vel sub recta morbi cu-

ratione, sputorum puriformium, ac cum sanguinis striis remixtorum augetur copia, & expectorandi facilitas : a qua dyspnœæ ac doloris imminuuntur incommoda, & febris ipsius moderatur impetus. Minime tamen rarum est, per sputa morbum nequaquam solvi; ac in utroque casu, versus septimum, nonum, undecimum, decimumquartum, aut alium, certe sine pejori rerum omine, his intermedio morbi die, sudor profusus, æqualis, ac vaporosus per universum corpus emanat; ac simul urinæ copiosum, leve, ac puriforme sedimentum deponunt. Interdum, sine sputis iterum, per urinas, sedimento quidem destitutas, sed copiosissimas, ac ad duodecim, pluresque libras in die emissas, peripneumoniam, imprimis rheumaticam, dissipari observavimus.

Quamvis autem enarrata hucusque symptomata, pulmonis inflammationem frequentissime, vel ex parte, vel omnia comitentur: est tamen, ubi & in thoracis cavo *occulta* viscerum *inflammatio* latuit, cui signa, cum viveret ægrotans, defuere quidem; sed ubi dira inflammatio, vel facta jam pulmonis suppuratio, post mortem demum in conspectum venerunt. Eadem in pluribus accidisse *vaccis* observavimus : quas, cum epidemica, summeque lethalis has bestias prosequeretur peripneumonia, vel cum saniores apparerent, experimenti causa mactatas, cum duro ac inflammato pulmone secuimus. Sæpius interim Medicorum potius, quam signorum deficientium culpa, peripneumoniæ prætervidentur, ut, sub catarrhalis imagine febris, latens in pulmonibus phlogosis in funestas hoc viscus suppurationes in non paucis ægrotantibus conjecerit.

Pleuritis. §. 187. Musculorum pectoralium, intercostalium, ac membranæ thoracem ambientis, dividentis, phlo-

gosin ac dolorem, sub inspiratione profunda auctum, cum febre ac levi dyspnœa, *pleuritidem* vocamus. (§. 184.). Morbus hic a pulmonum inflammatione distinctus, ac, nisi cum hac ipsa complicetur (quo in casu, vix unquam determinando, *pleuroperipneumoniæ* nomen assumit), thoracici utplurimum rheumatismi imaginem refert. Ipsam quidem pleuram tum alii, tum nos ipsi (§. 183.) inflammatione in cadaveribus ostendimus correptam: ac licet talia sine ullo ad pectus dolore pungente aliquando nobis obvenerint; hoc tamen non impedit, quin sensibilem utplurimum, dum inflammatur, *pleuræ* agnoscamus naturam. Rarius interim hoc fieri, quam ut communissimi morbi, qualis pulmonum est inflammatio, reddere rationem queat, jam dictum est: sed cum id ipsum contingit, vel cum musculi thoracem investientes hoc modo afficiuntur, perpauca aut nulla etiam tussis eaque sicca, & brevis excitatur. Febris, nisi major, ac phlegmonosa hic adsit inflammatio, vix magna; pulsus interim interdum durus ac frequens; oppressio pectoris ac angustia, quam in peripneumonia, longe minor est; & respiratio, nisi profunda, vix difficilis observatur. In partem dolentem, quæ & ab attactu offenditur, ægrotantes tamen facilius decumbunt; nec erectam adeo, quam in pulmonum morbo, positionem requirunt; quid quod, cum ad dorsi vertebras, *dorsalis* ut vocant *pleuritis* urgeat, in erecto corpus situ tenere sine majori ad spinam dolore non possit. Urinam *sanguineam*, quam hac in pleuritidis specie animadversam legimus, conspeximus nunquam; atque renum magis, quam thoracis tunc subfuisse suspicamur inflammationem. Volubilis est a parte ad partem hæc morbi species, atque illis imprimis observatur propria, qui rheumaticis, arthriticis, aut scorbuticis demum af-

fectibus, præ aliis subjiciuntur. Utplurimum per sudores leves, tempore sat brevi, terminatur hic morbus; interdum vero chronicus fere per multos annos divexat; alias vero inter musculos, qui costis interseruntur, abscessum, neglectus, ac costarum subinde cariem inducere visus est. Inter pleuram ipsam, atque intercostales musculos purulenta materies visa est saccum excitasse prægrandem, ac in thoracis cavum prominentem: unde pulmonum compressio, dyspnœa, facilisque in illud ipsum depletio intelligitur. Interdum sub sterno, vel ad mediastinum facta inflammatio, suppuratio, similes, nisi vehementiores, effectus producit.

Peripn. notha. §. 188. *Peripneumonia notha*, fortior nobis *bronchiorum catarrhus* est: quo, in pituitosis, obesis, senibus, cachecticis, laxisque hominibus, frigida & humida sub tempestate, ab accedente membranæ mucosæ hos canales investientis irritatione, copiosior tenaxque pituita celeriori passu secreta, bronchiorum fines opplendo, suffocationem sat cito minitatur; quin ob dolorem, aut ob primariam inflammationem spiritus præcludatur. Febris etenim, si ulla, parva hic est, & ex aliis magis, quam ex pulsu, ac calore internoscitur. Docent vero illam peracutus capitis, sub tussi auctus, dolor, vertigines, lassitudo, urinæ turbidæ, ac celerior morbi sub fine progressus: sub quo & ipsæ interdum arteriæ, alias naturalibus vix non æquales, celeriores, nunc inæquales, ac debiles, cum anxietate præcordiorum, & pectoris magna oppressione, comparent. Sitis interea perpauca est, ac potus per vomitum regurgitatio frequens. Viscidissima in pulmone materies sub tussi, quæ nunc impetuosa, nunc pauca est, stertorem excitat; ac antequam de periculo, in morbo, lentiori ac fallaci

nonnunquam passu incedente, adstantibus constet, fatalis non raro, præcipitis interdum affectionis, exitus, non sine accedente, ut videtur, peripneumoniæ veræ symptomate, observatur.

§. 189. Quemadmodum de cynanche (§. 176.) aliisque inflammationibus dictum est, sordes in primis viis collectas, earundem non raro fomitem offerre; sic & thoracis non modo pungentes dolores, sed quævis peripneumoniæ symptomata hoc ex fonte impuro frequenter, ac interdum sub epidemico influxu, propullulant. Facilis quidem hoc in judicio error subrepit (§. 186.), ac frequentius certe inflammationis cum gastrico apparatu complicatio hic occurrit, quam quod ex solis in abdomine saburris ad tam insignem pectus consensum provocetur; interim nec hoc ipsum aliquando deest; atque tussis, dyspnœa, anxietas, dolorque pectoris cum febre conjuncta, non aliam subinde, nisi abdominalem, & ex bile, saburra, vermibusque corruptis, agnoscunt originem. Ex solis interdum flatibus, apud hypochondriacos, hystericas, per spasmum intestinis incarceratos, acutissimus ad costas, scapulasve dolor, ac frequens a vermibus vel tussis, vel pungens in pectore sensatio excitatur. Plures epidemiæ tum aliis, tum nobis ipsis occurrerunt, in quibus manifesta quidem inflammati pulmonis signa, sed constans insimul gastricorum symptomatum series, urgebant; ac in quibus lautior sanguinis ac repetita sæpius detractio, insignes ægrotantibus noxas; — porrecta vero, post unam, alteramve cruoris emissionem, tum emetica, tum purgantia, salutem citissime attulerunt. Male quidem ex *flavo* aut viridescente sputorum colore, mox ad biliosam peripneumoniæ concluditur naturam; nec omne, quod flavum est, mox de bile testari di-

Per. et pleur. consensual.

catur! Sed cum, sub anni genio gastricis imprimis affectionibus favente, ac sub constanti satis apparatu signorum, quæ gastricam comitari febrem pernoscimus (§. 100.), nec non sub frequentiori observatione, ægrotantibus diversis tum vomitum spontaneum, tum diarrhœam biliosam sub simili rerum conditione conduxisse, peripneumoniæ occurrunt: tunc certe de *consensuali* ac *symptomatica* earundem origine dubium superesse non potest; ac repetitæ in multis venæsectionis effectus hoc judicium fatali nimis argumento comprobabunt.

Peripn. nervosa.

§. 190. Peripneumonias quandoque febris *nervosa* (§. 80.) comitatur, atque malignam earundem naturam, tum subjecti ipsius, & causæ specialis, tum epidemici imprimis characteris culpa, constituit. Tanta vero subinde hujus morbi apparuit atrocitas, ut vel ipsam *pestem* lethalitate æquaverit; nec raro, cum minor quidem epidemiæ furor esse videretur, magnam nihilominus in provinciis stragem edere consuevit. Incipit vero hæc labes cum extrema virium prostratione, facie pallida, tristi; morositate, timore, aliisque nervosæ febris tum *versatilis* (§. 87.), tum *stupidæ* (§. 88.) symptomatibus. Horror, cum calore intermixtus, præcedit: hunc sequitur magna respirandi difficultas, oppressio pectoris, & angustia cum tussi frequenti, laboriosa, ac vel sicca; vel pauca, serosa, tenuia, sanguinolenta, vel saniosa sputa efferente. Pulsus interea vel naturalibus vix frequentiores, vel celeres, parvi, inæquales, ac valde mutabiles observantur. Erectos quidem sedere, extrema jubet respirandi impotentia; sed vires desunt, facilisque sub hac positione lipothymia succedit. Atrox simul capitis, ad occiput imprimis, dolor urget; ac sub magna vertigine, delirium tacitum,

aut ferox frequenter huic ipsi adjungitur. Sed, jam ante febris accessum, vel repente cum illa, maximus non raro ipsum thoracem, pungensque admodum, vix attactum ferens, animamque fere supprimens dolor, cum vomitu bilioso, ac herbaceo, adoritur; ac perpetuæ vigiliæ, aut sopores comatosi, linguæ siccitas, ariditas, tremoresque ac subsultus tendinum, singultus, urinæ turbidæ, aut aquosæ, aut subnigræ, sanguinolentæ, lixiviosæ, furfuraceæ; vel sudores glutinosi, copiosi, cum petechiis lividis, subnigris; aut miliaris eruptio; aut demum hæmorrhagiæ per nares, alvum, aliasque vias copiosæ, atque ægrotantibus funestæ observantur. Interdum dolor fugax ægrotantem quidem deserere videtur, nec tanta respirationis difficultas urget; sed ingens sitis, lipothymiæ, aphthæ, cavum oris exedentes, eundem circumdant. Emissus hoc in morbo sanguis, cohærentia utplurimum destituitur; ac dissolutus, in crassamentum nequaquam coit. Vidimus tamen & hoc in morbo corium durum, sed sanguinolentum, obtegisse cruorem. Sub funesti morbi fine tum stertor lethalis, tum lethargicus fere sopor, ac interdum convulsio, cum extremitatum frigore, pulsuque exilissimo, scenam claudunt: in aliis, cum gastrica simul saburra ad abdomen latuerit, diarrhœa moderata symptomata infringit; aut abscessus in exterioribus felices comparent; aut circa labia quamplurima ulcuscula, vel ad cutem exanthema miliare, cum sudore multo ac olido, meliori sub omine, efflorescunt. Cadaver hoc a morbo apertum nobis obtulit pulmonem ad posteriora turgidum, ac sanguine infarctum, sed non durum; nec, ut in vera peripneumonia, gravem, aut sero, aut coagulabili lympha circumseptum.

§. 191. Nisi experientia doceret, peripneumoniam Peripn. periodica.

intermittentium interdum febrium subjugari familiæ (§. 185.), crederetur a nemine. Tantum vero istius in quoscunque morbos dominium exercetur (§. 22.): ut & acutissimum, de quo sermo est, pulmonum morbum, in partes suas rapuisse, tum aliis, tum nobis ipsis conspectum sit (§. 185.). Non quidem tam commune hoc esse noverimus: ut cuivis cum aliqua symptomatum remissione peripneumonico Peruvianum sine damno corticem porrigendum esse credamus; sed tamen frequentius peripneumonias graves, tertianæ typum cum ordine observantes attenta observatione prosecuti sumus, &, paucioribus longe, quam sibi alias exegissent, præmissis venæsectionibus, cum laudato febrifugo, tum cito, tum constanter curavimus. Sub ipso quidem insultu morbi, dyspnœa gravis, tussis cum dolore thoracis, pungente, ac sputis sanguine commixtis, febrisque acuta cum pulsu duro ac pleno, comparent: sed accedente post sat longum calorem sudore, potissima, quæ ad pectus urgebant, symptomata fugantur; ac sequitur minor pulsuum, plenorum licet, frequentia, calorque cutis moderatur. Sæpius nunc urinæ lateritium deponunt sedimentum, ac sat evidenti ægrotans fruitur quiete; donec eodem fere, quo prior invaserat, tempore, nova morbi exacerbatio, cum graviori pectoris insultu, inopinato superaccedat; eodem, quo dictum est, modo, per sudorem terminanda. Interdum tertianæ duplicis aut amphemerinæ species, manifestiorem alias remissionem obscurat; sed tamen hæc ipsa, cum nova accessione comparata, insigniorem mox, quam in communi peripneumonia solet, a tam miti rerum statu, in pejus mutationem sat clare ostendit; majorque febrium intermittentium, eodem tempore observandarum, numerus, de periodico præsentis charactere vix dubium relinquit.

§. 192. Peripneumoniam excitare queunt tum causæ inflammationum communes (§§. 118. 125.); tum vero præcipue illæ, quæ in organa respirationis evidentius agunt. Frequentissima certe ex omnibus est frigidioris auræ sub æstu majori, aut post longos sermones, post cantus, aut turbarum tractationem, post luctam, nixum, cursum, inspiratio, vel potus gelidi hoc sub statu ingurgitatio avida. Hinc non modo sub fortiori frigore ac septentrionali vento peripneumoniæ copiosius occurrunt; sed media quoque æstate ab incauto sub sudoribus potu frigidiori, vel ingesta glacie, hoc morbi genus non raro observatur. Ipsa transpirationis subitanea suppressio frequentius forte pulmones, quam alias partes inflammat. Sed & quævis externa pectoris læsio, costarum fractura, contusio, vulnus, tum pleuritidem, tum ipsam interdum peripneumoniam excitare potest. Huc & corpus peregrinum pulmonibus illapsum, irritansque vapor hoc viscere attractus subinde pertinebit. Rheumaticum vero imprimis, variolosum, morbillosum, erysipelatosum, scabiosum, ulcerosum acre, nec non aliud quodcunque, vel metastasis ad pulmonem, vel thoracem deposita, utrumque morbum frequenter progenerant: quæ causæ omnes fortius agunt in subjecta, quæ vel ob osseam compagem, vel ob hepar, aut lienem prægrandia, angusto thorace exstructa, vel jam pridem pectoris morbis, catarrhis frequentibus, aut & peripneumonia affecta erant; vel quæ speciali ad pulmones plethora, aut ex suppressa alia, laborant; aut demum quæ tuberculis refertum hoc viscus ferunt. Non infrequens cynanchis, trachealis imprimis, ad pulmones descensus est; frequentior vero in puerperali febre (§. 217.) inflammatio ex abdomine in pulmones dispergitur ipsos. Has vero causas omnes superat incognita atmosphæræ dispositio: sub qua, Causæ.

sine manifesta semper frigoris ratione, quamplurimi pulmones inflammari observantur. Qui fortiori ac robusta fibra donati sunt, illi frequentius, quam debiles; — adulti magis, quam infantes hoc a morbo invaduntur.

Ad *peripneumoniam notham* laxus pulmonum habitus, & quæcunque causa pulmonem stimulans, illa, quæ inflammationi producendæ par sit, forte minor, contribuere videtur.

Gastricæ peripneumoniæ causa vel ex ipso morbi nomine jam patet: sed quid *malignam* generet, id quod in genere de *nervosis febribus* jam fassi sumus, quam maxime ignoramus. Cachecticorum quidem, ac illorum, qui post longa & maritima itinera scorbuto laborant, in quoscunque graviores morborum exitus, dum febris accedit, dispositionem pernoscimus bene: sed quid epidemicam pectoris luem, eamque vel ipsi interdum pesti vicinam, producat; hoc inter multa, quæ nos latent, unum est.

Prognosis. §. 193. Vel ex ipsa jam morbi descriptione, viscerisque affecti conditione, peripneumoniæ pericula abunde nimis patent. Cum minori discrimine *Pleuritis*, si ad solum thoracem limitetur, incedere consuevit. Utriusque pulmonis inflammatio fortior inevitabilem vix non mortem inducit. Quæcunque vero mutationes in illis contingunt, eæ, in vera saltem peripneumonia, evidentiorem fere, quam quivis alter morbus, ordinem, ac tempora minus incerta observant. Febris vero, quæ hos morbos comitatur, natura & in istis quamplurimum decidit. Quo major interim spirandi difficultas, quo celerior, breviorque respiratio, quo magis exspirando in gutture gemunt; quo inflata magis, ac livida, quo pallidior facies; quo siccior tussis, aut quo viridiora sputa

sunt; quo major stupor, aut delirium quo intensius est; sudor quo glutinosior ac copiosus magis ad frontem, jugulum, ac pectus exprimitur; quo magis inquieti & anxii jactantur in lecto; quo fortior cordis vibratio observatur, & quo magis ægroti in se ipsos concidunt: eo major interitus timor premit. Stertor in pectore, sub morbi fine contingens, vix non ubique vicinam mortem prænunciat. Torpor brachii, cum manus ejusdem œdemate, graviorique dyspnœa, sub febre quamvis minori, lethalem in pectoris cavum effusionem significat.

Præter communes inflammationum exitus (§. 126.), funestissimum, propriumque peripneumonia per suffocationem habet terminum. De gangræna pulmonum rarissimis, quæ ipsimet nos vidimus, exemplis nobis constat. In pulmonis cum pleura simul inflammata concretione, hujus quidem cum illo comunicatam conspeximus gangrænam. Est tamen interdum quasi paralyticus pulmonum infarctorum status: sub quo, licet conclamato, dolor tamen omnis cessat, respiratio minus impedita videtur; ac pulsus aut revera plenior ac mollis, aut frequentissimus ac exilis cum frigore manuum, apparet. Pluries hoc in casu gratulantes affinibus Medicos, experientia non aliter edoctos, & post non multas horas funus deplorandum fuisse novimus. Cum sputis quidem peripneumoniæ non paucæ solvi observantur: sed majorem certe ægrotantium numerum, sine conspicua ex pulmonibus evacuatione, ac per solos sudores, cum urina purulentum & album sedimentum habente, judicatum esse novimus; atque multis sputa successisse ob cessantem in pulmonibus tensionem, non vero salutem per sputa rediisse, certi sumus. Quæ nempe in pulmonum parenchymate tenax & coagulabilis post mortem observatur materia, illa inflam-

mationis magis effectus, quam causa existit; ac licet cita illius in ægrotantibus rejectio respirationem sublevare observetur, ex erronea tamen opinione, ac si omnis in hac sputorum excretione, vel in expectorantium usu, curationis cardo versaretur, plurimorum hoc in morbo interitum derivamus. Quæcunque inflammationis impetum infringunt, ea tum extravasatæ in pulmonum cellulas coagulabilis serosæque materiæ per lymphatica vasa resorptionem, — tum ejusdem, in bronchiis stagnantis, ejectionem secundant: atque sic optimum in veris pulmonum inflammationibus *expectorans* remedium *venæsectio* prudenter administrata habenda est. Hinc tanta ex hæmorrhagia narium, vel alia, in morbi hujus principiis beneficia sunt. Per diarrhœam, quæ tam sæpe symptomatica hic est, vix alia, quam quæ cum gastricis saburris incedit, peripneumonia, vel pleuritis solvitur. Exanthemata, pustulæque urentes ad superficiem corporis depositæ, maxime vero erysipelas cum constantia ad cutem comparens, peripneumonias, imprimis malignas, interdum dissiparunt.

Paucos in peripneumonicis abscessus nos quidem conspeximus criticos. Ad aures tamen tum illi, tum sola interdum surditas, meliori comparuere indicio. In febrem intermittentem terminari hunc morbum, minus forte, quam in hac ipsa consistere, commune est. Punctorium ad latera thoracis dolorem disparere, ac ad scapulam, vel claviculas transferri, nisi minor hic sit, & respirandi simul difficultas decrescat, lætiorem ideo prognosin nequaquam constituit. Frequens jam plurimum mitigati morbi recidiva, præcedenti utplurimum gravior morbus, occurrit: quem interim, sub eadem, qua ille disparuit, cura persæpe sanavimus. Frequenter pulmonum cum pleura morbosa post peripneumonias adhæsio remanet; atque

cum dyspnœa subinde, hoc ex vitio non ubique derivanda, peripneumonias sequatur: hæc ipsa non raro vel ex ipso bronchiorum polyposo, sub arbusculorum forma per tussim interdum rejecto, infarctu; vel ex cellularum pulmonalium oppletione, & callosa quasi induratione derivanda est. *Tuberculorum* in pulmonibus progenies chronicam magis, quam inflammatoriam originem agnoscit.

Suppuratio.

§. 194. Pulmonum, et thoracis inflammationes, per *suppurationem* interdum terminantur. Nec tamen credendum ideo est, *verum* tam sæpe *abscessum* in illis, quam sectionum historiæ tradiderunt, detectum fuisse; sed multis, puriformis illa, sub fortiori visceris inflammatione inter pulmonum lobos, aut hos inter ac pleuram collecta materies, licet nulla substantiæ subfuisset erosio, pro *abscessu* imposuit (§. 128.). Ex hoc forsitan errore magni quondam Viri, alter ille, ac si post quartum fere peripneumoniæ fortioris diem solutio morbi ob incipientem jam pulmonum suppurationem exspectari vix posset, funestus in arte propullulavit error. Sæpissime certe, vel in violentiori peripneumonia, & undecimo, & decimo quarto morbi die, nobis præsentem adhuc inflammationem venæsectionibus omnem abigere licuit; nec dies est, quo has ipsas, cum indicari viderentur, cum fructu non adhibuerimus. Est interim, ubi sat cito in suppurationem inflammatio ruit; ac plures quidem, nec ab anteriori facile determinandæ, conditiones hunc ad exitum disponere magis videntur. Atqui tunc varia nobis tum futurum, tum factum jam abscessum sat frequenter, licet non ubique, signa indicant, quæ alibi (§. 128.) ex parte descripta habentur. In hoc quidem affectu si fortior partis inflammatio, & tussis sicca, & dyspnœa venæsectionibus longo non tempo-

re cedat; vel si cachectica ægrotantis constitutio blandiorem solutionis viam inire recuset; si tandem dolor quidem remittat, sed spirationis angustiæ febrisque sine sputis, aut sine puriformi in urinis sedimento, lentæ in modum, imprimis a pastu, & a motu auctæ, continuent; si horror levis cutem meridianis horis perstringat; si inutilis sudor tum caput, tum pectus inundet; si fortis interdum pungensque dolor pectus quasi transfigat: tunc de incepto jam suppurationis opere timendum est; licet & sub his rerum circumstantiis, imprimis sub rheumatico morbi principio, incussum nobis ab imminenti pulmonis abscessu metum, felici solutione non semel ablatum esse recordemur.

Jam factam hoc in viscere, aut ad thoracem, suppurationem docent tum signorum vix adductorum continuatio; tum frequentior pulsus, & vespertina febriculæ exacerbatio, horripilatio, genarum rubor, calorque ad volas manuum urens, respiratio frequens ac difficilis, œdema pedum: quæ singula post matutinos sudores remittunt; tum magna corporis sub majori ciborum appetitu, macies, continua sitis, ac certa, ad locum sæpe, quo dolor pridem vexaverat, gravitas, aut in illum, aut super alium decumbendi difficultas.

Vomica. §. 195. Sub his igitur rerum conditionibus aut pus verum, aut sanies, aut fœtidus ichor, in proprio cavo per substantiæ pulmonalis consumptionem nato, vel in abscessu, cui *vomicæ* nomen tribuitur, delitescit; & nunc minor, nunc major, vario pulmonum, pleuræ loco inhæret. Pro varia vomicæ amplitudine, ac pro vario febris, sub qua nascitur, gradu, lentior aut citior ejusdem maturatio contingit; ac pro diverso ejusdem situ, pro partium ab-

hinc compressarum numero ac dignitate, symptomata diversa nascuntur. Rumpitur autem maturitatem adepta vomica vel in bronchia, quorum rami ab initio clausi, dein vero inæquales ac laceri cum sacco purulento communicant; vel in pulmonum substantiam cellularem, inflammatione minus contractam; vel in cavum thoracis, quod interdum quasi vacuum, interdum vero per novam, ac sub morbo ipso generatam, cellulosam repletum est; vel in partes, cum quibus sub inflammatione pulmones concreverant; vel denique in bronchia & in dicta vix loca simul. Si in cavum bronchiorum rumpatur abscessus: tunc vel parva, ac per tracheam facile expellenda copia; — vel majori, quam quæ ejici queat, purulenta materia prorumpit: quo in ultimo casu, anxietas magna, vertigo, tremor, lipothymia, suffocationis metus, catarrhus suffocativus, suffocatio ipsa contingunt. Si in cellulosam pulmonis purulenta effundatur materia: tunc, præter auctam mox respirandi difficultatem, sequentur novæ quasi ad pulmones inflammationis symptomata. Si ad cavum thoracis puris evacuatio contingat: tunc, nisi cellulosa repletum sit illud, *empyematis* producentur symptomata. Si vero in partes cum vomica concretas viam sibi præparet materia: tunc mox ad pleuram hærens, abscessum istius inter costas referre videbitur; mox in pericardii cavum depleta, hydropis in eodem symptomata producet; mox per diaphragma ad hepar, lienem, ad cavum abdominis sibi viam aperiet; mox vero ad mediastini anterius, posterius cavum penetrans, propria cuivis loco phœnomena excitabit. Rarissimum est, purulentam ex vomica materiam resorptam vel ad aliam partem deponi, vel copiosa, ac purulenta urina excerni.

Empyema. §. 196. Puris autem inter pulmonem ac pleuram in cavo thoracis collectio vel in hoc ipso fluctuans, vel in cellulari tela pulmonem inter ac pleuram morbose subtensa, inæqualiter diffusa, *empyema* vocatur: cujus, post prægressa inflammationis, ac vomicæ signa, præsentiam, in primo casu, ex novæ quasi inflammationis symptomatibus, ac rupturæ perceptione, mox majorem pulmoni libertatem concessuris; ex tussi post breve iterum intervallum recrudescente; ex dyspnœa sub decubitu in partem sanam adaucta; ex fluctuationis interdum, cum in aliam partem corpus revolvitur, sensu; ex mutato ac pleniori subinde concussi pectoris sonitu, ex œdemate denique ad musculos dorsi, aut quadratum lumborum apparente, ac febris lentæ phœnomenis, auguramur. Nec facilis pulmonalis vomicæ cum pleura concretio, quominus purulenta ex illa materies in ipsum thoracis cavum evacuetur, impedit: vel enim profundius in pulmone latens vomica cum pleura forte, inflammata, non simul concrescit; vel hæc ipsa, inflammatione quamplurimum libera, cum pulmone nequaquam connectitur; vel apex modo vomicæ thoraci agglutinatur, & ex laterali illius ruptura pus libere in cavum pectoris prorumpit: quæ tamen singula ita sunt constituta, ut in thoracis paracentesi quam maxima semper, ne adhærens pleuræ pulmo lædatur, cautela adhibenda sit. Ubi major puris quantitas thoracis in cavo accumulatur: tunc pondere suo diaphragma, sub erecto corporis situ, versus abdomen propellens, hypochondrii non modo tumorem efficere, sed & costas in majorem hac in parte arcum elevare, vel ascitem aliquando mentiri potest. Sub sterno effusus humor purulentus, hoc ipsum aliquando aggressus est, cariemque hoc in osse produxit. Ad pleuram abscessu stagnans ichor, quem parvus

mollisque inter costas tumor, cutisque nonnunquam œdema prodit, similia patrasse, & nobis experientia compertum est. Sæpius vero, cum pus thorace contentum vel totam istius capacitatem replet, vel spissiorem obtinuit naturam, vel cellulosa susceptum hæret, tunc plurimæ empyematis diagnosin difficultates premunt.

§. 197. Singula hæc mala (§§. 193. 194. 195.) funestum sæpius peripneumoniæ in pulmonalem phthisin exitum determinant. Ipsa quidem pulmonis vomica in bronchiorum cava depleta, sub debito ægrotantis regimine, curationem nonnunquam admittit; vel per longos in aliis annos, ob callosam sacci naturam, vicinam visceris substantiam diutius intactam relinquit; sed frequens certe vomicarum in fœdum pulmonis ulcus conversio est: quam tandem infelix non minus, quam suppurata pulmonum tubercula, insequitur tabes. Suppur. prognosis.

§. 198. Præter communes curandæ inflammationis regulas (§. 133.) in tam exitiali facile morbo cum possibili celeritate administrandas, varia, quæ pulmones ipsos respiciunt, subsidia in usum mox trahenda veniunt. Peripn. infl. cura.

In vera igitur pulmonum inflammatione, sanguis illico, & ex amplo vulnere, brevibusque satis, ne prioris venæsectionis ante novam elidantur effectus, intervallis liberaliter mittendus est. Parum interest, quo demum ex brachio cruor mittatur; dummodo hic ipse cum impetu, sat multus, non tamen ad lipotymiam usque, prosiliat: quod ex venarum pedis sectione, minus hic proficua, difficulter obtinetur. Venæsectionum numerus, sanguinisque detrahendi quantitas violentiæ morbi, epidemiæ naturæ, tem-

pori, quo institui illæ cœperunt, temperamento, ætati, sexui, viribus, ac demum ipsi hujus auxilii effectui, correspondeant oportet. Paucæ sub ipso morbi principio institutæ venæsectiones non raro morbum promptissime divertunt: sed, plurimum jam infarcto pulmone, nisi plurimus sanguis audacter mittatur, certe vel mortis, vel non fere minus lethalis suppurationis exitus, pericula instant. Dyspnœæ, anhelationis, angustiæ, dolorisque; — non pulsus, hic potissimum habenda est ratio. Sæpe in morbi istius augmento, sub pulsu minori ac contracto, sub facie pallida, extremitatibus fere frigidis, ac apparente summa ægrotantis debilitate, magis quam sub contrariis rerum conditionibus, repetita celerique venæsectione indigemus; sæpe cum pulsu duro ac pleno, dolore ac respirandi difficultate dispulsis, venam non ultro aperimus. Nec sola doloris cessatio nos, ut a venæsectione abstineamus, si dyspnœa continuet, inducit. Similia & de animi deliquiis, nisi *vera* debilitas subsit, sed ex incendio principiique vitalis obsidione proveniat, dicenda sunt; ac plures, qui *sedentes* sanguinem sine lipothymia non patiebantur educi, in *horizontali* corporis *situ*, quam volebamus, cruoris quantitatem animose fundebant. Sanguinis quidem conditio emissi, factam de morbo diagnosin aliquatenus confirmat: sed quæcunque coloris, firmitatis, ac crustæ pleuriticæ indicia sint; hæc ipsa venæsectionis per alia jam satis indicatæ necessitatem non imminuunt. Sæpius primum hoc in morbo detractum cruorem nec fere coagulari quidem conspeximus, cum tertia vel quarta venæsectio tenacissimum super firmo densoque sanguine corium ostenderet illico; neque hoc ipsum, licet densissimum, repetendæ operationis sat firmum largitur argumentum. Sæpe vero dolor febrisque a prima ve-

næsectione augeri potius, quam imminui videntur: quæ tamen a repetito frequentius auxilio subsidium majus habebunt. Frequens hoc in morbo pulsus, licet pleni, ac durioris, intermissio observatur: quæ tamen ab ipsa sanguinis detractione, ex aliis signis indicata, disparet. Nec diarrhœa, quæ sub inflammatoriis oboritur symptomatibus, a venæsectione, quæ sæpius & illi remedium constituit, absterreat. Eadem de vomitu bilioso, stomachique oppressione, si de vera peripneumonia satis constiterit, dicenda sunt. Sub ipso menstruorum, lochiorum fluxu, si gravis sic jusserit pulmonum inflammatio, aperienda vena est; pluresque ferentes utero mulieres non aliter, ac sæpius cum integra fœtus conservatione, tractavimus. Serius vero hoc in morbo, ac undecimo etiam die, tardiusque ad venæsectiones frequentes interdum, ac sine ulla dierum, quos criticos vocant, nisi veræ nunc criseos signa comparerent, habita ratione, recurrimus; plurimosque certe, quos jam suppuratos, vel morti vicinos esse dixerunt, sine ulla ad pectus labe felicissime restituimus.

Est interim & huic demum auxilio modus finisque ponendus: ne vel necessarias ad crisin salutarem, vel ad suppurationem, quam evitare amplius non datum est, vires petulanter dissipemus; vel ægrotantem in periculosum hydropem conjiciamus: qui tamen hic frequentius omissæ, quam repetitæ venæsectionis effectus est. Teneriores quidem pueri venæsectiones tam facile, quam adulti, non perferunt: sed & in illis, sub graviori morbo, sanguis, pro ætatis ratione, vel ex venis majoribus, vel hirudinum ope, mittendus est. Nec senes hoc a morbo correpti venæsectiones non facile perferunt; & octogenario nuper viro, per *novem* venæsectiones, periclitantem in graviori peripneumonia vitam, læti

conservavimus. Tantum vero abest, ut sanguinis hoc in morbo liberali detractione sputorum supprimatur, desiderata tantopere, ejectio; ut melius in eodem *expectorans* non habeatur, quam venæsectio, remedium, utque in solo inflammationis moderamine, non in irritante vel antimoniali, vel scillitico, vel alio medicamento, tenacis lymphæ in pectore pendeat resolutio. In ultimo peripneumoniæ lethalis gradu, certe nec venæsectio, nec quodvis aliud remedium juvat; ac cum hujus aut illius vituperio inermem tam infaustis rebus artem opponimus; interim audaces, sæpe, non fortuna quidem, sed consilium juvat; nec raro, quod vix dictum est, sub frigidis jamjam extremitatibus, facie vix non cadaverica, pulsibusque minimis, impositis arteriæ digitis, venam suffocanti ægroto cum felici rerum exitu aperuimus, & vitæ sors unica ex cuspide hæsit lanceolæ.

Nec tamen omne semper in venæsectione positum est subsidium: sed & alia, quæ contra inflammationes, febremque inflammatoriam laudavimus remedia (§§. 120. 133.), in auxilium hic trahenda sunt, nisi quod frigidus tum potus, tum aer hoc in morbo magis, quam in alio, evitandi sint. Optimum nobis tum pro medicamento, tum pro siti fallenda remedium, decoctum antiphlogisticum (N. XXV.) constituit. Per anum frequenter tum clyster emolliens (N. XXVI.), tum antiphlogisticus (N. XXVII.) injiciendus est. Acidorum mineralium hac quidem in morborum specie non approbamus usum; vegetabilia, tepida diluta, tussim nec minime exasperant. Oleosa in peripneumoniis veris medicamenta non raro evidentem utilitatem habuere; mucilago interim Arabica, aut radicis salep decoctum, non minori efficacia pollent. Effrenem, nec tamen gastricam, diarrhœam,

nisi venæsectio refrenet, cum emulsione Arabica (N. XV.), ac interdum cum opio ipso compescimus.

Sub urgente lateris dolore & scarificationes, hirudines dolenti loco applicitæ, præmissis generalibus sub initio morbi venæsectionibus, egregie nonnunquam, imprimis vero in ipsa *thoracis* inflammatione (§. 187.), conducunt, ac sub venæsectionis, ob virium decrementum, dubia quidquam indicatione, sæpius illam supplent: qua tamen sub longiori quidquam operatione, a pectoris cavendum est refrigerio. Acutissimos vero sub initio morbi thoracis dolores fomentatio emolliens, linimentum volatile, — post fractos vero inflammationis majoris impetus, vesicans dolenti loco, ut rubefaciens modo remedium, superimpositum, in casu imprimis rheumaticæ affectionis, potenter moderantur; illudque & medio interdum pectori in peripneumoniis imponimus.

Sed & vapor aquæ & aceti pulmonibus inflammatis frequentius in die admissus, eorundem spasmo egregie occurrit, atque tenacem bronchiorum lympham ad faciliorem ejectionem disponit.

Opium hoc in morbo non aliter, quam pacato inflammationis impetu, si vigiliæ, tussisque sicca urgeant, vel si dolor magis in causa istius, quam inflammatio causa doloris exstiterit, indicatur. Vix unquam hoc remedium in vera peripneumonia adhibendi oblata nobis visa est, veteribus licet non ignota, indicatio.

Post venæsectiones ac methodum antiphlogisticam hoc in morbo præmissa, refractæ antimonialium, tartari emetici, vini antimoniati, kermes mineralis doses, cum haustu salino, transpirationem moderate augendo, & expectorationem secundando saluberrimo præscribuntur consilio. Sub ipso morbi principio tum

ista, tum quævis alia sic dicta expectorantia, insigniter nocent.

Si per nimias forte venæsectiones, aut alia, virium languor ac debilitas occurrat: tunc camphoræ, salis volatilis portio, vel Polygalæ Senekæ decoctum (N. XXVIII.), vel solutio gummosa (N.XXIX.), ac vesicantia, potissimam laudem merentur.

Sub tenacis pituitæ aut puris in pectore suffocationem minitante collectione, vomitorium ex vino imprimis antimoniali commendarunt. Nunquam vero hæc ipsa sub peripneumonia vera præscribere nos quidem ausi sumus.

Peripneumoniæ recidivam, in multis ægrotantibus obviam, iisdem quam primarium morbum, subsidiis pertractamus.

Qua via natura hoc in morbo crisin molitur, hac eandem secundare, Medentis est.

Latentem in pulmonibus abscessum tum recto febris moderamine, tum victu, & vaporibus ad promptam perducimus maturationem, ac ad bronchia materiæ exitum, quoad possumus, invitamus. Interdum venæsectio, interdum excitantia, hoc opus promovent. Rupturam vomicæ per corporis motum, concussionem, accelerare, nequaquam consulimus. Si tumor mollis ac fluctuans factam vel in pleura, vel in pulmone cum hac ipsa cohærente, suppurationem ostendit: abscessus sine temporis mora aperiendus, longoque tempore sustinendus est. Empyematis, satis certo constantis, per thoracis paracentesin tentatur medela. Purulentam sub sterno materiem, ejusdem ossis in tempore suscepta terebratio evacuat. Factam vero vel in pulmonibus, vel alibi suppurationem, secundum regulas alibi exponendas, non magno eheu! successu pertractamus.

Reliquos interdum a morbo ad thoracem dolores

tum linimento volatili cum camphora, tum sanguisugis, aut vesicante emplastro, tum herbarum narcoticarum, cicutæ, hyoscyami albi, in cataplasma cum lacte redactarum, opioque munitarum impositione, aggredimur. Interdum alvum paulo fortius purgans remedium, aut sarsaparillæ decoctum cum vino antimoniato nuptum, conducunt.

§. 199. Pleuritidis (§. 187.) curam, pro ratione febris, causæ ac vehementiæ, ad easdem fere, ac de peripneumonia latæ sunt, regulas instituimus. Minor interim, si hæc ipsa desit, venæsectionum copiosarum, — major vero cucurbitularum, hirudinum, fomentationum, linimentorum emollientium, vesicantis, ad locum affectum applicandorum, necessitas est. Post præmissas venæsectiones, refractæ antimonialium doses cum haustu salino, ac lenis transpiratio quam maxime conducunt. Abscessus ad musculos thoracis, aut ad pleuram, promptam puris ne ad cavum pectoris viam sibi paret, aut costarum substantiam erodat, cum cautela supra (§. 198.) indicata aperiendus est. Pleurit. cura.

§. 200. In peripneumoniæ, quam *notham* diximus (§. 188.), cura, venæsectioni rarissime locus est. Erit autem, si peripneumoniæ veræ accedat quodammodo morbus, ac vires ægrotantis sub ipso satis adhuc constent ægritudinis initio: qua tamen sub rerum conditione cautissime procedendum, nec facile cruor, nisi pulsus a priori ejusdem emissione pleniores insurgant, ulterius detrahendus est. Hoc subsidio vel præstito, vel omisso, aut cucurbitulis ad dorsum in auxilium vocatis, emeticum sæpius a stertente in pectore pituita indicatur: quo pulmones a stagnante in bronchiis materia promptissime liberan- Peripn. noth. cura.

tur. Antimonialia deinde in refractis dosibus cum haustu salino ac infuso sambuci porrecta, novumque, si tale indicari videatur, emeticum, nec non, concessa per diem quiete, purgans alvum remedium indicantur. Serum lactis cum sinapis semine coctum, cum melle edulcoratum, tepideque haustum, pro potu inserviet. Vesicans quoque emplastrum inter scapulas, vel medio pectore ponendum est. Gummi ammoniacum oxymele scillitico solutum, & cum infuso sambuci porrectum, tum alvum solvere, tum pituitæ tenacis ex bronchiis expulsionem promovere solet. Nec minus vapor ex tepida, cum aceto remixta, si ægrotantis conditio permittat, frequenter ad pulmones ducendus est.

Peripn. consens. cura.

§. 201. Peripneumoniam, ac pleuritidem *consensualem* (§. 189.), si cum inflammatione, quod fieri amat, complicata incedat; venæsectione, pro necessitate (§. 112.) cautius repetenda, in simpliciorem prius morbum convertere; dein vero causam pulmones aut pleuram in consensum trahentem adaptatis casui remediis expellere decet. Cum igitur hæc ipsa in gastricis potissimum, vel in ventriculo, vel in tubo intestinali hærentibus saburris consistere soleat: valebunt nunc regulæ de gastricæ febris curatione (§. 109.) expositæ; ac vel emeticum, vel purgans alvum remedium, pro necessitate, interpositis resolventibus, repetendum, pectus promptissime liberabit.

Peripn. nerv. cura.

§. 202. In *Peripneumonia nervosa* seu maligna (§. 190.), respectu ad viscus affectum habito, observanda sunt illa, quæ de febris nervosæ cum inflammatione locali complicatæ (§. 95.) curatione exposita sunt. Venæsectio igitur hac in periculosa

peripneumoniæ specie non facile, nisi initio, in plethoricis ac junioribus subjectis conveniet; cum cautela, ac in ipsius Medici præsentia instituenda. Rara hanc reiterandi comparebit, nisi plena periculi, necessitas; eamque nonnisi prioris evacuationis effectus, ac regnantis constitutionis natura, determinabit. In genere vero, hoc in morbo sanguis mittendus non est. Sed caveamus iterum, ne, quod summe inflammatorium est, ac ob hoc ipsum sub fallacis imagine debilitatis incedit, pro *malito* præpostere declaremus. Sub vera igitur *nervosæ febris* cum peripneumonia complicatione, radicis serpentariæ virginianæ imprimis infusum cum oxymele; acetum camphoratum (N. XIV.), serum lactis vinosum (N. XXX.), vinum ipsum, vesicantium, ut rubefacientium, usus; vapores ex aqua & aceto, pulmonibus admittendi; ac singula demum, quæ in febre nervosa commendavimus (§. 94.) auxilia, indicabuntur.

§. 203. *Periodicæ* peripneumoniæ (§. 197.) medela ex illis repetenda est, quæ de febris intermittentis inflammatoriæ cura (§. 70.) exposita fuerunt; atque, præmissis aliquot, pro vehementia inflammationis, venæsectionibus, aut locali vasorum depletione; vel, cum saburræ subesse videantur, earundem prompta ejectione: ad corticis mox usum, ut in perniciosis ipsis (§. 45.), recurrendum est. Peripn. period. cura.

ORD. III. GEN. II.

CARDITIS.

§. 204. Cordi quidem, ut inflammari queat, nihil deest, quod aliis in corporis partibus incendium Existentia morbi.

provocat. Sed cum in multis *cor humanum* sortem illa, cui cæterorum corda animalium subjiciuntur, iniquiorem ex animi in hoc ipsum majori ac funesto pathematum influxu experiatur; fatendum tamen est, inflammationem hujus visceris rariores inter, aut saltem morbos minus succincte descriptos pertinere. Posset quidem hic scientiæ defectus ex majori ac subitanea fere istius affectus mortalitate derivari; sed obstant vulnerum, non ubique tam cito hac in parte lethalium, ulcerumque in corde tum cæterorum animalium, tum hominis repertorum, exempla non pauca: ac licet hæc ultima alienam subinde ab acuta inflammatione originem agnoscant; licet etiam agglutinata cordis superficiei *intactæ* lymphatica materies, pro ulcere frequenter imposuerit; non tamen desunt aut læsionum cordis externarum, per ipsam inflammationem in suppurationem conversarum, aut morborum cordis acutorum, in hujus exulcerationem terminatorum, fideles historiæ, nec cicatricum adeo exempla desunt, ex quibus nobilissimæ corporis partis, a causis quidem externis, inflammationem comprobari nimis videamus. Sed ex eodem observationis fonte, internarum causarum hoc in morbo excitando potentiam non minus edocemur, quin tam celeri morbus progressu symptomatum continuo decursum abscondere Medentibus potuerit; nec dubium est, quin simili, in cordis motum ac vibrationes, quam in arteriarum oscillationes, adhibita Medicorum attentione, ac sub frequentiori illius in cadaveribus inquisitione, hujus visceris morbi a densa, qua involvuntur, caligine possent liberari.

Carditis. §. 205. Sed cum de cordis inflammatione discurrimus, non ejusdem modo carnosæ substantiæ, sed & vasorum majorum, ac velamentorum hujus visceris

incendia, sub eadem *carditidis* denominatione comprehendere fast est. Frequentior certe istorum, quam ipsius cordis, inflammatio occurrit; ac vasorum quidem, tam arteriarum, quam venarum hac in parte inflammationem, quam sex abhinc annis pro prima vice deteximus (§. 118.), frequentius exhinc tum nos ipsi, tum amici, quibus hæc communicavimus, Viri conspeximus. Pericardii etiam non tam raro nobis oblata est inflammatio; sed cordis ipsius, nisi superficialem ac erysipelaceam, hinc inde interruptam inflammationem, nec memoria suggerit, nec diaria nostra suppeditant. Quinquies certe, nisi sæpius, cor totum, quasi villosum, ac pseudomembrana crassiori circumseptum, pericardium vero purulento humore plenissimum invenimus, & conservamus; sed detracto ab eodem morboso hocce velamine, nec erosa, nec aliter quam paulo ruberior, comparuit hujus visceris substantia.

§. 206. Si unquam cordis inflammati symptomata characteristicam, & ab aliis morbis distinctam ostenderunt naturam; oportet illa post externam imprimis, & aliorum viscerum cum labe minime sociatam læsionem quam maxime in lucem venisse. Atqui tamen hæc ipsa symptomata, licet mortem præcesserint, interdum sat levia fuerunt; alias vero in syncope, in tussi, respiratione difficili, palpitatione cordis, pulsu inæquali, vomitu, sudore frigido, anxietate, ac fixo ad sternum dolore, consistebant. Constantius vero lipothymiæ, pulsus parvi ac inæquales, sudores frigidi, anxietas, dolor sterni, ac paulo tardior febris, hæc cordis vulnera comitari sunt visa. Cum his vero symptomatibus illa inflammationis ab internis causis obortæ correspondent quidem, sed sæpius ab ipsius peripneumoniæ signis non satis

Symptomata.

distingui potuerunt ; rarumque fuit, cor solum, non cætera simul thoracis viscera, ægrotasse. Sic certe dolor ad sternum, cordisque regionem, utrique interdum morbo communis observatur. Vibratio cordis & ipsi pulmonum inflammationi ex parte est ; similia de pulsu intermittente, inæquali, ac de lipothymiis dicenda sunt (§. 186.).

Quotiescunque interim, absente quidem alterius in pectore morbi sat fundata suspicione, anxietas major, dolor ad cordis regionem, palpitatio ac vibratio fortis, pulsus irregularis, frequentissimus, lipothymiæ aut simul comparent; aut, inter hæc, palpitatio cordis violens, intermittens pulsus, cum lipothymia advertuntur; aut nonnisi unum ex his deesse videtur : tunc probabilius de præsente aut cordis, aut vasorum majorum, aut pericardii inflammatione argumentum habetur. Ægrotus, cujus nos arterias venasque non modo cordis, sed universi corporis, erysipelacea, sed profunde rubra phlogosi interius notatas vidimus, metu ac terrore ob delictum capitale insigni percussus, diuque profugus, levi primum cordis sub motu perturbatione correptus est. Auxit hanc continua imminentis pœnæ, ac delicti conscientia, quæ noctes sub diu multas frigidasque transigere coegit : quo primum tempore palpitatio cordis urgere incœpit. Jam ira noviter excandescens, cor sibi stringi, ac frigidam quasi auram hoc ad viscus ascendere persensit. Ad nos delatus, facie pallidissimus, continuo ac profunde suspiravit ; pulsus, quos facile numerari posse non credebamus, *centum octoginta quinque*, *ducentosque*, uno quidem minuto, ictus, ab initio fortes, summopere vibrantes ac duros, sub morbi vero fine sæpe intermittentes, debiles, vermiculares edebant. Cordis ipsius motus continuo insigniter vibrans, convulsivus, cum oppressione ac dolore pe-

ctoris, præcipue *sinistri*, per totum hypochondrium ejusdem lateris extenso, tactumque fugiente. Cum vero dies *octodecim* his sub tormentis apud nos degisset; accedente sub fine morbi instantis suffocationis metu ac lipothymia frequentiori, subitaneo in alterum latus conversus motu, præcipitanter exspiravit. Cadaver a nobis dissectum, præter dictam vasorum phlogosin, copiosam & quasi sanguine tinctam in utroque thoracis cavo aquam exhibuit; in prætumido pericardio septem circiter unciæ ejusdem naturæ liquoris stagnabant. Cor ipsum prægrande, aneurisma referens ac ponderosum, ad superficiem externam naturali magis, cum vasis quasi injectis, rubebat; interna pericardii facies inflammata; pulmones dorsum versus sanguine quidem infarcti, neutiquam vero inflammati. Pleura in *dextro* pectoris cavo, quo dolorem minus accusaverat vivus, insigni inflammatione correpta fuit. Atqui varia quidem hic sunt, quæ tum aquis in thorace stagnantibus, tum istius inflammationi, non inique possent attribui, sed plura jubent tum aquas in pectore, tum pleuræ phlogosin ex ipso cordis vasorumque affectu derivare: & cum millenos ex peripneumonia, pleuritide ac pectoris hydrope acuto decumbentes viderimus, neminem tamen prius cum pulsu tam duro, tamque frequenti, cum tanta cordis, arteriarumque vibratione, cum lipothymiis, angustiis, doloribus præcordiorum tantis, conspexeramus. Eandem vero arteriarum majorum circa cor inflammationem in aliis quibusdam subjectis cum eodem fere pulsu, supra omnes vibrante, sed sine lipothymiis, ac sine ictuum intermittentiis observavimus: ut igitur nec in hac viciniarum, nec in cordis ipsius inflammatione, sat constans ac perpetuum signum indicare; — sed tamen ex singulis simul collectis, ad præsentem carditidem non sine aliquo veritatis fundamento concludere liceat.

Cura. §. 207. Nec tamen hæc ipsa diagnosis instabilitas, in morbi cum peripneumonia quamplurimum conspirantis curatione, majorem parere difficultatem posset; nisi nobilitas, dignitasque visceris eandem ultro augeret. In eadem interim methodo, quam quæ in violentissima quavis peripneumonia commendata fuit (§. 198.) auxilium omne quærendum videtur.

ORD. III. GEN. III.

DIAPHRAGMITIS.

Raritas morbi. §. 208. Ex vana hypotesi *paraphrenitidis* nomen *Diaphragmatis inflammationem* exprimere inventum est. Latissimum vero hoc septum sat raro in homine incenditur; & quamvis pulmonibus, jecinori, aut lieni, cum hæc viscera inflammantur, intimius agglutinetur, ac malam sortem cum eisdem frequenter dividat (§. 186.); oppido pauca tamen, sub tot cadaverum sectionibus, *primariam* hujus partis inflammationem nobis obtulerunt.

Nomen. §. 209. Est tamen, ubi & hæc malorum species homini insidiatur, oriturque morbus, cui *Diaphragmitis* nomen est: qui, licet æque nunc ad pleuritidem, nunc vero ad peritonæi inflammationem referri queat, distinctam tamen ab his appellationem, locumque hac in morborum classe sibi proprium meretur.

Symptomata. §. 210. Nec tamen symptomata, ab antiquis huic morbo attributa, *insania* scilicet, aut *risus sardonius*, diaphragmitidi magis, quam cuivis alii inflammationi, adnumeranda sunt; sæpiusque non musculosa modo, sed, cui magis hæc adscribi solebant, tendinea

diaphragmatis portio, sine deliriis ac sine faciei ad risum contractione, inflammatione correpta fuit. Frequentiora certe symptomata in diaphragmitide, sunt: dolor sub sterno, vel ad lumbos, vel sub costarum fornice profundus, acutissimus, sub inspiratione altiori ad inferiora descendens, ac sub hac ipsa, vel sub nixu quovis, vel sub ciborum in stomachum ingressu, aut sub epigastricæ regionis compressione adauctus, sub exspiratione decrescens, ac sublimior; cum anxietate, inquietudine magna, interdum cum singultu, tormenta insigniter augente; cum respiratione parva, celeri, suffocativa, quiescente abdomine, solo fere thorace peracta; & demum cum febre acuta, ejusque symptomatibus pedisequis incedens. Virum paucos ante annos conspeximus, qui, licet continue ac furiose delirans, cum tamen ad hypochondria tensa ac inflata comprimeretur, dolorum sensum non exiguum manifestabat sæpius; singultiebat, risuque sardonio affectus, sub acutissima febre, altera mox die exspiravit. Hic vero diaphragma sanum, sed copiosos in tenuibus, crassisque intestinis ascarides lumbricoides multasque saburras in cadavere ostendit.

§. 211. Præsentem diaphragmitidem, si cum febre inflammatoria incedat, methodo non alia, quam quæ peripneumoniæ veræ convenit (§. 198.), pertractamus. Si alterius naturæ febrem, causasque alias agnoscat morbus, medendi ratio ex dictis alibi petenda est. Decubitus eligatur ægroto minus incommodus, nunc supinus; nunc, pro varia inflammationis sede, alius. Potus nonnisi tepidus, paucusque simul ingerendus: abdomen, hypochondria unguentis ubique illinienda, ac clyster frequens, non multus, injiciendus est. Cura.

ORD. IV.

INFLAMMATIONES ABDOMINALES.

GEN. I.

PERITONITIS.

Notio morbi. §. 212. Pleuram rarius inflammari, dictum est (§. 183.): de *peritonæo* contrarium observamus. Nec tamen ideo viscerum vel thorace, vel abdomine contentorum inflammationes his duabus membranis adscribendas esse censemus; sed illas modo phlogoses eisdem attribuimus, quæ vel musculis ossibusque superimposita, vel in appendices prolongata hæc velamenta concernunt. Hinc ad *peritonitidem* referimus non modo phlogoses per totam abdominis superficiem internam divagantes; sed etiam illas, quæ ad omentum mesenteriumque locum habent, quin viscera eisdem connexa, vel stomachus, intestina, pars uteri atque vesicæ, primaria inflammatione corripiantur; valetque respectu diaphragmatis exceptio, quam alibi (§. 209.) jam fecimus.

Definitio. §. 213. Ob extensionem peritonæi (§. 212.) difficile est rectam peritonitidis definitionem tradere; ac pro vario hujus inflammationis situ, diversa eodem in morbo oriuntur symptomata. Vastissima ejusdem ac simul frequentissima sedes est ad musculorum abdominalium fornicem, hujusque internam, quæ intestina respicit, superficiem; sed non raro, qua parte *psoas iliacique* musculi interni a peritonæo obducuntur, inflammatio hæret: quæ ad ipsas musculorum carnes utplurimum penetrans, licet illorum fere magis, quam peritonæi morbum videatur sistere, ad peritonitidem tamen non iniquo consilio refertur.

Est igitur *peritonitis* inflammatio peritonæi, quo lo-

co viscera non ambit, cum dolore, sub attactu, vel motu corporis inflammatam partem extendente, comprimente, adaucto; utplurimum cum febre, sine propriis aliarum phlegmasiarum abdominalium signis.

§. 214. Species hujus morbi (§. 213.) tum sede (§. 212.), tum causa, & febris natura, inter se differunt. Præcipuæ, quas hic considerabimus, sunt: quæ tum ad abdominalium, tum ad psoas iliacique musculorum superficiem contingunt, & quas *peritonitidis muscularis* sub nomine salutamus; nec infrequentior altera est, quam, licet utrumque sexum eidem morbi speciei subjectum agnoscamus, ob uberiorem tamen apud puerperas proventum, *peritonitidem puerperalem* dicemus. Divisio.

Interim tum hanc ipsam, tum dicendas mox species, ad *peritonitidem membranosam* referimus: sub qua scilicet peritonæum, nunc, quo loco vertebrarum corpora obtegit: *peritonitis dorsalis lumbalis*: — nunc, quo omentum, mesenteriumque constituit, inflammatur: quæ ultimæ varietates, sub *epiploitidis*, ac *mesenteritidis* titulo notæ, nullo tamen, quo a peritonitide satis distinguantur, symptomate incedunt. Alia vero peritonitis *erysipelatis* quasi naturam assumit, ac, in latum magis diffusa, in tumorem vix conspicuum assurgit; altera, *phlegmonis* in modum, tumorem circumscriptum & propria illi symptomata exhibet. Prima, quæ frequentius *symptomaticam* peritonæi phlogosin constituit, in abscessum raro terminatur; sed transudationibus coagulabilis lymphæ ac seri in cavum abdominis favet magis: ob quem effectum *purulenta* a nobis salutatur. Altera, imprimis ad musculos obvia, in suppurationem frequenter ac in abscessus difficiles convertitur. Cæteras, & ex febre petendas divisiones peritonitis cum illis inflam-

mationum aliarum communes agnoscit. *Epidemico* more peritonitis ante paucos annos apud nos grassari conspecta est.

Peritonitis muscul.

§. 215. In peritonitide sub abdominalibus musculis sedem figente (§. 213.), inflammatio per cellularem musculorum telam propagata, sensibilitatem abdominis, frequentius circa umbilicum, quam alibi, insignem, & sub qua nec minimum ægrotantes attactum perferunt, inducit. Incipit nempe hic morbus, aliarum inflammationum adinstar, utplurimum cum horrore, calore; succedit, aut interdum etiam præcedit dolor ad certam abdominis regionem fixus & ardens: sub inspiratione, tussi, nixu, corporisque erectione insignius urgens; cum calore cutis, subjectarum partium duritie, ac circumscripto nonnunquam tumore. Subinde fibrarum muscularium tractum exprimit hic tumor, imprimis cum *rectos* abdominis occupaverit musculos: in quorum vaginas interdum aut coagulabilis lympha, aut sanguis effusus, tensionem summam, ac deliria, citamque nonnunquam gangrænam producit. Interea febris acuta & inflammatoriorum symptomatum cohors ægrotantem divexant. Nec tamen viscerum internorum phlogosi correptorum symptomata, & utplurimum nec vomitus, nec pertinax alvi obstructio adsociantur: quibus signis non modo, sed & illis, quæ *gastritidem* indicant (§§. 231. 233.), musculorum abdominalium in *epigastrii* regione inflammatio, ab ipsa ventriculi inflammatione (§. 230.), quam facile illa mentitur, distingui debet. Nonnunquam interim & nausea, & spirandi difficultas, anxietas, — ac, si inflammatio ad diaphragma ascendat, facilius singultus in graviori *peritonitide*, vix tamen primis morbi temporibus, observantur.

§. 216. Si ad *psoan iliacumque* internum inflammetur peritonæum, tunc multa quidem ex prædictis (§. 214.), sed & propria his partibus signa occurrunt: quorum aliqua cum hepatitide tum ingressu suo, tum fine (§. 247.) satis conveniunt. Dolor ad dorsum, sæpius vero infra regionem vesicæ urinariæ ex uno latere, non tam vehemens in multis, subinde autem, quod ipsimet conspeximus, fortissimus comparet. Hic idem, magis obtusus, aut & stupor, per inguen ad femur descendit: quod sine magnis tormentis ab ægrotantibus extendi non potest. Interim nec in urina, nec in alvo excernendis difficultas hæret. Post aliquot dies, manifestus ac profundus tumor ad psoas aut iliaci musculorum tractum, ad glandularum inguinalium externa, percipitur tactu. Psoidis.

§. 217. *Dorsalis*, *lumbalisque peritonitis* (§. 213.), obscuriora certe, quam alia quævis hujus morbi species, symptomata offert; facileque illa cum lumbagine inflammatoria, nec tamen cum tanto ægrotantium damno, confunditur. Conveniunt ex parte symptomata cum illis *pleuritidis dorsalis* (§. 187.); ac præter majores ad vertebrarum columnam dolores, sub erectione corporis, & abdominis contrectatione quidquam fortiori adauctos, acuta febris & major ventriculi, intestinorumque urget consensus. Perit. dors. lumb.

Facilis vero a peritonæo vertebrarum corpora obducente inflammationis ad mesenterium descensus observatur, nasciturque *mesenteritis*: cujus iterum obscurissima diagnosis existit, & quæ cum intestinorum inflammatione frequenter complicatur. Profundus utplurimum dolor, a dorso fere incipiens, in umbilicali regione persistit, & ab attactu valdopere augetur: quo tumor simul ac durities hac in sede manifeste distinguitur, alvusque non raro pertinaciter obstruitur. Mesenteritis.

Epiploitis. Non minorem diagnosis incertitudinem *Epiploitis*, seu omenti inflammatio agnoscit: quæ frequenter erysipelaceam habere naturam, interdum vero cum insigni hujus partis mole, per veram inflammationem, quod pluries conspeximus, ad pollicis crassitudinem & ultra adaucta, incedere observatur. Peritonitidis ad abdominales musculos (§.214.), ac signorum, quæ intestinorum inflammationi competunt (§. 240.), absentia, cum febre acuta, dolore acri, partem abdominis anteriorem & priorem, tam supra, quam infra umbilicum, occupante, cum tumore, tensione, tactusque impatientia, lucem hic aliquam accendere possunt.

Perit. membr. purulenta. Sed vel sola peritonæi superficialis lateque extensa inflammatio (§. 213.), vel conjuncta huic ipsi mesenterii, omenti phlogosis, frequentissimam interitus causam, tum ætati, tum sexui cuivis, tum imprimis *puerperis* (§. 213.) largitur. Sub his rerum circumstantiis, post atroces abdominis, interdum quasi colicos, cruciatus, cum acuta febre incedentes, & a minimo attactu exasperatos, in tumorem venter ac meteorismum assurgit. Accedunt non raro anxietas, respiratio difficilis, nausea, vomitus, tandem, aut & primi jam ingressus tempore, diarrhœa; singultus, deliria, sopor, ac lethalis gangrænæ symptomata.

Febris puerp. dicta. Juvat interim eorum quæ *puerperis* hoc a morbo frequentius contingunt, & quibus factum est, ut hæc affectio *febris puerperalis* sibi nomen, & peculiarem Medentium attentionem acquisiverit, memoriam hic injicere.

Symptomata. Invadit autem hæc ipsa mulierem nunc brevi ante partum mora; nunc mox a partu, vel abortu, vel etiam remotiori ab hoc ipso tempore; utplurimum vero secundo, vel tertio die: quo fere tempore febris,

quam *lacteam* appellant, mulierem tenet. Horripilatio, vel & rigor subinde puerperam invadit, sequiturque calor nunc moderatus, nunc intensus, ac siccus, cum cephalalgia, inquietudine, pulsu contracto, vix adeo frequenti, interdum sat pleno, sed, ob animi corporisque sensibilitatem, a re fere quavis mutabili.

Differentiæ.

Atqui hoc ipsum morbi initium cum febre sic dicta *lactea* quamplurimum conspirat, & in istius tempora incidens, nonnisi dolorum abdominalium accessione, continuatione, ac vehementia, majori lassitudine, caloreque sicco, nec fere remittente, internoscitur. Mammarum in illa turgescentia, tensio, dolor ad subaxillare cavum expansus, nec in omni puerpera tam notabilia sunt, ut ex illorum absentia ad morbum, de quo agimus, concludere mox liceat, nec in *peritonitide puerperali* tam continuo deficiunt, ut ex eorundem præsentia ad ejusdem morbi absentiam sat tuto argumentari possimus. Non igitur, nisi vehementiæ, nec non extensionis gradu, uterque morbus, si in idem fere tempus incidat, distinguitur: neque minor in *peritonitide puerperali*, ab incipiente uteri inflammatione internoscenda, difficultas hærebit, si forte dolor acerbus hypogastrii regionem occupaverit: cum & hac in regione non raro peritonæum inflammari, atque solum, non minores, quam in *metritide* dolores inferre observetur. Os uteri certe nec in puerperali peritonitide, facile nec in uteri inflammatione ubique dolet; licet ex hoc ipso, si præsens fuerit, dolore, ardore vehementi cum febre, signisque (§. 225.) recensendis, ad hujus visceris inflammationem concludere recte queamus.

Sympto-mat. continuat.

Comitantur vero quamplurimum, aut jam in vicina partui muliere præcesserunt peritonitidem signa gastrica (§§. 55. 100.). Aliquando tam vehemens isto-

rum apparatus a principio morbi est, ut vel *choleram* vix non in omnibus æmuletur. Nec tamen perpetua hæc sunt; pluresque vel sanissimæ puerperæ inopinato, ac sine prævíis saburrarum signis, hoc a morbo corripiuntur. Fallacitatis vero in his ipsis quamplurimum latere posse, nemo, qui dictorum (§. 107.) memor est, negabit; nec magis quemquam ad abdomen inflammatione correptum, -- quam alium, ad caput læsum, vomitu, ac ventriculi turbis torqueri mirabimur. Alvus hoc in morbo, sub initiis, clausa; sed diarrhœa sat cito, eaque profusa, biliosa, bruna, fœtidissima, cum tensione ventris, multoque a flatibus incommodo, -- urinæ, nisi lochiis tinctæ, tenues ac crudæ, vel & jumentosæ, interdum cum dysuria, in conspectum veniunt; viresque vitæ mox adeo labescunt, ut post paucos interdum dies jam facies ægrotantis collapsa, summæque angustiæ Medentem terreant. Vix non ubique mœstitia, anxietas, oculorum splendor imminutus, vel & auctus sensim, sitis multa, præcordiorum oppressio, brevis difficilisque respiratio, tussis sicca abdomini intumescentiæ ac torminibus respondens. Frequenter nos longa & acuta suspiria observavimus. Dolores ad supercilia, frontemque urgent; nec minus de lumborum, coxarum, femorum, scapularum cruciatu conqueruntur. Ad ventrem, circa umbilicum imprimis, tum sub costis spuriis, & has inter cristamque ossis ilei superiorem, nec non ad vesicæ regionem de dolore, nunc aliquomodo remittente, mox vero summopere adaucto, vix unquam vero attactum perferente, lamentantur. In aliis, ex stomachi regione hæc tormenta per hypochondria, versus spinam, aut ex lumbis ad uterum, quasi dolores a partu, descendunt. Post paucas horas hi ipsi, ubicunque inceperint, per totum sæpe abdomen extendi solent; citoque meteorismus, cum

decubitu nonnisi super dorso possibili, increscit. Interdum vero non tantus abdominis, nisi sub fine, tumor, aut dyspnœa, nec multa durities, adest. Aliis crus unum aut alterum tumet, dolet, aut torpet, motumque fere omnem amittit. Pulsus sæpissime nunc frequens, contractus; in aliis plenior, aut naturali non multum, nisi sub infelici exitu, frequentior. Calor cutis utplurimum siccus, interdum sudores sat copiosi. In multis hæc symptomata tam cito increscunt, ut nunc tertia, nunc quarta, quinta jam die in mortem terminentur; in aliis per tres, & ultra hebdomadas ægritudo continuat. Plures forte undecimum circa diem extinguuntur. In femina non puerpera, ac in virgine adulta, hac peritonitidis specie laborantibus, abdomen circa umbilicum sponte apertum, plurimumque puriformis materiæ effluxisse conspeximus; novimusque in puerperis aliquot hoc idem, non lethali in omnibus eventu, successisse. In multis ubera, ante hunc morbum lacte turgentia, brevi tempore flaccidissima concidunt; sed vidimus, quibus hæc minime, nisi sub funesto morbi exitu, & a febre magis ac diarrhœa, quam aliam ob rationem, contingebant. Idem de fluxu lochiorum dicamus, quem certe non in omni, quam *puerperalem* vocant, febre suppressum observavimus. Sub morbi augmento, præter anxietates summas, & jactationes continuas, lipothymiæ frequentes, deliria, sopores, singultus, spasmi, convulsiones, in quibusdam aphonia, sudores copiosi, dolores quasi pleuritici, spirandique difficultas accedunt; sunt tamen, quæ ad mortem usque nec quidquam delirent. Ubi longius decurrit morbus, apparent hinc illinc remissiones aliquæ; sed rigor novus superaccedens, mox in pristinas ægrotantem miserias conjicit, vomitusque ipse recrudescit, ac vix non singula febris *nervosæ stupidæ* symptomata

(§. 88.) hoc in ultimo stadio se manifestant. Acerrimum, ac nates erodens ex utero serum copiose, sed lethali cum eventu, fluxisse in muliere observavimus. In alia sopor apoplecticus ac hemiplegia, cum pulsu tamen frequenti, interitum præcessit. Interdum ventris cruciatus ad ultimum vitæ terminum feroces continuant; in quibusdam tempore ante mortem aliquo dolores evanescunt; sed meteorismus continuo augetur, tandemque sub inscia fæcum ac urinæ fœtidissimarum depositione, aut & pertinaci, quod vidimus, alvi obstructione, ex intestinorum inter se ipsa concretione derivanda, sub frequenti singultu, lipothymia, arteriarum ictus celerrimi, exilissimi redduntur, extremitates frigescunt, ac lethalis in abdomine gangrænæ symptomata comparent, & ægrota, sub nova tandem exacerbatione, vel convulsa, vel apoplecticorum fere more, extinguitur.

Si morbus minori violentia puerperam tenuerit, tunc utplurimum per diarrhœam, interdum per urinas atque sudores levamen adfertur.

Sedes inflam.

Quamvis autem hanc *puerperalem*, ut vocant, febrem ad peritonitidem revocandam esse credamus, fatendum tamen est, sectione cadaverum multiplicem inflammationis sedem tum ab aliis, tum a nobismetipsis fuisse detectam. Uterum quidem vix non semper ab inflammatione liberum conspeximus; frequentius vero in tubis ovariisque livor apparuit. Nec tamen ubique proliferum viscus a superficiali incendio liberrimum inventum est. Intestinorum vero, omenti, peritonæi vix non quovis in casu inflammatio, tum ab aliis, tum a nobis adnotata est. Utplurimum totum hujus velamenti fornicem, quo loco dolor urgebat, evidenti inflammatione correptum offendimus; ex quibus omnibus concludimus, locum quidem ac viscus non esse, ad quæ hoc in morbo in-

flammatio constanter detegatur; sed tamen hanc ipsam nunquam non adesse, ac frequentissime vel in ipso peritonæo, vel in ejusdem appendicibus, quousque extenduntur, reperiri. Quod vero constantissimum hac in affectione observatur, est *acutus, purulentusque hydrops*, sub quo ubique sat magna seri turbidi, flavidiusculi ac albescentis, tum non exilis lymphæ coagulatæ, quasi caseosæ materiæ, copia in abdominis cavo detegitur, partimque libere fluctuat, partim intestinis, peritonæo, mesenterio, omento, aut utero agglutinatur. Hæc materia, in iisdem subjectis; sæpe pectoris in cavo, ad pleuram, pulmones, quin ipso in pericardio, sed nullibi sine manifesta in partibus his vel illis inflammatione invenitur; neque vel aspectu, neque chymico a nobis instituto examine, a puriformi illa materia differre observatur, quæ in aliis superficierum secernentium inflammationibus, vel quovis in sexu, in quovis corporis cavo, reperitur.

§. 218. Omnes vero hæ peritonæi, partiumque ab eodem obtectarum inflammationes (§§. 214. 215. 216. 217.) quemadmodum aliæ, diversam omnino febris naturam agnoscunt, ac, frequentius *symptomaticæ*, primarii morbi, a quo propullularunt, sequuntur indolem, vel saltem cum febre nunc inflammatoria, nunc vero potissimum gastrica, vel & nervosa, incedunt. *Epidemicam* interdum peritonitidis naturam esse, jam dictum est (§. 213.), atque hoc ipsum in puerperis frequentius, quam in aliis, ob majorem has in affectiones dispositionem, observatur. Certe cum alias peritonæi inflammatio cum tantis symptomatibus nequaquam incedat (§§. 214. 215. 216.), neque difficiliorem multo, quam cæteræ inflammationes, illa ipsa curationem admittat; *peritonitis* ta- Natura perit.

men *puerperalis* frequentius cum terribili, nec fere domando, ac vel secundo die interdum lethali symptomatum agmine incedit: ex quo clare apparet, alias simul in puerperis hujus differentiæ rationes occurrere, quæ majorem in istis, quam in aliis, tum frequentiam, tum lethalitatem huic morbo constituant.

Causæ. §. 219. Sed in peritonitidis generales prius causas respicere interest. Sunt autem hæ ab aliarum inflammationum rationibus (§. 125.) necquidquam diversæ; ac vis quæcunque huic parti illata, concussio, contusio, vulnus, compressio, extensio nimia, contractio, nisus vehemens ac diuturnus, depositio materiæ acris, irritantis, metastasis, ac demum fortior cum visceribus, quibuscum membrana illa cohæret, consensus, nec non epidemica constitutio huc pertinent. Ex simplici intestinorum per saburras, bilemque corrupta irritatione, in febribus *gastrico nervosis* (§. 103.), vel minime inflammatoriis, non rarum est, a morte, non modo illorum, sed & mesenterii, omenti, ac peritonæi phlogosin manifestam inveniri. *Mesenterium* frequentem inflammationis causam in glandularum lymphaticarum scrophuloso infarctu & carcinomatico habitu agnoscit. *Omentum* sæpissime abdominis læsionibus, ac sub herniæ forma incarceratum, inflammatur.

Causae periton. puerp. Quæ vero puerperas his inflammationibus frequentius ac pejori sub omine mulctari faciunt, hæc certe tum in illis, quæ ad pelvim ac ipsum abdomen, tum quæ in toto prægnantis, parturientis ac puerperæ mulieris systemate contingunt, quærenda erunt. An & aliud, præter humanum, femineum animal, a partu hoc a morbo laboret, ignoramus: sed certe in nullo ex istis, tot difficultatibus & graviditas, &

partus, quam humana in specie, premitur: quæ sicuti, a prima mox conceptione, in summa ventriculi, viscerum abdominalium, uterique *irritabilitate* consistunt; ita & nervorum hoc in statu non minus, quam toto puerperii tempore, *sensibilitatem* mire adauctam produnt.

Ipsa vero vivendi apud mulieres ratio, ac vel durus pauperiorum ad partum usque protentus labor; aut vita matrum ditiorum desidiæ & luxuriæ plena, passiones animi, continuatum ad seram graviditatem cum viro commercium, vestimentorum abdomen arctius cingentium, comprimentium actio, insatiabilis ciborum quorumvis sub ultimis prægnationis mensibus ingluvies, difficilior capitis homini grandioris enixus, præposteri ad partum labores, instrumentorum aut manuum in hoc ipso promovendo abusus, violenta placentæ extractio, vel ejusdem aut grumi sanguinis in utero retentio, lochiorum suppressio, ventris a fœtu vix liberati vexatio cum fasciis, denegata puero lactatio, genitalium refrigeratio, ac alia multa, sortem humanæ feminæ præ cæteris animantibus iniquiorem longe imponunt, ac frequentem morborum quidem omnium, sed & peritonitidis largiuntur occasionem. Oportet tamen fateri, hanc ipsam, pro tam quotidianis ac generalibus morborum causis, non tam frequenter, neque alibi frequentius, quam in nosocomiis, locisque impuritate, aereque corrupto inquinatis, aut sub certis demum, nec determinandis anni constitutionibus, observari. Nec reticendum hic est, symptomata peritonitidis in puerperis, licet ab initio de inflammatoria summopere testentur natura, vix tamen adulto quidquam morbo, utplurimum gastricæ ac nervosæ febris indolem quam maxime participare; neque medendi methodum antiphlogistica, in aliis ejusdem morbi spe-

ciebus tam evidenter proficuam, nisi paucis in casibus atque sub incipiente fere solummodo ægritudine, satisfacere: ex quo apparet, causas hujus morbi apud puerperas frequentius ab illis peritonitidis veræ apud alios, non parum discrepare. In *lactis* igitur ex uberibus ad abdominis viscera facta depositione ac metastasi præcipuam febris puerperalis originem deduxerunt plures: ac illud ipsum quod in abdominis cavo extravasatum invenere, pro lacte corrupto, ac acerrimo hujus morbi fomite accusarunt. Quamvis vero ex tam abundantis secretionis suppressione non parva in puerperis mala originem habeant; non tamen ex sola liquoris extravasati cum lacte similitudine, ac aliqua inter utrunque humorem animalem analogia, ad lacteam illius naturam concludendum fuisset. Morbum certe eundem, quam qui pro febre puerperali declaratur, tum in feminis non gravidis, neque puerperis, tum in virginibus, atque in ipsis demum viris, observavimus; eundemque liquorem purulentum in cavis abdominis, pectoris, effusum invenimus; ut nobis saltem difficile videatur in puerperis illud pro lacte declarare, quod in his omnibus, superficiali, sat forti abdominis inflammatione correptis, non semel certe liquidum deprehendimus, & cum lacte chymica licet analysi comparatum, dotes ab isto alienas, ac similem prorsus cum quovis alio puriformi liquore (§§. 125. 128.) naturam ostendisse, compertum habemus. Cum integra cæterum in uberibus secretione, -- (§. 216.) in feminis quoque abortum expertis, nec lactis adhucdum copia abundantibus, febrem, quam dicunt puerperalem, adnotavimus: ut igitur hunc lacteæ metastasis influxum, pro morbi, de quo agimus, origine agnoscere, tam ratione, quam experientia aliter edocti, protinus nequeamus. Lochiorum fluxum

An lactea metastasis?

sub ipsa hac febre imperturbatum subinde continuare; atque hunc ipsum sæpe alibi, sine damno, in multis aut suspendi, aut parcissimum esse; hoc ejusdem suppressionem ad constantes saltem peritonitidis puerperalis causas revocare vetat. Alii vero hunc morbum ex diuturna viscerum abdominalium per uterum gravidum compressione, & ex impetu sanguinis in liberata post partum vasa harum partium relaxata, derivant: sed oporteret iterum ex causa tam communi, frequentiorem hujus affectionis genesin esse; neque hydropicorum aquis, unica licet paracentesi evacuatis, tam facile hic morbus observatur: neque rationem reddit hæc opinio, cur in nosocomiis frequentius, certisque temporibus hic morbus puerperis epidemico influxu insidias struat. Ex uteri consensu febrem puerperalem accendi posse, rationi repugnare non videtur; vidimusque nuper, ex placentæ portione post abortum in utero relicta ventrem, -- non quidem ad hujus regionem, sed sub lateris sinistri costis spuriis vehementer, ac cum intumescentia doluisse; rejecto vero peregrino hoc corpore, brevi mora symptomata disparuisse. Certe sub tantis ad partum in utero nixibus, aliquando læsio hujus visceris, cultro anatomico post mortem tam facile non detegenda, locum habere, febrisque puerperalis ab hoc opere *citius* insequentis causam offerre potest. Sed & tardius, & *decimaquarta*, quod & nos vidimus, a partu die hic morbus interdum occurrit; dein vero sub violenta uteri inflammatione, hinc summa hujus visceris irritatione, -- sub magnis certe in graviditate excitatis ab eodem turbis, -- sub ipso adeo carcinomate uteri, puerperalis tamen febris symptomata desunt, & cum frequentissimus hujus partis in cæteras influxus, & perpetuus in puerperis consensus est, febrem ta-

men, quæ ab his nomen habet, tam communem esse morbum non observamus.

Gastricæ potissimum indolis hunc morbum esse, ex vomitu ac diarrhœa, nec non ex gravidarum in saburrales collectiones dispositione, mœrore, timore ante partum adauctis, ex inanitione sub hoc ipso, cum summa interdum debilitate, & ex insigni non minus fœcum fœtore, quam magna adulti morbi cum febre gastrica nervosa similitudine, concluserunt. Quamvis vero gastricorum apparatus signorum fallacitatis habere quamplurimum possit; fatendum tamen est, saburrales causas hunc ad morbum quamplurimum contribuere: & quemadmodum hæ ipsæ intestinorum, peritonæi inflammationes producere queunt (§. 219.), ac ipsa demum vomitoriorum, alvumque purgantium hoc in morbo virtus frequenti experientia confirmata est; sic latens in primis viis acre peritonitidem puerperalem non raro invitare, aut ex aliis causis natam, adolescente febre, in partes suas trahere, credendum est. Sed tamen vel sub ipso choleræ morbo, ac sub vehementissimis dysenteriis, nisi inflammatio subsit, puerperalis symptomata febris non occurrunt; & violentior febris gastrica purulentum in abdomine humorem non generat. Neque si choleram, quæ ipsa nervosa magis adfectio est, excipiamus, nisi subtili simul in nervos agatur contagio, gastricarum tam cito lethalis esse natura consuevit.

Ex his omnibus apparet, obscuram valde hujus morbi in puerperis indolem, ac non facile unam, sed multiplicem ex prædictis eidem causam pro fundamento ponendam esse. Inflammatio certe in nulla, quam hucusque secuimus, puerpera, ad peritonæum, vel ejusdem appendices, -- nec purulenta unquam materies defuit: atque hæc ipsa tam cito subsequun-

tur, ut pro aliorum effectu magis, quam causa, agnosci non queant.

Hinc nihil, ut opinamur, vetat, quin morbum ad *peritonitidem* referamus: quæ, sicut ex quovis stimulo, & ex multiplici causarum supra commemoratarum congerie, ad partes peritonæo investitas, hujusque appendices, in subjectis irritabilitate morbosa instructis, oriri; — ita & variam pro socia assumere febrem potest, atque rarius quidem, & non fere nisi sub initio, cum *inflammatoria*, — utplurimum cum *gastrica*, — &, accedente contagio, aut epidemicæ constitutionis influxu, cum *nervosa*, — aut quod frequentius contingit, cum *gastrico-nervosa*, incedere consuevit: sic ut raro tam pura, vel simplex sit hujus morbi natura; semperque *nervosi* aliquid adhærens, faciat, ut nec antiphlogistica sola methodus, nec evacuatoria protinus sufficiat. Solam campanæ sonitus, quæ moribundis pulsare solet, perceptionem puerperis, aspectu sanissimis, sed ob plurium jam ex partu matrum obitu perterrefactis, fatalem, febrisque puerperalis mox occasionem fuisse, novimus.

§. 220. Peritonitis, quæ circa musculos abdominales residet (§. 214.), si mature satis, & antequam vel ad interna magis transeat, vel in suppurationem convertatur, innotescat, tam periculosa esse non consuevit; frequens interim morbosa peritonæi cum intestinis concretio ab eadem derivanda videtur. Neglecta vero, in abscessus, fistulasque difficiles, inter abdominis musculos sinuose serpentes, abit. Abscessus hic interdum tam vasti oriuntur, ut, peritonæo ob crassiorem ex inflammatione prægressa structuram fortius resistente, ascitidem facile mentiantur, & compressis in angustum spatium intestinis, immensæ magnitudinis sacco totam fere abdominis cavitatem

Prognosis.

Perit. musc. abd.

replere observentur. Si ad interiora hi peritonæi abscessus rumpantur, tunc puris in cavum abdominis depletio purulentum in hoc ipso hydropem constituit. In aliis, hanc inflammationem sequitur omenti, vel intestinorum, tum inter se ipsa, tum cum peritonæo vicino, concretio.

Psoitidis. Periculosior est peritonæi super musculis *psoa*, *iliacoque* interno inflammatio (§. 215.), ac neglecta hujus morbi sub initiis curatione, suppuratio hic loci oritur lentissime utplurimum incedens: qua purulenta materies, vel inter peritonæum & os innominatum collecta, hoc ipsum, vicinasque lumborum vertebras, ossisque sacri substantiam, ut ipsi vidimus, lethali carie corrodit; vel ad lumbos divertitur; vel secundum musculorum abdominalium cum crista ossis ilei cohærentiam, tumorem cum fluctuatione ad coxendicem inducit; vel per inguen ad femur descendit, ac fluctuantem in hoc, facileque ad cavum abdominis retroprimendam materiam abscessu offert; quo inciso, immensa fœtentis saniei copia quotidie, imprimis sub claudicantis femoris motu, excernitur, ac latente ad pelvim carie, aut tabes purulenta, aut cita insequitur gangræna.

Interdum fistulæ per cruris longitudinem divagantes, — interdum puris in pelvis aut abdominis cavum effusio, cum multiplici vicinorum viscerum læsione, cum perinæi abscessibus, aut affectibus hæmorrhoides mentientibus, ac tandem cum inevitabili ubique, licet lenta, morte comparent.

Periton. dors. lumb. Similia, saltem non minora, inflammati circa *dorsum* & *lumbos* peritonæi (§. 216.), cum in suppurationem abiverit, pericula sunt: atque præter multiplices, ad circumjectos his partibus musculos, abscessus, & fistulas, pro renum morbo facile imponentes; ad *cyphosim*, ex vertebrarum carie oriundam, quamplurimum contribuere queunt.

Ex *mesenterii* inflammatione (§. 216.), illa intestinorum facillime generatur: atque suppuratio hac in parte exorta, insignes aliquando ac fluctuante pure repletos in eadem saccos progenuit: qui vel compressione intestina occludunt; vel, in hæc ipsa aperti, purulentas ac sæpissime lethales diarrhœas, -- vel, in abdominis cavum disrupti, ascitidem purulentum, brevi funestum inducunt. Mesenterii.

Omenti inflammatio, præter facilem hujus cum ventriculo communicationem, ac largos interdum inter lamellas illius abscessus, in gangrænam pronissima observatur. Sæpius interim hæc pars quasi lenta, nec forte semper lethali, suppuratione consumpta, vel cum peritonæi fornice, aut intestinis concreta conspicitur. Abscessus omenti fere similem cum illis mesenterii eventum agnoscunt. Frequentior fere hujus inflammationis exitus in gangrænam observatur. Epiploit.

Peritonitidis *purulentæ* (§. 216.), & illius imprimis quæ *puerperis* insidiatur, pericula jam satis ex dictis elucent. Summa, & vix superanda hæc sunt, cum prima morbi principia pro doloribus partum naturaliter subsequentibus, aut pro lacteæ sic dictæ febris affectu habita, negligantur. Eo pejor mulieris status erit, quo citius eam hoc malum invadit; quo vehementior istius ingressus, quo sensibilior, debilior, vel a natura, vel ob prægressos partus labores, mulier est; quo vehementior dolor, ustionis internæ sensus, inquietudo, anxietas, dyspnœa; — quo manifestior abdominis tumor ac tensio, vigente licet diarrhœa; -- quo impetuosior vomitus est, vel quo tardius in morbo sine dolorum levamine comparet; quo frequentior, exilior pulsus; quo magis singultus, suspiria sonora, acuta, lipothymiæ, deliria, sopores urgent. In genere, primo, hujus morbi jamjam ela- Periton. puerp.

pso stadio, fere singula prognosis de febre *nervoso-gastrica* latæ (§§. 93. 108.) momenta valent, & significationem vix non pejorem habere consuescunt. Superaccedens huic affectioni respirandi magna difficultas, tussis aspera, ac punctorius pectoris dolor, lethali pulmones inflammatione, ac purulento thoracem hydrope occupari docent.

Ubi, sub moderata & mox initio febris accedente diarrhœa, dolores abdominis ac tensio imminuuntur; ubi pulsus ex celerioribus ac parvis tardiores, pleniores, mollioresque fiunt; ubi respiratio sat libera manet; ubi lochia, prius suppressa, de novo prorumpunt; ubi sudor vaporosus, æqualis, ex totius corporis superficie moderate calente elevatur; ac urinæ sedimentum crassum, purulentum, aut lateritium, rubrum ostendunt; ubi somnus reficiens hinc inde mulieri conceditur; ubi vires evacuantibus necessariis pares observantur: tunc meliorem ac felicem rerum exitum sperare licebit.

Cura peritonitidis.

§. 221. Singularum peritonitidis specierum cura ab illa vix differt, quæ pro aliis inflammationibus a nobis fuit exposita (§. 133.). Causarum, & febris, quæ peritonitidem comitatur, natura princeps istius fundamentum est; & pro varia illarum ratione, ac pro morbi istius complicatione, vel indole aut idiopathica, aut symptomatica, methodus nunc hæc, nunc illa indicabitur. In vera igitur peritonæi inflammatione, præter majorem causarum ab ægrotis removendarum solicitudinem, venæsectiones, etiam repetitæ, tum imprimis scarificationes, semicupia tepida, fomentationes emollientes, pondere suo nequidquam molestæ, inunctiones oleosæ, vel cum linimento volatili camphorato, vel interdum laudano liquido commixto, instituendæ, interdum vesicantia

dolenti loco applicanda, clysteres emollientes, potiones antiphlogisticæ requirentur. Si gastricam, aut nervosam magis febrem cum hac inflammatione incedere constet: tunc methodus his complicationibus adaptata, & in superioribus (§§. 104. 90.) satis explicita, indicabitur.

Atqui cum nullibi fere major peritonitidis, quam in illa, quam *puerperalem* dicunt, observetur complicatio; in hac certe rarum erit, inflammationem, ex qualicunque demum causa generatam, tam puram esse, vel tam simplicem diutius existere, ut, quocunque in morbi stadio, qua vera peritonitis solet, antiphlogistica methodo valeat audacter impugnari. Periton. puerp.

Præcipua vero Medentis, ac felicior certe cura, in avertenda a puerperis tam dira ægritudine consistet: atque sub ipsa jam graviditate, perque totum puerperii tempus, hæc continuetur oportet. Hinc in prudenti tum corporis, tum ipsius mentis regimine, in causarum hujus morbi (§. 218.) enumeratarum aversione, in summa atmosphæræ puritate, in frigoris, caloris recto moderamine, in promovendo blandissimis auxiliis, nec præcipitando exclusionis tum ipsius fœtus, tum secundinarum opere, atque secretionum imprimis lacteæ, ac uterinæ, ad naturæ nutum directione, potissimum curæ prophylacticæ versatur argumentum. Prophylaxis.

In præsentis morbi tractatione sequentes, præter jam dictas, regulæ observandæ sunt. In ipso morbi principio interest, mox primis horroribus, ac rigori occurrere, quod tum infusis leniter aromaticis, tepidiusculis, tum extremitatum frigentium fotu emolliente imprimis ad pedes, præstare licebit.

Quod si vero causæ præcesserint evidentes, quæ inflammationi veræ occasionem dare potuerint; si plethorica & robusta sit puerpera; si lochia aut non

fluant, aut fuerint suppressa; si gastricæ saburræ signa febrem ipsam non præcesserint, ac præsentia ex illis, ab irritatione magis derivari videantur; si dolor fixus & constans ad eundem abdominis locum urgere observetur; si annuus febrium character aut rheumaticam, aut aliam inflammationibus faventem naturam ostenderit; si virium suppressio febre non major observetur; ac si, cum his, pulsus pleni ac vibrantes extiterint; si purulentæ extravasatio materiæ necdum successisse videatur: tunc vena, ut in veris inflammationibus, aperienda, ac methodus antiphlogistica, quam in communi peritonitide vix consuluimus, semper tamen cum certo ad puerperæ statum habito respectu, adhibenda est.

Si hæc singula, vel plurima ex istis, non fuerint; si copiosi in diæta errores vel prægnationis sub tempore, vel in ipso puerperio præcesserint; si major symptomatum gastricorum apparatus, cum minori inflammationis indicio, urgeat; si primi jam febris dies præterfluxerint; si nervoso-gastricam hæc ipsa indolem (§. 103.) sat manifeste monstraverint: tunc, omissis protinus venæsectionibus, si ad superiora turgeat materia, parcæ vomitorii blandi doses ex ipecacuanha, vel, nisi diarrhœa jam urgeat, cum tartaro emetico, etiam pro necessitate repetitæ, — ac demum vel post hæc, vel, nisi indicentur, sine istis, mitiora ex evacuationibus remedia, oleum amygdalarum, cum sale medio ac syrupo, vel alia (N. XXXI.), vel simplex ricini Americani oleum, ac repetiti, non calidi nimis, emollientes clysteres, præter illa, quæ exterius admota spasmum ac tensionem moderare queant, indicantur.

Si vero mox cum insigni, eaque non modo apparente, sed vera debilitate morbus sensibiliorem præ cæteris, vel pathematibus animi vexatam aggredia-

tur mulierem, si pulsus exiles & contracti, si lipothymiæ frequentes, urinæ crudæ, aquosæ, convulsiones ac spasmi copiose observentur; vel, ut paucis dicamus, si febris nervosæ symptomata (§§. 87. 88.) potissmum urgeant: tunc certe antiphlogistica methodus nunquam, — evacuantia vero nonnisi in certioris complicationis gastricæ casu, indicata erunt. In febris igitur *gastrico-nervosæ* præsentia, vel unum alterumve, cum saburræ superius turgeant, emeticum; aut, cum ad inferiora tendant, infusum rhei cum emulsione Arabica; — mox vero posthinc decoctum corticis cum camphora, similisque naturæ clysteres, nec non alia huic febri opposita remedia (§§. 66. 111.) imperanda sunt. Si effrenis, ut in cholera, vomitus ac diarrhœa ægrotantem exhaurire videatur: tunc vel haustus antemeticus (N. XVI.), potus emollientes ex radice salep, vel ex decocto panis cum larga gummi Arabici portione, & pauco cinnamomo; vel & juscula carnium tenuia, cum oryza cocta, vel emulsio Arabica cum opio, indicantur; viresque vitæ, ut in nervosa alia, sustinendæ, refocillandæ sunt. Interdum radicis columbo pulvis ad scrupulum unum ter in die porrectus profusam nimis diarrhœam moderavit. In summo dolore, ac effreni diarrhœa, tum similia dictis, tum clysteres parvi cum amylo ac tinctura Thebaica, ovique vitello præscribantur. Si per sudores morbum posse judicari, absentibus quidem tum inflammatoria febre, tum saburris, videatur: tunc haustus salinus, cum rob sambuci ac ejusdem plantæ infuso, vel cum pulverum Doweri dosi (N. XXXII.), indicatur.

Sed maximæ hoc in morbo difficultates ex complicatione sunt: cujus natura ex regulis sub febrium ac inflammationum aliarum explicatione jam traditis eruenda, atque tractanda est.

Ubi contentus in abdomine humor purulentus per umbilicum sibi viam paraverit (§. 216.), tunc illius effluxus quovis modo promovendus, corporisque opportuna positione secundandus est. Interea vires vitæ roborantibus ex cortice, & nutrientibus solicite sustinendæ sunt.

Abscessus in peritonitide ad abdominales musculos exorti, matura sectione, ne a pure interiora lædantur, ac ne fistulæ rebelles generentur, aperiendi sunt. Comparens in *proitide* ad iguen tumor, quamprimum suppurationis in eodem produntur initia, sectionem, ac opem chirurgicam, tam profundo licet abscessui vix unquam sanando parem, sibi exigit.

ORD. IV. GEN. II.

METRITIS.

Dispositio uteri.

§. 222. Morbus a *peritonitide puerperali* (§. 216.) distinctus, sed tamen ob æquas rationes mox post illam hic considerandus, est *metritis*, seu *uteri inflammatio*. Hoc ipsum viscus in virginibus necdum menstruatis rarissimo, neque conspecto unquam a nobis exemplo, inflammatur; quamprimum autem huic excretioni adsueverit uterus, irritabilitate tunc majori excitatus, sub ipso imprimis menstrui fluxus opere violenter perturbatus, inflammationem interdum subit. Major aliquanto hunc in morbum apud mulieres matrimonio junctas, quamvis utero minime gerentes, dispositio observatur: quæ, sub ipsa dein graviditate quodammodo adaucta, mox a partu primisque puerperii temporibus quam maxima comparet; donec, penitus absoluto per ætatem sanguineo tributo, pristina utero a phlogosi redeat, maneatque immunitas.

§. 223. Cum vero non uno semper eodemque loco, sub tam diversis feminarum positionibus, resideat; — & ad partem nunc hanc, nunc illam, inflammetur uterus: oportet non similia, in simili licet morbo, symptomata ubique comparere; & a vicinis illi visceribus aliis, propinquæ partis incendio vexatis, pro varia inflammationis in utero sede ac extensione, effectus omnino diversos observari. Atqui hoc ipsum est, quod succinctam morbi istius definitionem difficiliorem reddit, symptomatumque singulis speciebus communium numerum minorem, quam quibus hæ omnes comprehendi queant, constituit. Febris certe acuta, dolor ardens, eidemque uteri loco fixe inhærens, anxietas, majorque stomachi consensus, fere sola hic supersunt; neque manifestus ubique tumor, neque oris uterini ardor, dolorque ab attactu auctus, a primis saltem morbi initiis, & ubique comparent. Definitio.

§. 224. Inflammantur vero uteri nunc ex parte, nunc per omnem substantiam; atque in primo casu, vel ad fundum, vel ad cervicem, atque nunc ad anteriorem, nunc ad posteriorem, aut lateralem denique superficiem, incenduntur. Omnes hæ species in utero vel gravido, vel puerperali manifestiores redduntur, quam in quovis alio: qui ad tantum rarius volumen inflammatus ascendit, ut pelvim deserere, ac in regione hypogastrica tactui offerri, sedemque phlogosis sat certe indicari, observetur. Divisio.

Nec *phlegmonosa* semper hoc viscus inflammatione, sed interdum superficiali, eaque vel externa, vel interna *erysipelatosæ* fere naturæ, phlogosi laborat; atque nunc *primaria*, nunc *symptomatica* prorsus affectione corripitur. Aliam etiam huic ipsi, febris, quæ metritidem comitatur, diversitas, quemadmo-

dum de aliis inflammationibus dictum est, conciliat indolem.

Symptomata. §. 225. In quocunque vero loco uterum inflammatio invadat, præcipue dum magno satis impetu ac cum febre inflammatoria adoritur eundem, tunc horror utplurimum, & anxietas feminam corripit. Succedit calor, æstus, cum pulsu in robustis, vel abortum aut violentiam passis puerperis, magno, frequenti ac duro; in aliis, sub initio quidem, sat magno, sed mox parvo, ac debili, aliquando inordinato. Ardor nunc oritur, fixusque dolor, ab initio, quasi ut dolores post partum ordinarii, subinde remittens; sed post brevem moram intensiori cruciatu, ex lumbis descendere visus, revertens.

In utero non gravidæ pridem feminæ constantior, fixior, pulsansque magis dolor; -- pulsus vero utplurimum plenior ac durior est. In puerperis quidem abdomen naturaliter tumet, sed molle observatur; primisque a partu horis, ipsius uteri adhucdum majoris & extensi subrotunda, tactu percipitur substantia. In metritide vero hic tumor tam celeriter, quam in *peritonitide puerperali*, vix augetur: vel si hoc ipsum ex inflammatione ad fundum uteri existente contingat; cum sat manifesta circumscripti, uterique ipsius figuræ correspondentis tumoris expansione in regione super pube media, id modo locum habet. Sæpe autem primis morbi diebus abdominis tumor non tantus comparet; sed in medio pelvis incendium hærere videtur. Interea mammæ aut turgent atque sororiantur, aut lacte spoliatæ collabuntur; lochia quamplurimum, morbi vel causa, vel effectu, disparent. Omnibus vero nunc accedunt nausea, copiosa flatuum eructatio, vomituritio, vel & flavæ, æruginosæ bilis vomitus, jactatio, desidendi ad alvum

vel ad urinam frequens non raro stimulus; ac illius, vel hujus in excernendo difficultas; sitis ingens, cum lingua sicca, cephalæa ad oculorum basin & occiput extensa, faciei rubore, vigiliis, delirio, suspiriis, dyspnœa; hypochondriorum, lumborum tensio, dolor; vel pleuritici ad pectus, claviculas cruciatus, cum tussi sicca & molesta. Nunc demum singultus, subsultus tendinum, cum meteorismo insigni, sudoribus ad frontem, pectus, symptomaticis, ac pulsu nunc minimo, contracto, intermittente, frequentissimo accedunt; extremitates frigent; novi hinc inde vomitus herbacei coloris, novumque interdum ac validissimum frigus, gangrænæ præsagium, fœtidissimæ sæpe ex vagina materiæ effluxus, fæcum ac urinæ in lectum depositio, sopores, lipothymiæ frequentes, ac mors demum ipsa, insequuntur.

Sed, prout dictum est, pro sede inflammationis ad uterum diversa, symptomata variant. Si igitur ad *fundum* hujus visceris hæreat malum: tunc imi ventris subrotundus, durusque tumor ac dolor, ut ne contactum quidem foris admittat, comparet. Si circa *cervicem* & *osculum* est inflammatio: digito vaginæ immisso, hoc ipsum clausum dolens, fervens, durum ac retractum occurrit. Si *posteriores* uteri partes solum inflammatæ: dolor circa lumbos fit, & stercora supprimuntur, & venæ hæmorrhoidales cum tenesmo turgent. Si partes matricis anteriores incendantur: tunc dolor circa pecten fit, & urinæ stillicidium ac emittendæ difficultas; qua in re tamen cavendum est, ne, ubi feminis hypogastrium tumet, etsi læsi uteri non desint notæ, de *vesica* tamen, quæ ante uterum sita est, non omnis prætermittatur suspicio. At lateribus inflammatis, & inguina tenduntur, gravantur, torpent crura, & ægre moventur; aut crus ipsum, quod e regione est, clau-

dicat; aut dolor in coxam quoque transit. Plerumque etiam uterus apud puerperas in eam partem declinat ac retrahitur, qua inflammatus est, ejusque osculum avertitur. Si totus inflammatus est uterus, totus vehementius pulsatorio motu dolet: ipsa autem ægrotans nec sedere, nec surgere, nec pedibus ingredi potest; ac singula, quæ alias ex parte comparent, mulierem divexant symptomata.

Interdum inflammatio per vaginam extenditur: quæ fervet, rubet, tenditur, ac ab attactu quam maxime dolet. Ad ipsa nonnunquam genitalia externa, vel ab his frequentius ad interna, in puerperis inflammatio propagatur.

Febris, quæ metritidem comitatur, natura ex illis, quæ alibi satis exposita fuerunt, maxime vero ex causis prægressis, annique regnante constitutione, dijudicanda est.

Causæ. §. 226. Causæ vero metritidis tum aliarum inflammationum causis (§. 125.) fere similes, tum propriæ existunt. Potissimæ ex istis, cum illis *peritonitidis puerperalis* (§. 218.) consentiunt; vel in abundantis uterinæ excretionis, menstruorum, lochiorum, hæmorrhagiæ, fluoris albi, vel & hæmorrhoidum, per causas violentas, terrorem, iram fortiorem, per frigus æstuante corpore genitalibus incaute admissum, repentina suppressione consistunt. Huc spectat abortus ex causis vel ordinariis, vel pharmacis excitatus; lapsus gravidæ in distentum uterum, percussio violens, aut conculcatio, compressio, partus difficilis, sub obliquo imprimis utero, vel cum oris uterini compressione diuturna, vel in teneriori aut jam provectæ ætatis primipara; versionis negotium rudi manu susceptum, vel incautus instrumentorum ad fœtum extrahendum usus; placentæ extractio vio-

lenta ac præmatura; perinæi, vaginæ laceratio, vel hujus ac uteri prolapsus; grumus sanguinis, placentæ portio, ore uteri clauso, in acerrimam ac fœtidissimam saniem conversa; spasmi ac dolores diuturni, violenti; fasciæ puerperarum abdomini strictius circumductæ, peritonitis puerperalis etc.

§. 227. Periculo plenus *metritis* morbus est, ex quo, si violentius invadat, paucissimæ certe emergunt. Similes vero illis aliarum inflammationum (§. 126.) exitus hic idem agnoscit: inter quos ille in *gangrænam* frequentius occurrit. Deterior vero illa metritis est, quæ universam uteri substantiam, vel fundum hujus visceris tenet. Minora quidquam inflammationis ad cervicem & osculum hærentis pericula sunt; ac facilior abscessus, illam forte insequentis, in vaginam depletio observatur. Quæ ad anteriora, vel posteriorem ad faciem inflammatio est; ea, præter urinæ fæcumque suppressarum noxas, cum suppuretur, vicinam facile vesicam, aut intestinum rectum devastat. Cæteri hujus visceris abscessus nunc, feliciori quidquam omine, in cavum illius aperiuntur, nunc vero lethali cum exitu vel in cavum abdominis ac pelvis deplentur; vel ad partes supra inguen, juxta lateris mollitudinem, aut circa umbilicum, purulentum ac graveolentem humorem eructant. Uteri prægnantis inflammatio vix non semper, nisi prompte abortus cum hæmorrhagia insequatur, lethalis evadit. Prognosis.

Resolvitur interdum metritis, imprimis si ad internam superficiem phlogosis hæreat, vel lochiis, vel menstruis, aut hæmorrhoidibus denuo comparentibus; vel largo purulenti ac fœtidi, vel & sanguinolenti liquoris ex genitalibus fluxu: vel erysipelate, rheumatismo, in aliam partem ex utero conversis. Resolutio metrit.

Interdum largus ac in longum continuatus, æqualis sudor, cum purulento in urinis sedimento, rarius miliaria, hunc morbum judicant.

Suppuratio uteri. Suppurationem in utero docent signa abscessuum internorum communia (§. 128.), morbique prægressi, nec benigna resolutione terminati, natura. Circa puris generationem dolores augentur, febresque cum horrore ad vesperam ingruunt; tumor super pubem, interdum ut abdominis mentiatur hydropem, attollitur; dolor punctorius vel pulsans accedit, atque nunc urina, nunc stercoris recrementa, aut utraque simul, supprimuntur. Ruptum vero ad uteros abscessum docent signorum, quæ hunc comitabantur, mitigatio, puris graveolentis ex genitalibus affluxus, vel demum fatalia internæ exulcerationis, hydropis purulenti, meteorismi, febris lentæ, aut citioris gangrænæ, symptomata.

Induratio, scirrhus. Uteros ex inflammatione prægressa, tum quavis in parte, tum imprimis ad cervicem posse indurari ac fere callosos reddi: hoc aliarum non minus partium, quam ipsius uteri post has causas in mortuis sectio comprobavit; sed *scirrhi* hujus visceris longe aliam vix non semper habere originem videntur (§. 129.). Quod si tamen hi ipsi post metritidem interdum observentur, hoc ipsum tum ex resolutionis benignæ, aut suppurationis ab illa defectu; tum ex febris atque doloris dissipatione, ex ipso attactu, tumoris nempe in uteri regione renitentis, indolentis, in vaginam, in explorantem digitum, vel sub erecta imprimis corporis positione, in perinæum profunde ponderantis, inæqualis, tuberosi, ex corporis uterini ad unam sæpe aut alteram abdominis partem, cum ipsa osculi aversione, oblique declinantis, -- tum ex cruris unius, vel utriusque stupore, dolore, varice, ac œdemate; ex lumborum tractione, doloribus; albidæ,

tenacisque materiæ ex genitalibus fluxu; menstruorum aut parcitate, aut defectu, vel & hæmorrhagiis uteri insolitis; ex sterilitate, vel & abortu, ad determinatum prægnationis tempus continuo, nec ex causa alia evidenti, observatis; ex vesicæ, intestini recti affectibus symptomaticis, ac demum ex decolori & cachectico mulieris vultu, apparebit. Incipiens vero uteri scirrhus in multis non agnoscitur: vel cum aliis hujus visceris, ovariorum morbis facile confunditur. Sæpe nimis interim infausta illa diagnosis, scirrhosi tumoris in exulcerationem malignam vel *carcinoma uteri*, conversione, incurabili, morteque ipsa pejori longe malo, ultro confirmatur.

Gangrænæ in metritide signa ex dictis (§. 124.) satis elucent; ac, ob spongiosam uteri fabricam, a partus opere sæpe mirum quantum labefactatam, dilaniatam, vel summa in puerperis irritabilitate, sensibilitate, exuberantem, jam ad tertium interdum, aut quintum, aut septimum fere morbi diem, sub vomitu, singultu, deliriis, sopore, sub tumoris abdominalis continuo incremento, meteorismo, alvi fluxu cadaveroso, nigro, involuntario, doloris, ardorisque omnis cessatione, pulsu intermittente, minimo, frequentissimo, extremitatibus frigidis, sudoribus viscidissimis, lipothymiis, convulsionibus, lethali mox exitu comparent.

Cura.

§. 228. Facilius iterum hunc morbum consilio prævenire, quam præsentem sanare, licet. Prævenimus autem illorum, quæ (§. 220.) dicta sunt, solicita observatione, ac obstetricum circa illa, quæ a gravidis, parturientibus, puerperis removenda, vel iisdem administranda sunt, recta institutione.

In ipsius metritidis jam præsenti cura, præter regulas in quacunque viscerum inflammatione obser-

vandas (§. 133.), imprimis ad ægrotantis statum, ad causas morbi, febrisque conjunctæ naturam, respiciamus oportet. Si uterus in virgine, aut non gravida, plethorica, robustaque muliere, aut post abortum, sine magna cruoris jactura, ex causis violentis ac stimulantibus originem traxerit: tunc, alterius cujusvis inflammationis adinstar, sanguis ubertim mittendus, ac antiphlogistica methodus tum interna, tum externa, in omnibus adimplenda est. Nec ipsius menstrui, aut lochiorum, sub violenta inflammatione aliquando non penitus cessantium, ratio hic habenda; vel saltem non ob ista, venæsectio differenda, aut omittenda erit.

In *puerperis* alia venæsectionum momenta sunt; ac in illis, sub variis positionibus hæ ipsæ nunc prosunt, nunc insignes noxas vel in ipsa metritide habere possunt. In delicatula debilique femina, spasmis sub partu quamplurimum vexata, & in qua lochiorum defectus non minus, quam ipsa inflammatio spasmodicæ in vasis uteri contractionis ac eretismi magis effectus, quam causa est; venæsectio, imprimis repetita, non potest non debilitatem, spasmique causam augere. In casu *gastrico-nervosæ* febris cum locali hac inflammatione conjunctæ, facile malignam hæc, nec venæsectionibus dissipandam assumere naturam potest. Nec venæsectio indicabitur, ubi retenta in uteri cavo vel sanguis grumosus, vel placentæ portio, calori loci corrupta, sensibilem uteri substantiam irritaverint, ac inflammationis hoc in viscere symptomata induxerint: sed illa his in casibus conducent, quæ vel spasmos in utero, ac nervis sedare; vel irritantem ex abdomine causam ejicere; vel putrescentem ex uteri cavo materiam educere queant. Sub diuturnis ad partum laboribus tam vehemens utplurimum in vasorum, nervorumque syste-

mate agitatio, tam celeres pulsus, corporis ardor, sitis, inquietudo, tam insignes sunt, ut ardentissimam quivis tunc febrem, non expertus, adesse affirmaret. Brevi vero post partum tempore, si vel primiparas sat multas excipiamus, quamplurimæ mulieres doloribus, quos dolores partum insequentes nominant, tam violentis, quam fere ipsius partus labores fuere, excruciantur: quæ tamen singula, per plures sæpe horas extensa, vel per solitam uteri purgationem, — per quietem, lectique fotum utplurimum componuntur; vel leni narcotico oleosoque medicamento, fomentationi emollienti, antispasmodicæ, ac clysteribus quam optime cedunt.

Sed quotiescunque contraria in puerperis locum habent: ubi difficilior, vel & artificialis partus in vegeta & plethorica præcesserit femina; — ubi violentiæ utero illatæ suspicio est; — ubi pulsus duri, vibrantes, inflammatoriæ, cum illis, febris naturam ostendunt; — ubi lochia vel inopinato suppressa sunt, vel ob nimiam vasorum sub doloribus contractionem retardantur: tunc, si a venæsectione, præsentaneo inflammationum auxilio, recesserimus, quid porro ad præpediendam uteri gangrænam utile esse possit, intelliget nemo. Hinc in venæsectionibus, pro indicatione repetendis, omne hic artis auxilium quærendum est: eæque tam generales, quam, per sanguisugas perinæo, genitalium labris applicandas, locales, sine temporis jactura instituendæ sunt. Vana non modo, sed noxia sunt, quæcunque hic ad *pellenda*, ut dicunt, lochia præscribuntur: optimumque inter omnia *aristolochicum* hic erit *venæsectio*. Sub ipso vero lochiorum fluxu, vel purpura licet ad cutem apparente, si metritidis veræ signa adfuerint, venæsectio non differenda; sed sanguinis portio violentiæ morbi superandæ non impar, nec tarda nimis manu, detrahenda est.

Præter venæsectiones autem spasmum inflammatorium egregie solvunt tum fomentationes emollientes, quam minimo id fieri pondere potest, abdomini, — vel si cervix uteri inflammatione correpta fuerit, ope spongiæ, perinæo applicandæ; tum clysteres similes, qui frequenter satis, calore moderato, injiciendi sunt. Diarrhœam quidem puerperis funestam vulgus supponit: sed, nisi ipsius morbi violentia, aut latente forsitan intestinorum inflammatione violens per alvum fluxus excitetur, non modo lochiorum excretionem diarrhœa moderata, fæces pultaceas, ex flavo albas, circa tertiam, quartamve puerperii diem excernens, non suspendit; sed & illorum quodammodo vices egisse, observata est. Nimiam vero atque symptomaticam per intestina excretionem tum emulsio Arabica, tum opium, frenato jam majoris inflammationis impetu, coercent.

Cæterum hoc in morbo non minus, quam in alio inflammatoriæ naturæ affectu, antiphlogistica methodus, cum certa tamen cautela, adhibenda est: ne remedia, irritabilem nimis puerperæ naturam alio forsitan, quam cæteros ægrotantes, modo afficiant; atque vel tumultus, quos sedare contendimus, adaugeant; necessariam uteri purgationem divertant; vel demum vires, ultra quam par est, infringant. Quamvis autem caloris nimii non parvæ in puerperis noxæ esse observentur; illa tamen, quæ æqualem transpirationem suscitant, fracto jam inflammationis impetu, egregie conducunt: atque sic haustus salinus, ac lenia infusa diapnoica præscribi queunt. Ob præconceptam quidem opinionem puerperæ a re quavis, quæ vel minimum odorem spirat, apud nos quam tristissimos verentur effectus, cum multis in regionibus major vel apud sensilissimas cæterum mulieres in medendo libertas concedatur; interim & hic

feminarum persuasionibus, multorum sæpe symptomatum origini, reluctari non convenit: nec dissimulandum est, certos fortioresque medicaminum odores, aut & dulcia quævis, sub tam mobili nervorum statu, permultis a puerperio non sine damno offerri.

Injectiones in uterum inflammatum nec penetrant, nec facile aliter, quam irritando, agere possunt. Si tamen vagina ipsa magis, quam ille, laboret: tunc cauta mucilaginis Arabicæ lactisque tepidi injectio acriorem, hic facile stagnantem humorem eluit, ac spasmos relaxat. Latentia tamen in utero adhuc gravido, sed inflammato, fœtus putredine correptus; — vel in puerpera aut sanguis congrumatus, aut placentæ portio, quandocunque per os uteri apertum id liceat, circumspecte educenda sunt; atque hoc in casu, apud puerperas, injectio in ipsum uterum cautissime instituta, putridissimam ac stimulantem materiam eluit, educit.

Magna vero ubique spasmorum ac extremæ irritabilitatis in puerperis ratio habenda; & quotiescunque, inflammatione jam satis dissipata, istorum symptomata occurrunt, ex opio, blandissimisque remediis sedantibus, quamplurimum expectandum est.

Si uteri *suppurantis* signa (§. 226.) comparuerint, tunc omnes, quas alibi (§. 134.) exposuimus, regulæ observandæ: prius exitus per vaginam, aut si hoc ob sedem abscessus recuset, per intestinum, aut urethram, invitandus: ac vires vitæ, quo fieri modo licebit, conservandæ sunt.

Quid in vero ac jam perfecto uteri *scirrho*, & *carcinomate* faciendum sit, nos quidem felici experientia hoc in statu prorsus destituti non docebimus. Quid ab aliis tentatum fuerit, ac palliativæ saltem regulæ methodi, alibi a nobis fusius exponentur.

ORD. IV. GEN. III.

GASTRITIS.

Ventriculi consi-derat.

§. 229. *Ventriculus*, cujus nemo mirabilem in homine cum quovis viscere & cum universo corpore consensum, -- ac servitutem non minus, quam in singula imperium, ignorat; sub multis, iisque gravioribus morbis, num in amicis organis, num vero in se ipso, istorum sedes sit, dubium relinquit. Varia etiam, sub ætate, vivendi ratione, positione corporis, tempore, aliorum viscerum conditione diversis, ventriculi tum positio, tum capacitas & extensio est: ex quibus iterum, quem ad locum morbosa referri debeat sensatio, non parva nascitur in multis difficultas.

Definitio.

§. 230. Non infrequens stomachi humani morbus est *gastritis*, aut ejusdem inflammatio; cujus quidem signa principalia in febre acuta, in epigastrii tensione, ardore, dolore, in vomituritione, anxietate, singultu, ab assumptis quibusvis mox, & cum subitanea istorum rejectione, adauctis consistunt: sed in multis, qui ventriculi post mortem phlogosin obtulere, nunc plurima ex istis defuerunt; nunc, cum pars major symptomatum in ægrotante comparuisset, vel in cadavere inflammationis ad ventriculum in vanum quærebantur vestigia; vel ab aliis causis dictorum affectuum pependerat cohors, ac a medendi methodo, inflammationibus certe contraria, potuit dissipari.

Divisio.

§. 231. Attenta interim tam diri morbi consideratio, ac frequens cadaverum perlustratio docuerunt, ventriculum vel *totum*, vel *ex parte*, nunc profunde

satis ac *phlegmonosa* (§. 123.) inflammatione, -- nunc vero superficiali, ac *erysipelacea* phlogosi laborare; in his, stomachum *primaria*; -- *secundaria* in aliis inflammatione corripi: quæ ultima frequentius, quam illa, tum ad *erysipelaceas* pertinet; tum *occulta*, morborum sub fine, accenditur, ac *epidemico* nonnunquam influxu quamplures invadit. Nec minorem differentia *febris*, quæ gastritidem comitatur, hoc in morbo diversitatem parit; ac frequentius forte in ista, quam in quacunque alia, si *enteritidem* excipiamus, inflammatione, vel *gastricam*, vel *nervosam* febris indolem observamus; quando in aliis nec umbra quidem febris latentes hoc in viscere ignes prodit.

§. 232. *Gastritis phlegmnosa* aliarum inflammationum adinstar cum horrore frequenter adoritur, sequiturque æstus ad interna major, cum siti, & anxietate præmagna; cum præcordiorum ac regionis epigastricæ tensione, ardore & dolore a compressione quavis, vel & a solo digitorum, stragulorum attactu, aut fortiori inspiratione, vel tussi, vel nixu, intense mox adaucto. Sed non minus vel ad ipsum ventriculi cavum sensibilitatis morbosæ augmentum, ac nauseæ continuæ, vomituritio, dolens ructuum multorum explosio, multusque ab assumptis, imprimis paulo irritantibus, mox ardor, angustiæ sensus, ac demum vomitus, urgent. Hæc symptomata in casu graviori, ac nisi promptam opem feramus, citissime increscunt: ut vel paucus insipidus aquosos liquor, cum intolerabili ardore vix susceptus, aut solus, aut cum multa, & æruginosa bile, rejiciatur, cum interea alvus paucissima reddit, & in multis pertinaciter obstruitur. Interea pulsus utplurimum parvi, frequentes, contracti & duri, vel & intermittentes, inæquales observantur; vigiliæ, inquietudo, jactatio, dyspnœa, Phlegm. symptom.

sitis, oris siccitas continuo augentur; supperadditur singultus, dolorem visceris insigniter excitans; facies collapsa, cum extremitatum perfrigerio, virium prostratione summa, ac, spasmo ad duodenum extenso comparente in quibusdam ictero; nonnunquam cum deliriis: donec, cessante quovis in epigastrio aut ardore, aut dolore, — crescente ventriculi, abdominis flatulenta intumescentia, regurgitatione potus, & crebra seri cum impetu quodam effusione, extremitatum marmoreo vix non frigore, fatalis in ventriculo gangrænæ signa cum lipothymiis, convulsionibus compareant, in illa mortis brevi tempore convertenda.

Gastrit. erysipelat.

§. 233. *Gastritidis erysipelatosæ* natura, nisi ex febris inflammatoriæ absentia, & causarum illi faventium apparatu, difficulter eruitur. Si post erysipelas aliudve exanthema ad externa corporis evanescens gastritidis symptomata insurgant; si oris, fauciumque ardor ac phlogosis adesse observentur; si febris gastrica, nervosa, aut aphthæ præcesserint, ac sub majori jam corporis debilitate, vel in subjecto cachetico, inflammationis ad ventriculum phœnomena insequantur; si venenosa, aut suspecta materies deglutita, hæc ipsa induxerit; si interiora urantur, exteriora vero frigeant, rigeantque: tunc ad *erysipelatosam* gastritidis naturam sat tuto concluditur.

Differ. ab aliis morb.

§. 234. Maxime tamen interest, illorum, quæ de ventriculi sensibilitate in gastricis febribus morbosa (§. 103.) dicta sunt, non oblivisci, ac genitos a bile acriori, aut saburris ad stomachum dolores, cum gastritide nunquam confundere. *Choleram*, rariorem ac fere autumnalem morbum, ex præcipiti ac violenta per œsophagum ac anum evacuatione, & quod,

vel potu nullo assumpto, continuus tamen, & copiosus hic vomitus urgeat, nec tantus ab illo mox ardor in ventriculo persentiatur, & quod febre careat, a gastritide distinguemus. *Cardialgia*, tum febris iterum, tum sitis majoris absentia, ardore non tam igneo ac fixo, tandem vero per reliquam aut medicamenta, aut potum saltem aliquem assumendi potestatem, a gastritide differt. Musculorum epigastrii, ac peritonæi eisdem substrati inflammatio (§. 214.), tumorem externum, calentem, ab attactu magis dolentem, circumscriptum, ac mitiora longe, quam gastritis, symptomata offert. Difficilior interdum *hepatitidis*, in gastritidem facile transeuntis, ab hac ipsa distinctio erit: sed deest, saltem a morbi principio, intensus ille ad ventriculum ardor; nec a quovis mox assumpto vel potu, vel medicamine, vomitus tam subito ac sub tantis angustiis excitatur, nec pulsus hic tam frequentes, tamque contracti & exiles quam in gastritide ipsa, comparent.

§. 235. Quæ alias inflammationes, — hæ & gastritidem causæ inducere solent. Frequentissimæ tum ex istis, tum ex aliis, ventriculo fere propriis, sunt: læsiones externæ, contusio, vulnus, hernia, res deglutitæ, tum vi mechanica, tum acredine ventriculum stimulantes, lacerantes, pungentes, erodentes: ut vitrum, aciculæ, ossa acuta, venena corrosiva, imprimis arsenicum, mercurius sublimatus: emetica, cathartica, fungi, aliaque ex venenosis vegetabilia, balneum frigidum, aut potus glaciatus, glacies ipsa, æstuandi ventriculo copiose affatimque ingesta; vel & calidissimus cibus, aut ardentissimus vini spiritus incaute ingurgitatus, extensio ventriculi nimia ab alimentis fermentantibus, durioribus; vulnera, læsiones aliæ capitis, quæ singulari

Causæ.

in abdominis viscera influxu, hepar, ventriculum etc., inflammant, & abscessus hic loci inducunt. Ad internas magis gastritidis causas spectant: visceris propinqui, omenti, intestinorum, hepatis, lienis, diaphragmatis inflammatio; acre quodcunque vel in stomacho, vel in alia corporis parte generatum, evolutum, vel ad eundem depositum, quo spectant saburrales ac biliosæ materiæ sub fine febrium gastricarum; acre arthriticum, toties a pedibus ad ventriculum aberrans; nec minus rheumatica, erysipelacea, ulcerosa, scabiosa, scorbutica, exanthematica quævis acrimonia, diarrhœa critica, vel & habitualis, aut hæmorrhagia naturalis, vel solita, imprimis illa hæmorrhoidum, suppressa; excandescentia animi vehemens, & assumpta mox ab ista emeticum aut drastica remedia, vel potus frigidissimus.

Prognosis.

§. 236. Summa hunc morbum, ob sensilissimam ac consentientem ventriculi cum universo corpore naturam, pericula premunt; sub quibus tam celeri nonnunquam morte rapiuntur ægroti, ut convulsione magis, aut momentanea actionum vitalium abolitione, ex solo nervorum in easdem imperio derivanda, quam alio videantur extingui inflammationis eventu. Sæpius tamen per paucos vix dies extensi morbi effectus in membranæ ventriculi internæ gangræna, totidemque maculis latis, aut petechiæ similibus vix exterius conspiciendo ad ventriculum vitio, consistit. Post venena assumpta a podagra, retrogressa, atque in subjectis admodum sensibilibus, celerrimus morbi decursus; paulo vero lentior in illis est, qui ex causa minus violenta hoc ipso decumbunt. Gastritis *erysipelacea* (§. 232.), nec non illa, quæ cum febre nervosa incedit, in gangrænam promptissime conver-

titur : *phlegmonosa* vero (§. 231.), nisi resolvatur, atque sub minori, quam qui illam inducat, impetu, in abscessus aut vomicas; — his autem vel in cavum abdominis, vel in viscerum vicinorum substantiam, aut, quod feliciori nonnunquam omine contingit, in ventriculi ipsius cavum apertis: in sordida non raro ulcera mutatur.

Resolutionem exspectamus, si causæ minus violentæ, nec deleteriæ prorsus naturæ, aptissima sub ipso morbi principio medela impugnari queant; si post celebratas venæsectiones arteriæ dilatentur pulsusque insurgant; si ardor extremus atque dolor ventriculi moderentur; si deglutiti portio potus retineri queat, & alvus sponte reseretur. Interim & aliæ per sudores, urinam, imprimis vero per alvum excretiones benigniorem morbi judicationem confirmant. Resolutio.

In *suppurationem* abiisse gastritidem, ex febris diuturnitate ac vehementia, dein vero ex dolorum remissione, anxietate tamen & nausea nequaquam evanescente, ex ponderis ad ventriculum sensu, ac demum signis, quæ internis suppurationibus propria esse diximus (§. 128.), pernoscimus. Si ad ventriculi cavum aperiatur abscessus: tunc copiosa, cum sanguine interdum commixta, purulenta materies per vomitum, vel & per intestina, rejicitur. Rarum est, ventriculum cum peritonæo, quo loco abscessus in illo latet, concretum, purulentam materiam per erosam epigastrii, vel & umbilici regionem eructasse. Si abdominis in cavum abscessus rumpatur, mors certa; — & si ad viscera vicina pus destillet, tabes purulenta, & hydrops, non minus lethalia, succedent: quæ & *ulcera ventriculi*, continuante in eodem ardore, dolore ab assumptis, imprimis acrioribus, aut a compressione epigastrii, perpetuo adaucto, cum singultu ac vomitu frequenti, purulentæ, Suppuratio.

saniosæ, ac viscidissimæ, aut & fœtidæ materiæ portionem, aut purum, multumque sanguinem hinc inde rejiciente, frequentes terminabunt.

Scirrhus. In *scirrhum* gastritis frequenter abire non videtur, illius vero signa ex alio melius, quam hoc ipso, loco patebunt.

Gangræna. *Gangrænam* ex gastritide, ex ultimis lethalis morbi signis (§. 231.) facile prævidemus, noscimusque præsentem.

Cura. §. 237. De illis, quæ ad *præcavendam* gastritidem necessaria sunt, longior, quam ut hic tradi posset, doctrina foret. Causarum certe, quod ubique monemus, potissimam haberi rationem, easque vel expelli subito, vel corrigi, vel demum partes involventibus, oleosis, glutinosis remediis, ab iisdem defendi oportet. Ast cum primum ab accersito tardius Medico præstari non semper queat; secundum vero, certiorem specificæ causæ aut veneni cognitionem, quam quæ sub his rerum angustiis sat cito acquiri ubique posset, supponat; hæc ipsa etiam causæ irritantis cognitio, illam *antidotorum*, ex chemicis sæpe principiis, aut ab experientiæ multiplicis doctrina repetendorum, sibi requirit: quæ ipsa, ex aliis Medicinæ fontibus haurienda, scituque quam maxime necessaria, hic loci exponi non potest.

Præsentem vero stomachi inflammationem, causis, in quantum permittitur, abactis, mutatis, imminutis, si phlegmonosam habere indolem, & cum inflammatoria febre incedere videatur (§. 231.); venæsectionem promptam, abundantem, nec a pulsuum parvitate, nec extremitatum a frigore, vitalisque inertia principii arcendam, pro symptomatum atrocitate sæpius, & ad regulas alibi expositas, repetendam, sibi exigit. Ipsa vero stomachi regio, to-

tumque abdomen linimento volatili, cui opii portio commixta sit, illinienda, ac emolliente decocto, vel lacte tepido, in quo sapo solutus sit, fovenda sunt. Post institutam aliquoties venæsectionem, largum satis cum cantharidibus emplastrum, ut rubefaciens, ventriculi regioni applicandum est. Cum vero medicamentis sub inflammatione indicatis, ob summam ventriculi sensibilitatem ac vomitum, locus esse non queat: hæc ipsa frequenti, sed non largo nimis, clystere per anum injicienda sunt. Quæcunque vero ob extremam sitim ægrotus ingerere tentat, hæc blandissima & demulcentia esse, ac parva simul copia assumi oportet, optimumque hic potum emulsio Arabica cum dupla quantitate aquæ non frigidæ remixta constituet. Quemadmodum autem emeticum his sub rerum circumstantiis præscriptum omnino effectus habere consuevit; sic & cathartica remedia, ab egregiis licet viris sub complicatione *inflammatorio-gastrica* proposita, non prius certe, quam inflammatione jam maxime infracta, præscribimus; nec salinum facile remedium, sed mannam emulsione Arabica solutam, vel solam hanc emulsionem, cum *ricini* oleo paratam, consulimus. Ipsum adeo, qui ad compescendum vomitum laudatur, *haustum antemeticum*, ob copiosum aerem, qui ab effervescente liquido evolvitur, non sine justis rationibus reformidamus; nec *opio* prius, quam abacta jam formidine inflammationis, ubi reliquam ventriculi sensibilitatem corrigit, fidem adhibemus. Clystere porrectum hoc medicamentum, tutius hoc in casu operabitur.

Erysipelaceam gastritidem, nisi cum febre inflammatoria manifesta incedentem, venæsectiones exasperant; isque morbus remedia principali, a qua vix non semper pendet, affectioni conducentia exposcit. Sæpius hic vesicans epigastrio superimpositum, cu-

curbitulæ siccæ, sub dubia venæsectionis indicatione, cruentæ, in auxilium trahenda sunt: ac si acris, saburralis materia ventriculum inflammare videatur, blandissima iterum, quæ vix indicavimus, evacuantia, vel serum lactis tamarindinatum; — &, si vomitus hæc ipsa excludat, clysteres ex nitro, tamarindorum pulpa in aqua solutis; vel interdum, sub majori jam a febre *nervosa* debilitate, cortex cum camphora ano infusus, conducent.

Suppurationem stomachi, nisi sola natura, Medicus certe non sanat. Quotiescunque interim hæc subesse videatur: sub parcissimis, iisque liquidis alimentis, potuque emolliente, abscessus in ventriculum, forte salutarem depletionem patienter exspectamus. Reliquum ab illo in ventriculo, quamplurimum lethale *ulcus*, præter tenuissimum iterum victum ex ovi recentis vitello in jusculo carnis soluto similibusque quærendum, vix alia, nec certe balsamica sic dicta remedia perferre observatur. Imprægnatæ ab aere fixo aquæ, cum tenui lactis asinini portione, ac ipse Peruvianus cortex clystere injectus, tentari his sub angustiis queunt.

ORD. IV. GEN. IV.

ENTERITIS.

Natura morbi. §. 238. Intestina non minus, quam ventriculus, inflammationem, -- rarius certe, quam iste, *phlegmonosam* (§. 231.); frequentius *erysipelatosam* (§. 232.) atque hanc ab aliis sæpissime affectibus *symptomatice* pendentem, patiuntur.

Definitio. §. 239. Hic igitur morbus (§. 237.) *Enteritis* vo-

catur: cujus symptomata, ob ampliora, quæ intestina occupant, spatia, ob incertam ac volubilem magis eorundem directionem, ac demum ob insignem canalis longitudinem, difficilius in unam, quæ singula comprehendat, definitionem trahuntur. Interim, quotiescunque morbus (quod tam raro haud fieri, cadaverum sectiones docuere) *occultius* non incedit, tunc febris acuta, cum tensione ac dolore interno, vel ad unam, vel ad omnes abdominis regiones extenso, ardente, pungente, acutissimo, per vices moderato, sed mox redeunte, ac ad summam atrocitatem adaucto, cum vomituritione ac vomitu, meteorismo, pertinaci utplurimum alvi obstructione, ac interdum cum diarrhœa, & tenesmo, observantur.

§. 240. Incipit igitur *Enteritis* interdum cum horrore; alias, sine illo. Abdominis cruciatus, sæpius certe circa umbilicum, quam altero quovis in loco, -- in aliis, ad circumscriptam abdominis plagam, aut per totam ventris molem extensus, sat fixus, & sæpe ardens, nunc aliquam ægrotanti quietem concedens, nunc vero immani tormine rediens, hunc ipsum aggreditur. Hucusque pro ventris tormine, aut colicæ specie flatulentæ hic dolor habetur: imprimis cum ructus inanes ac fere assidui, nec non alvi utplurimum obstructio, & borborygmi copiose subintrent. Interim recrudescentem æger ad intestina cruciatum præsentiens, vultu & oculis insoliti quid, & quasi terrefacti habentibus, ejulatu, ceu præsentem exhorret & aversatur. Sub majori ejusdem sensu tum nausea, ac vomituritio, tum vomitus ipse, quamplures invadunt. Pulsus interea humiles, frequentes, & debiles potius, ac qui, si bene attendamus, sibi dissimiles, vel & duri observentur. Symptomata.

Lingua in multis admodum rubra est & arida, sitisque quamplurima vexat. Venter nunc manifeste satis tenditur, atque, constrictis spasmodice abdominis musculis, & durior redditur, & attactum fere quemvis dolentissimus recusat. Nec rarum est, vel ipsam spasmodice claudi anum; vel frequentem ad emittendum lotium persentiri stimulum, hocque ipsum cum dolore ac tenesmo excerni. Præterea de æstu interno, viscerumque abdominalium ardore, anxius & inquietus conqueritur, siti quamplurima vexatus, viribusque jam plurimum prostratis decumbens ægrotus. Aucto in horas malo, fixior, constantior, ac intolerabilis magis dolor evadit; accedit singultus, vomitus increscit, atque quamplurimum æruginosæ ac herbaceæ bilis ejicitur.

Quamvis vero integrum persæpe abdomen in enteritide doleat, ardeatque; est tamen, ubi, saltem a primis hujus morbi initiis, ad affecti naturam intestini, sedemque mali distinctam concludere licet. Ubi dolor ad medium fere ventrem, ac circa umbilicum urget: intestina utplurimum laborant tenuia; eoque in casu citius, quam si crassa inflammata essent, assumpta per vomitum rejiciuntur. Ubi symptomata sub hypochondriis magis, sub pleuritidis quasi, aut hepatitidis specie, -- vel ex uno illorum ad alterum, tensæ fere chordæ adinstar, ac sub ventriculo, hepate, liene, vel circa renes, majora observantur: tunc intestinum vel cæcum, vel colon inflammatione tenetur. Si ad lumbos profunde dolor hæreat, & ad alvum crebrius desideat, nihilque, præter mucum tenacem, dejiciat, aut cum tenesmo, urinæ stillicidio, vel hæmorrhoidalium vasorum inflatione prehendatur ægrotus: rectum tunc intestinum incenditur.

Quocunque vero in loco inflammatio intestinum circumdet; obturata tandem, vel ob summam irritationem contracta, aut ob herniam simul compressa ejusdem cavitate, assumpta quævis, &, continuato diutius vomitu, ipsæ adeo *fæcales*, ac fœtidissimæ materiæ, per hunc ipsum rejiciuntur; nasciturque *Ileus*, plurimarum certe causarum, rarissime *volvuli*, a quo hinc male nomen assumpsit, effectus magis, quam ipse morbus. Nec his quidem sub circumstantiis venter ubique clausus est: sed interdum sub ipsa intestinorum inflammatione liquidam, vel & subcruentam materiam deponit. Ileus.

§. 241. Atque hic quidem ordinarius morbi decursus observatur. Sed quantum non expertos licet viros hæc signa, in aliis tam manifesta, interdum fallunt! Sæpe nempe nec febris in pulsibus umbra (§. 238.); ardor, dolor ad intestina aut nullus, aut certe non vehemens; nec fere ulla tam diri morbi phœnomena observantur: cum vel ubique inflammatio, symptomatica plerumque, intestina, vel ipsa jam gangræna tenet. Non quidem ubicunque post mortem vel livescebant, vel sanguine hinc inde suffusa apparuere; in viventibus intestina affectu idcirco inflammatorio laborarunt; multisque in febribus tum inflammatoriis (§. 114.), tum gastricis (§. 104.), intestinalium vasorum sanguineus infarctus, vel ex ipso circulationis in partibus aliis impedimento; vel ex eorundem quasi dimidia, per infensam nervis putrilaginem inducta in intestinis paralysi derivandus est. Rarior quoque *Enteritis* est, in qua post mortem intestina, quod aliæ partes inflammatæ faciunt, conspicue crassescant, tumeantque adeo, ut pars major cavi a phlegmone in illis præcludatur; sed tamen singula erysipelaceæ saltem in- Cautelæ.

flammationis, & mortis ex eadem derivandæ signa in cadaveribus illorum interdum occurrunt, de quibus, ne per insomnium quidem, inflammationem subesse Medentes credidissent. Hæc interim *silentis* magis naturæ, quam istorum errore prætervidentur; sufficitque hanc artis humanæ imperfectionem eo potissimum fine adnotasse, ne in tam fallaci morbo vel parvis quidem signis attentionem recusemus; ac ne ob plurium symptomatum (§. 239.) defectum mox ad illum inflammationis præpostere concludamus.

Causæ. §. 242. Enteritidis causæ cum illis gastritidis (§. 234.) quamplurimum conveniunt. Ex ipso hinc inde ventriculo ad intestina phlogosis aut dilatatur ac descendit; aut, illo relicto, hæc ipsa aggreditur. Frigus vel abdomini, vel pedibus diutius admotum, spasmi violenti, quibuscunque a causis intestinalem tubum occupantes, acre biliosum, putridum, exanthematicum, saniosum, rheumaticum, venenosum, dysentericum, erysipelaceum, aliud, cathartica fortiora, seu drastica, intestinalem mucum deradentia, aloetica imprimis ac abortiva remedia, hæmorrhoidum, lochiorum, menstruorum suppressio, volvulus, materies dura intestinorum tubum infarciens, vermes intestina lædentes, perforantes, vicini visceris, vel et mesenterii, peritonæi inflammatio, compressio quævis subitanea, vix externa abdomini illata, herniæ incarceratæ, prolapsus intestinorum ex abdominali vulnere &c.

Prognosis. §. 243. *Enteritis erysipelacea* (237.), tum illa, quæ primaria est, tum illa imprimis, quæ aliarum affectionum ftequentissimam sobolem sistit, has ipsas funesto plerumque fine, ac in lethalen *gangrænam* præcipitat. Nec multo minora *phlegmonosi* morbi peri-

cula erunt, si frequenti ejusdem per gangrænam, fini, *suppurationis*, in quam nonnunquam terminatur, discrimina addamus. Utraque enteritidis sibi ipsi commissa species brevissimo certe, ac sæpe unius, vel paucorum dierum intervallo, interdum vero unius spatio hebdomadæ, vel paulo tardius, in sphacelum mortemque convertitur; nec quisquam intestinorum gangrænam, nisi quandoque sub hernia incarcerata, intestino cum integumentis abdominalibus in *anum artificialem* concreto, — vel rarissimo *volvuli gangrænosi* per intestinum, sine continui solutione, excreti exemplo, superavit. Quæ in *Enteritide*, maxime *dysenterica*, interdum partes membranaceæ, ac intestinalem fere tubum referentes exuviæ per anum secedunt: illæ coagulatæ, ac intestinorum formæ adhærentis lymphæ opus polyposum sistunt.

Quamvis interim enteritidis feliciter abactæ historiæ sæpe colicam magis, ac spasmodicam hujus canalis affectionem, quam veram intestinorum inflammationem, referre videantur; certum tamen est, hanc ipsam sub recta methodo non tam raro, aliarum adinstar, per *resolutionem* terminari: quæ tum largo satis & æquali sudore, ac urina sedimentum puriforme, lateritium deponente; tum blanda diarrhœa vel puriformem iterum, vei subcruentam, biliosamque materiam excernente, manifestatur. Crassorum intestinorum inflammatio, tenuiorum illa forte minus timenda, per hæmorrhoidum fluxum solvitur felicius. Sæpius autem, quam quod de prægressa enteritide constet, intestina in cadaveribus tum inter se ipsa, tum vero cum peritonæo morbose cohærent (§. 219.): ex quo patet, frequentiorem, quam supponitur, utriusque superficiei phlogosin esse; nec ubique *resolutionem* cum perfecta læsarum partium integritate absolvi. Resolutio.

Suppuratio.

Suppurationis intestinalis signa cum illis aliarum (§. 128.) partium conveniunt; sed, nisi firmiori sub enteritidis prægressæ diagnosi, dubiis sæpe non paucis subjecta est, atque in multis gratis admodum supposita fuit, intestinorum *exulceratio*. Quemadmodum vero ex suppuratis visceribus intestino vicinis purulenta materies ad hoc ipsum sibi viam facillime parat (§§. 219. 226. 235.): sic & ab ipso intestinali abscessu, *pus* factum, nisi ad cavum intestini, abdominis, descenderit; in vicina illi viscera, vel per abscessum ad peritonæum, musculosque abdominales, umbilicum, facillime, prout de *colo* intestino novimus, depletur. In crassis frequentiorem, quam in tenuibus intestinis, suppurationem, — in his vero gangrænæ uberiorem conspeximus progeniem. Copiosissime ad *Rectum* tum abscessus, tum fistulæ contingunt; quæ toties pro *hæmorrhoidum* fluxu incautis diu imposuerunt. Tribus nos exemplis & *Colon*, & *Rectum* intestinum sub inflammatione cum vesica urinali in viris concrevisse, atque suppurata, in hanc ipsam, purulentam non modo, sed & fæcalem deposuisse materiam, observavimus. Sub his vero circumstantiis urinam nunc per septimanas nullam, — sed flatus fœtidissimos atque copiosos per urethram prorupisse intelleximus; alio vero tempore lotium putridissimum, fæcalem odorem spirans, turbidum crassumque per urethram iisdem ægrotantibus fluebat: qui, cum prius per tantum tempus ex urethra urinam non reddidissent, hanc ipsam *urinali diarrhœa* laborantes per anum copiose excreverunt, ac unus hæmorrhagia ex pene, — alter hydrope confectus, — tertius cum meteorismo, singuli vero ex forti simul intestini, vesicæ sphacelo, perierunt.

Induratio.

Ex causis lentis, & infarctu vasorum ac glandularum chronico magis, quam inflammatorio, scirrhi,

tum alii (§§. 129. 235.), tum intestinorum, nasci videntur. Sed tamen, cum non infrequens ad *Rectum* ex hæmorroidali utplurimum causa observetur phlogosis, frequentior fere in hoc ipso, quam in alio quocunque intestino, *induratio* observatur: vidimusque talem, quæ ex suppressa in femina atque mox ad anum conversa blennorrhœa originem sumens, hoc intestinum ad extremam angustiam reduxit. Frequentius certe aliorum quoque intestinorum diversis in locis coarctatio, & quasi callositas, quam scirrhus, in cadaveribus offertur; ac licet illa ex causis etiam non inflammatoriis generari hinc inde videatur, vix tamen dubitari potest, has intestinorum angustias ex prægressa in istis, sæpe occulta, phlogosi originem frequenter habuisse. Oportet autem, ut in angustiorem diametrum contracto, ac indurato fere alimentario tubo, semidigestorum descensui ciborum non parva obstacula ponantur; utque pars intestini contracto loco superior tum ab illis, tum a flatu hic facile collectis, non raro in amplum saccum, plurimorum sedem malorum, ac in frequentem præcipue vomitus, obstructæ alvi, ac torminum originem dilatetur: quæ incommoda, pro varia obstaculi positione ac magnitudine, diversos in ægrotantibus effectus habebunt, ac sub scirrhi generali expositione ulterius considerari merentur.

Enteritidis in *gangrænam* conversæ symptomata tum ex præcipuis gangrænæ signis (§. 130.), tum ex omnimoda torminum cessatione, ex meteorismo adaucto, singultu continuo, sonoro, pulsu exili, debilissimo, intermittente, facie Hippocratica, deliriis, stupore, extremitatibus frigidis, sudore glutinoso obductis, regurgitatione materiæ biliosæ, aut insipidæ, vel & stercorosæ; ex fæcum liquidarum, ichorosarum, albescentium, olidissimarum secessu per al-

vum, anxietate maxima, & frequenti deliquio, repetuntur. Cum præsente intestinorum gangræna, mens redit interdum serena; ac de recuperata salute, qui post horas non multas cadaver erit, lætus sibi gratulatur.

Hydrops acutus. Sed & in hac inflammationis specie *hydrops* ille *acutus* (§. 126.), quemadmodum de *peritonitide* dictum est (§. 216.), cum socia frequentius, & post dies non multos insequente gangræna, observatur. Hæc est imprimis *colicæ* illius, *inflammatoriæ* certe, species: ex qua Scriptores, pauci licet, hydropem interdum oriri, quin ejusdem satis determinaverint naturam, dixere. Cum vero copiosum nonnunquam hic serum abdominis in cavo fluctuat, puriformis interim, & caseosa quasi, graviorque materia, vel in fundo pelvis detinetur, vel ipsis intestinis tenacissime adhæret: quæ, resorpto forsitan frequentius sero, morbosis intestinorum cohæsionibus (§. 219.) non raram largitur originem.

Cura. §. 244. Quas pro curanda gastritide proposuimus (§. 236.), illæ non minus pro *Enteritide* tractanda valebunt regulæ. Ac primum quidem de causis removendis cogitandum est. Hinc si hernia incarcerata subfuerit, intestinum strangulatum promptissime reponendum, aut herniotomia suscipienda est. Si venenum, aut drastica irritationem produxerint; illorum actio si *specifico* præpediri remedio non queat, oleosis & pinguibus tam ore, quam per intestinum ingerendis, infringatur oportet. Putridarum sordium, sub fine morbi, enteritidem generantium copia & acredo, lenia sibi evacuantia ex sero lactis, tamarindo, cassia, manna, vel ex oleo, imprimis ricini, tum vero clysteres ex *pauco* chamomillæ infuso, vel aqua cum oxymele, sibi exigit. Si a retrogresso vel exan-

themate, vel acri rheumatico, alio, originem inflammatio petierit; præter alia, vesicans, sinapismi ad partem prius infectam indicabuntur. Si hæmorrhoidum, menstruorum, lochiorum suppressio, ac plethora abdominalis induxerint ægritudinem; præter venæsectionem generalem, hirudinum applicatio ad anum, perinæum, pudenda, potissimum conveniet &c.

Veram dein atque *idiopathicam Enteritidem* licet pulsus, ob doloris, spasmique universalis rationes, ut in *gastritide*, contracti, parvi, ac debiles, — licet virium prostratio non parva subesse appareant; quemadmodum in hac ipsa (§. 237.), donec arteriæ insurgant, repetita venæsectione percurari oportet. Atqui his præstitis, majora iterum ex sanguisugis, prout fieri vix jussimus, applicitis, nec non ex cucurbitulis abdomini superimpositis, auxilia obtinentur. Huic ipsi interea, vel unguento altheæ, vel oleo cum camphora liberaliter inuncto, fomentationes emollientes ex lacte cum sapone solerter imponimus; vel ægrotantem ipsum, nisi anxietas ac summa inquietudo id fieri prohibeant, tepido semicupio committimus, ac a quovis, post hoc, refrigerio custodimus. Clysteres oleosi, vel ex emulsione Arabica, in pauca quantitate, nisi fortior in recto intestino inflammatio eos vetet, & nunc injiciendi sunt. Infelici autem consilio, hoc in affectu, vel enemata ex acribus irritantibus, ex tartaro emetico, vel ex ipso adeo Nicotianæ fumo applicantur; vel purgantia stimulantia, aut crudus mercurius præscribuntur; & rebellis alvi obstructio inflammationis vix unquam pro causa, sed pro effectu erit habenda.

Quod vero in aliis inflammationibus, — hoc & in *Enteritide*, imprimis *rheumatica*, a vesicante emplastro dolenti loco superimposito interdum lucramur

auxilium. Remedia interna ex emollientibus, mucilaginosis, tepide porrectis, petenda sunt; nec salibus mediis tantus hic, quam alibi, usus, nisi cautus, esse potest. *Opium*, quousque inflammatoria vigent symptomata, nequaquam in hoc morbo indicatur: jam fracto vero illorum impetu, sub iisdem, ac in *gastritide* (§. 237.), cautelis, interdum, & cum emulsione Arabica porrectum, locum habebit. Simile de *camphoræ* usu, si forte fractæ per venæsectiones vires eandem exigere videantur, judicium esto. Utrumque vero remedium si indicetur, per superiora, ubi *crassa intestina* inflammatione laborare videntur; — in *tenuium* vero phlogosi, per anum, ingeratur oportet. Si per lenem, ac subcruentam interdum diarrhœam hic morbus solvi videatur (§. 243.); tunc serum lactis tamarindinatum, aut mannæ in emulsione Arabica solutio, eandem cum fructu promovebunt.

Suppuratio intestinorum cum alio tamen eorundem affectu confundi solita (§. 243.) iisdem, quam quæ in *gastritide* proposita sunt (§. 237.), remediis tractanda, rarissimam tamen, si ullam, medelam admittet. Abscessus ac fistulæ ad *Rectum* intestinum, si exterius magis, ac quo loco manibus accessus datur, compareant, a Chirurgia non raro auxilium agnoscunt.

Indurationes intestinorum, tum illæ quæ ex chronico affectu, tum quæ ex inflammatione oriuntur, difficilis admodum diagnosis, sed curationis longe difficilioris, vixque istius capacem morbum sistunt. Angustissimum interim ex prævia inflammatione Rectum intestinum, cum ad ani tantummodo confinia diuturna coarctatio hæreret, frequenti clysterum pinguiorum, ac pessariorum ex *butyro cacao* paratorum usu, nec non candelis huic intestino, ut in urethræ

morbis facimus, per longum tempus immissis, feliciter dilatavimus.

Qui ex enteritide convaluere, illis selectus ciborum cautissimus imponatur necesse est; atque tum acria, tum flatulenta, maxime vero duriora alimenta, vix devictum revocare morbum facillime possunt. Similia de remediis spirituosis, aromaticis, adstringentibus incaute subministratis dicenda sunt. Conveniunt interdum aquæ martiales, infusum chinæ frigidum, & quæcunque sensiliorum intestinorum tubum sine stimulo majori ad pristinas revocare functiones queant.

ORD. IV. GEN. V.

HEPATITIS.

§. 245. Frequentior chronicorum, quam acutorum, hepar sedes morborum est. Inter hos ipsos, licet multiplices esse non sine ratione aliqua suspicemur, solum fere, quem cognoscamus, *hepatitis*, seu *jecinoris inflammatio*, constituit. Hæc frequentius iterum *symptomatica*, & *erysipelaceæ* sæpius naturæ, quam *idiopathica* & *phlegmonosa* observatur; hepatisque nunc superficiem *externam*, eamque vel *convexam*, vel *concavam*, nunc vero *internam* hujus visceris substantiam occupat. Non tamen eodem hæc ubique se modo habent; sed frequentiorem alio sub cœlo ac *endemicam* apud *Indos Orientales* hepatitis morbum offert: atque si rarior apud nostros affectio dicatur, oportet de ea, quæ *epidemica* interdum occurrit, ac de illa, quæ suis se manifestam reddit signis, sermonem esse, cum non tam infrequens *abscessuum hepaticorum* ratio *occultam* sæpe, & *chronicam*, hujus

Natura morbi.

morbi naturam esse abunde demonstret. Post *pulmones*, ac *cerebrum*, nullum fere viscus est, quod *hæreditario* magis, quam hepar, jure ægrotet; novimusque familias, quibus non chronicis modo, sed inflammatoriis adeo affectibus, singulari protinus dispositione, hepar frequentius laboraret.

Definitio. §. 246. Ex tam diversa inflammationis sede ac natura (§. 245.) apparet satis, *hepatitidis* symptomata non facile tam angustis definitionis circumscribi posse cancellis; atque tum ipsius vel maximi visceris moles, positio, extensio, cuivis fere ætati alia, -- tum varia in parte vel hac, vel illa, ejusdem sensibilitas, sat clare docent, eundem, vel eodem in organo, morbum, phœnomena inter se penitus diversa producere oportere. Quotiescunque interim acutarum more, nec occulte, hepatitis incedit, tunc febris, hypochondrii tensi, humeri, claviculæ in dextro latere dolor, decubitus nunc in hoc, nunc illud in latus difficilis, cum dyspnœa, tussi sicca, singultu, ac sæpe cum nausea & vomitu, observantur.

Symptomata. §. 247. Cæterarum inflammationum adinstar, *hepatitis* cum horrore, interdum sat magno & diuturno, invadit. Nunc magnus in præcordiis æstus, & calor universalis cum intensa siti mox excipit. Si ad convexam inflammatio partem hepar occupet; dolor acutior, lancinans, & pungens, quasi pleuriticus, illinc persentitur, ac difficilis in dextrum latus utplurimum decubitus observatur. Si concavam hepatis regionem vexaverit phlogosis; tunc in sinistram partem ægrius convertitur patiens, ac plura circa stomachum incommoda, nausea, vomitus bilis æru-

ginosæ, epigastrii tensio, nec raro icterus, & frequentior, subinde strangulans ægrotum singultus, comparent. Nec rarum hoc in casu est, ex hepate phlogosin ad ventriculum transire. Hypochondrii dextri *tumor*, nonnisi sub majori inflammati visceris volumine, aut sede morbi a costis vix obtecta, aut denique jecinore per manum ex sede sua quidquam expulso, conspicuus redditur; sed tensio vix non semper major, ac dolor attactum recusans hunc locum denotat. Minor interim hic erit sensus, cum partem jecinoris posticam & superiorem, sub diaphragmatis fornice sepultam; -- aut inferiorem & dorsalem, costarum sub arcu profunde latentem, inflammatio tenuerit: quo in casu vel singultus iterum frequentior, dyspnœa ac tussis major, cum doloris sub inspiratione augmento, --vel lumborum, & dextri quasi renis cruciatus, præcipue urgent. Ex vicino diaphragmati hepate, inflammatio istius facile per illud ad pulmonem dextrum, -- vel inflammato hoc pulmone, quod pluries conspeximus, ad jecur transfertur. In ipsius quidem substantiæ hepaticæ phlegmone dolor utplurimum obtusus, aut gravativus occurrit; sed acutissimum certe ac lancinantem, ex abscessu in medio jecinoris parenchymate latente, dolorem observavimus. Pro vario etiam inflammati hepatis incremento, pondus hujus visceris non parum mutatur; & ad duplum interdum aucta ejusdem moles tum compressione sua in vicinum ventriculum, duodenum intestinum, pectus ipsum, -- tum diaphragmate sub expiratione in ascensu suo impedito, nunc angustiæ, plenitudinis, ac suffocationis, nunc appensi quasi diaphragmati ac sterno ponderis gravioris, distendentis, sensum producit. Si, quod junioribus proprium, sed neque apud adultos tam rarum est, hepar, ad sinistrum hypochondrium ad lie-

nem usque extensum, inflammetur: tunc dolor, tensio, vel & tumor, tactusque impatientia ad epigastrii magis regionem observatur, ac majores tum ad ventriculum, tum ad diaphragma turbæ occurrunt. Non in quavis hepatitide aut singultus, aut humeri, claviculæ, jugulique dolor occurrunt; nec iste ad dextra perpetuo, sed interdum etiam, licet rarius, ad sinistra percipitur; & ad brachium, præcipue dextrum, subinde torpor accusatur: quæ singula symptomata ex diversa inflammationis in hepate sede, ac demum ex nervorum diaphragmatici, sympathici magni, brachialium, ex cervicali medulla origine, decursu ac distributione potissimum derivanda sunt. Ipsam *fellis vesiculam* phlegmonosa inflammatione, eaque insigni, alibique fusius describenda, correptam, & ejusdem membranas ad pollicem crassitie auctas, albissimas atque splendentes observavimus: quo in casu, nisi hepatis pars major simul laboret, inflammationis symptomata ad costarum spuriarum hepatisque limbum, ad non magnam latitudinem, circumscribuntur. Tussis in hepatitide frequentius occurrens, utplurimum sicca, rarius humida, vel a diaphragmatis irritatione, vel ex nervorum consensu originem petit. Alvus hoc in morbo sæpius obstructa, interdum, & sub ictero præsente, alba; aliquando vero, ex copiosiori ab inflammato viscere secreta & acriori bile, liquida, aut subcruenta, nec sine tormine, deponitur. Urina, nisi icterus compareat, non alia, quam in quacunque acuta, excernitur flammea. Interea febris, nisi violenter jecur inflammari contingat, non admodum vehemens; vel noctu saltem, aut alternis fere diebus, increscit. Pulsus nunc utique durus ac frequens; sed cum dolor nonnisi obtusus accusetur, nequaquam talis, & a naturali parum alienus observatur.

Obscuriora sunt *hepatitidis chronicæ* symptomata, & plerumque aut certam vix diagnosin admittunt; aut, ab ipsis adeo ægrotantibus vilipensa, a Medentibus prætervidentur. Continua interim febricula cum ardoris, doloris, tensionis, plenitudinis ad hepar sensu, ad attactum aucto; cum decubitu, ob hæc ipsa, in latus vel hoc, vel illud, difficili; frequens ad scapulam dolor, nariumque stillicidium, aut hæmorrhois; causarum denique prægressarum attenta consideratio, aliquam hic lucem accendere queunt. Hepat. chronica.

§. 248. Præter communes inflammationum causas (§§. 118. 125.), capitis imprimis læsiones externæ, tum in aliis visceribus, tum in hepate imprimis inflammationem, citosque abscessus inducunt. Huc & injuriæ abdomini illatæ, utpote ex lapsu, contusione, vulnere, nixu, saltu ex alto, spectant. Nec minus valida mentis pathemata, imprimis furor, cum superingesto potu frigido, — aut exæstuantis corporis super humo, aut in balneo, refrigeratio major, jecinori infesta sunt. Alias vero calculi tum hepatici, tum cystici, hepatitidem inducunt; atque nos ipsi hac ex causa vesiculæ felleæ non modo inflammationem (§. 247.), sed & gangrænam ex hac ipsa per hepar late extensam, observavimus. Nec *ascaridis lumbricoidis*, ex intestinis ad hepar devecti, aut *fasciolarum*, in animantibus variis, hoc in viscere detectarum exempla copiosa, irritationis perpetuæ, ac inflammationis aliquando causæ, deficiunt. Quæ vero intestina, ventriculum, diaphragma, pulmones, inflammare, — hæc & ipsum hepar vicinum incendere queunt. Frequentior inflammationis *erysipelaceæ* in hepate, corrupta & acris primarum viarum, ac suppressæ salutaris diarrhœæ materia, origo est. Cæterum & repentinæ rheumaticæ, scabiosæ, ery- Causæ.

sipelaceæ, metastaticæ, alterius acrioris, materiæ retropulsiones huc erunt revocandæ. Ex majori æstatis calore, ac frequentiori bilis sub hoc ipso ad hepar corruptione, hunc morbum derivare, nobis saltem, qui eundem non magis saltem in *Italia*, quam in *Germania* prædominari aut ipsi observavimus, aut ab aliis observari pernoscimus, non licet. An calor major hepatitidem *Indiæ Orientalis* endemicam, an vero frequentior, hoc sub cœlo, transpirationis suppressio, ac potius, prout suspicamur, refrigerium, aut alia demum obscurior causa producat, ignoramus.

Prognosis. §. 249. Communes hepatitis cum aliis inflammationibus exitus (§. 126.) agnoscit, ac pericula a causarum febrisque diversæ rationibus & intensitate non minus, quam a subjecti aut cachexia aliisque jam pridem hujus visceris morbis, obstructione, induratione, scirrho, steatomate correpti, aut sanioris, constitutione petenda sunt. In genere, hepatitis sat cito cognita, sub recta medendi methodo, tam insignia sæpe non habet pericula; nec singultus hic tanto quam in aliis morbis, discrimine incedit. *Acuta* quidem hepatitis pericula minora, quam *chronica*, qualem ad plures menses, cum sat intensa febre ac dolore præmagno continuasse vidimus, portendit: & causas utplurimum ex calculo, steatomate, aut alio hepatis antiquo vitio desumit. Periculosissima *hepatitis erysipelacea* est, quæ sub *gastricarum*, *nervosarumque* fine gangrænam minatur. In hepatitide phlegmonosa *convexam* jecinoris partem occupante, difficilior, quam in *concavæ* superficiei phlogosi, per intestina morbi solutio, purisque facti depletio: ac tum ex hac ratione, tum quod major utplurimum febris ac dolor comitetur illam, majora observantur pericula.

Resolutio. Per *resolutionem* (§. 127.) terminatur hepatitis vel

prima vel secunda ad finem vergente hebdomada, tum per hæmorrhagiam ex naribus, aut per anum, tum per alvum biliosam, aut subcruentam; tum denique per sudorem largum, urinas copioso sedimento instructas, ac interdum per comparens ad exteriora erysipelas. Si pulmo insimul cum hepate laboraverit, tunc & copiosior subinde expectoratio morbi solutionem comitabitur. Si hepatitis in dolentem *splenis* affectionem transiverit: vidimus hoc, quod a Veteribus jam notatum fuit, cum bonis ægrotantium rebus contigisse. Acutissima febris, ac sitis inexplebilis, gravitatem morbi, ex erysipelate tunc facile oriundi, demonstrant. In quavis vero hepatitide, cum peritonæo ac visceribus vicinis jecur facillime per pseudomembranas connectitur: quo suppurationis nonnunquam, ob faciliorem puris eductionem, imminuntur pericula; sed novæ puri ad vicinas partes viæ non raro parantur.

Suppuratio.

Conspicuus ac magnus ad hepar tumor inflammatorius difficulter *resolvitur*; ac frequentius per *suppurationem* terminatur. Hæc ipsa, per signa sua cognoscenda (§. 128.), nonnunquam in hepate citius, quam quocunque in viscere, sæpiusque *occulta*, perficitur; atque vel ad convexam, vel ad concavam hepatis partem, vel in medio ejusdem parenchymate, cum vario rerum exitu, nascitur abscessus. Hoc sibi commissum jecinoris apostema, pro varia ejusdem sede, vel magnam, aut totam visceris substantiam tractu temporis depascitur, oriturque *tabes hepatica*; vel rumpitur vomica, & purulenta materies aut in cavum abdominis lethali eventu depletur; aut in vicinum jecinori viscus, aut partem cum hepate connexam, — in ventriculum, prout vidimus, aut intestinum, præcipue colon; aut per erosum, ut aliquoties conspeximus, diaphragma (§. 186.) in ipsum

pectoris cavum, & concretum aliquando cum diaphragmate pulmonem; rarius, si illuc usque hepar inflammatum pertingat, in lienem ipsum; aut denique in peritonæum musculos abdominales, lumbales obtegens, prorumpit, atque nova, propria cuivis parti, symptomata producit, atque abscessus ac fistulas per longum latumque divagantes (§. 220.) generare observatur. Interdum vero contenta in hepate materies per ipsos ductus hepaticos viam sibi aperit, atque copiosa in duodenum intestinum ex choledoco canali destillat, oriturque aut vomitus purulentus, aut quamplurimum diarrhœa saniosa, subcruenta: qua nunc hepatis abscessus per ipsam naturam detergitur atque sanatur; nunc vero *fluxus*, cui nomen est *hepaticus*, diuturno ac lethali successu insequitur. Cum vero hepar inflammatum ad plura abdominis loca sub costis promineat, atque sic ejusdem abscessus, cum peritonæo facile cohærens, ad exteriora nonnunquam divergat: chirurgicis tunc auxiliis, ac, si matura satis suscipiatur, sanationi non tam raro conceditur occasio. Rarior hepatitidis in *hydropem acutum* est exitus; sub quo absque ullo puris indicio, externam hujus visceris membranam inter & parenchyma hepatis, aquarum collectio detegitur. An frequentior apud oves jecinoris hydrops ex inflammatione repetendus?

Induratio.

Scirrhos hepatis frequentes ex rariori apud nos hepatitide derivare vix possumus. Frequentius quoque durum atque contractum hoc viscus, sine prægressa inflammatione, detegitur. Durities interim dextri hypochondrii, vel tumor, sensus ponderis sub exspirando auctus, dyspnœa a decubitu in dextrum latus & ad pastum aucta, digestio depravata, & pertinax alvi obstructio, cachecticus faciei color, œdema pedis dextri, post prægressam hepatitidem cessante febre, observata, morbosam jecinoris indurationem,

quæ certe non ubique cum *tumore* incedit, sat clare manifestant.

Gangrænam in jecinore contigisse, signa alibi exposita (§. 130.) abunde docent.

§. 250. Generales curandæ inflammationis regulæ (§. 133.), non minus in hepatitide adhibendæ sunt. Venæsectio igitur, licet pulsuum ratio id minus exigere videatur, instituenda, ac pro morbi violentia repetenda est. Imprimis vero sanguisugarum ad hæmorrhoidalia vasa, & ad ipsam hepatis regionem, nec minus cucurbitularum scarificatarum eidem regioni aliquoties instituta applicatio potissimam laudem meretur. Nec minor vesicantis emplastri, post factas vasorum depletiones, dolenti loco admoti, unguenti volatilis, nec non fomentationum emollientium abdomini universo applicatarum, ac clysterum denique emollientium frequentius injectorum, virtus esse consuevit. Maxime vero in hac inflammationis specie lenia alvum laxantia, ex tamarindis, cremore tartari, manna, in sero lactis solutis, tinctura rhabarbari aquosa, petita remedia, tum depositam ad intestina copiosam ac acriorem bilem prompte expellunt; tum ipsam morbi solutionem per choledocum ductum solicitant; atque majorem, quam in quavis fere alia inflammatione, opem conciliant. Interea potus non quidem copiosi, aut frigidiores, ex sero lactis, aut aqua cum oxymele & nitro, frequentius ingerendi sunt. Si per sudorem terminari morbus videatur, tunc haustus salinus, cum refracta tartari emetici dosi, atque sambuci infusum cum oxymele, indicabitur. Cura.

Aliam in hepatitide methodum felicissima *Indiæ Orientalis*, in endemico sibi morbo, experientia confirmat: ubi mercurii tum interne, tum exterius adhibiti usus, non minus quam apud Europæos, singu-

lari sese effectu commendavit, ac vix evitandam alias in hepate suppurationem dissipasse est visus. Nos quidem has laudes, dubiis interim nequaquam subjectas, propriis augere observationibus nequimus; &, ob tardiorem forsitan mercurii in ægrotantibus, nobis, inveterascente jam morbo, oblatis administrationem, tam felici effectu in paucis casibus, ubi communis methodus non suffecerat, fuimus frustrati. Qui vero hanc methodum frequentiori usu comprobatam habent; illi, pauco quidem sanguine e vena emisso, ac sub continuata antiphlogisticorum administratione, unguentum mercuriale ipsi dolenti mox loco illiniunt, atque simul calomelam interius ita porrigunt, ut sat brevi tempore, quo dolor utplurimum dispareat, salivatio excitetur. Sed jam secundo, vel tertio die, unguentum non dextro amplius, — cui vesicans nunc emplastrum imponunt; sed sinistro hypochondrio illinire sueverunt. Cum vero ex tam præcipiti mercurialium usu in debilioribus aut nimia salivatio, aut diarrhœa interdum accedat; cumque præsente simul febre *gastrico-nervosa*, majora ex mercurio damna sint: hinc alii Peruvianum cum isto corticem combinari, — alii salivationem his in subjectis evitandam, atque vel ad refractas mercurii sublimati doses, vel ad solum calomelam cum cortice, confugiendum esse docuerunt.

Hepatitis chronica eandem ac acuta, sed accommodatam mali violentiæ minori, atque morbi causis, methodum, scarificationes locales, hirudines, vesicantia, rubefacientium modo adhibenda, frequentem evacuantium antiphlogisticorum usum, potus subacidos, cum nitri portione, vel ex sero, aut lacte ebutyrato, clysteres, victum vegetabilem ex fructibus horæis maturis, ac interdum leves mercurii dulcis doses, aut denique aquas martiales, sibi exigit.

Abscessus hepatis, si chirurgicam admittere manum videantur; si, ex minori tumoris mobilitate, ad eorumdem cum peritonæo, necessariam pro hac operatione, cohæsionem concludere queamus; promptissime, ac priusquam major jecinoris consumptio locum habeat, aperiendi sunt. Cavendum est, ne felleæ vesiculæ dilatationem incauti pro abscessu declaremus, & lethali certe eventu aperiamus. Intestinum colon, cum ad lobi hepatis dextri limbum inferiorem abscessus hæsisset, a Chirurgo, profundam nimis sectionem instituente, incisione non parva læsum fuisse in cadavere conspeximus. Apertus vero hepatis abscessus, ad artis chirurgicæ leges, imprimis recta corporis positione, ac injectionibus repurgandus, & solicite, sub frequenti corticis Peruviani usu, consolidandus est.

Quæ in scirrho ac induratione hepatis facienda supersint, ex aliis patebunt.

ORD. IV. GEN. VI.

SPLENITIS.

§. 251. Incomprehensum Physiologis viscus, non minoribus, cum ægrotat, involvitur tenebris, *Lien*. Hujus quidem positio, extensio, nexus, ac singularis inter diaphragma, ventriculum, colon intestinum, costarum arcus, renemque altiorem, peritonæo licet divisum, occultatio, — nec minus hypotheses, quas hac de particula sibi scholæ permiserant, fecere: ut non modo varia illarum partium mala, sed & mentis ipsius aberrationes varias, & morbos fere omnes, quos ab *atra* quondam *bile* derivavit Antiquitas, in insontem mox *splenem* rejice-

Lienis natura.

rent. Variis interim & hoc spongiosum viscus affectibus exponitur, atque nunc periodico quasi fluxu ac refluxu, aliorum fere morborum imperio, turget & subsidet; nunc volumine, quod apud *Insubros endemicum* est, sine manifesto substantiæ infarctu, insigniter augetur, ac sæpe prolabitur; nunc duriorem ac callosam, aliquando fere saxeam, aut osseam quasi compagem, vel tumentem, vel in minus volumen contractam assumit; nunc vero, quod rarius contigisse, tum aliis, tum nobis ipsis perspectum est, *inflammatur*.

Symptomata. §. 252. Hæc lienis inflammatio, *splenitis* vocata, cum hepatitide (§§. 245. 247.) quamplurimum convenit, ac iisdem fere signis, sub hypochondrio sinistro urgentibus, cognoscitur. Occurrunt vero hic febris cum horrore frequenter invadens, calor continuus, interdum remittens; sitis magna, & anxietas; dolor sub hypochondrio, ab attactu, & sub inspiratione auctus, ad humerum, mammam & claviculam facile extensus, nunc acutissimus, nunc obtusus, costarum spuriarum limbum plerumque excedens; dyspnœa; aliquando, superiori nempe lienis parte, diaphragma simul inflammante, irritante, tussis ac singultus; decubitus in *sinistrum*, — aut interdum, ex aucta visceris vicino stomacho incumbentis gravitate, ac inflammatione huic ipsi communicata, in *dextrum* latus molestus, nausea continua, vomituritio, aut vomitus copiosus, biliosus, subcruentus; alias vero, & inflammata lienis parte inferiore, quasi renis sinistri dolor; obstructio alvi pertinax, & aliquando tumor sat manifestus, lienis, inconstantem licet formam retinens, ac ponderosus.

Causæ. §. 253. Causæ vix non eædem, ac quas gastriti-

dem (§. 235.), enteritidem (§. 242.), ac hepatis inflammationem (§. 248.) inducere diximus, *splenitidem*, licet raro satis, progenerant. Ipsius hepatis, ventriculi, diaphragmatis, pancreatis, coli intestini, ac peritonæi inflammationes, ad splenem subinde divergunt, mirumque esse dicamus, interceptum toties cruoris ex liene ad hepar fluxum, ac tam frequentem sanguinis in illo remoram, inflammationem non sæpius in splene excitare.

Prognosis.

§. 254. Splenitis fere eosdem cum hepatitide (§. 249.) exitus, eademque pericula agnoscit. Vidimus eandem cum urinarum copiosissimo fluxu, & cum facta in oculos metastasi, feliciter solutam.

Resolutio.

Universi corporis sudor, atque hæmorrhoidum fluxus meliorem morbi dissipationem promittit. Vomitum cruentum, & atrum, hoc in morbo criticum non observavimus.

Suppuratio.

Suppuratio lienis per signa (§. 128.) cognoscenda, eodem fere, ac in hepatitide (§. 249.) modo succedit, ac purulenta materies nunc viscus totum exedit; nunc ad stomachum, cum vomitu purulento, sanguineo; nunc ad colon intestinum, cum diarrhœa ac *fluxu splenico*; nunc ad pectus, pulmonemque ipsum, cum phthiseos purulentæ signis, aut in cavum abdominis, depletur; vel adhærente peritonæo liene, hoc ipso corroso, ad musculos abdominales, dorsales, lumbales, ad renem ipsum sibi vias parat; ac, nisi cito consolidetur abscessus, cum *tabe splenica* terminatur.

Induratio.

De lienis ex inflammationibus *induratione*, ac *scirrho*, vix non omnia, quæ de simili hepatis affectu dicta sunt (§. 249.), merentur referri.

Cura.

§. 255. Nec aliam sibi splenitis medendi methodum, quam quæ pro hepatitide exposita fuit (§. 250.), sibi expostulat.

ORD. IV. GEN. VII.

NEPHRITIS.

Infrequentia morbi.

§. 256. Qui acerrimum humani corporis liquorem secernunt, & non exiguo vasorum a corde non adeo distantium systemate instructi sunt, *renes*: hi, si calculorum in eosdem effectus excipiantur, rarius forte, quam ipse *lien* (§. 251.), *inflammatione* corripiuntur. Vix igitur, ex propria experientia, aut *senioribus* hunc morbum, aut *viris* quam *junioribus*, aut *feminis* frequentiorem esse, sub data exceptione, confirmare audemus. Insignes quidem in renum regione dolores, inflammatoriis signis non immunes, ætatem, sexum quemcunque, non raro divexant: sed vel rheumatica musculorum lumbalium, ligamentorum intervertebralium affectio; vel ipsius medullæ spinalis inflammatio (§. 141.); vel coli nonnunquam intestini prope *renes* decurrentis incendium (§. 240.); vel demum violentior ac diuturnus his in partibus spasmus, pro istorum inflammatione non raro imposuit. Quod si vero hic diagnosis error, *renalis inflammationis* non parum demat frequentiæ; ejusdem tamen aliquid *occultæ* hoc in viscere *suppurationis* restituunt historiæ: ut non difficilis hæc utriusque erroris occasio, doctrinæ hoc de morbo dignitatem abunde testetur.

Definitio.

§. 257. *Renis* igitur *inflammatio*, vel *Nephritis*, est affectio utplurimum febrilis, cum dolore hujus partis nunc ardente, acuto, nunc obtuso pulsante, versus vesicam oblique descendente; cum lotii nunc spastici, nunc rubicundi, nunc puriformis excretione frequenti, sæpe pauca; aut secretionis urinalis totali ad renes suppressione; utplurimum cum nausea, vo-

mituritione, vomitu, aut colico cruciatu; sæpe cum cruris stupore, ac testiculi dolore vel retractione incedens.

§. 258. Rarius *ren* uterque primum; frequentius dextro sinister, ac loco quidem hic ultimus quidquam altiori ac posteriori, inflammatur. Nunc vero febris hanc affectionem præcedit; nunc sequitur dolorem profundum, ardentem, pulsatilem in parte suprema & postica abdominis, fere ad ultimæ dorsi vertebræ, & quatuor priorum lumbalium confinia, ante duas postremas ex costis spuriis, ad trium circiter digitorum transversorum distantiam a spina. Ab initio quidem hic dolor obtusus magis, ac tendens, premensque, — dein vero ardens, acutus ac lancinans, sæpe per uretherum decursum, usque ad vesicam, aut per vasa spermatica per inguen in testem, tunc facile retractum, jaculari visus, observatur. Tum ipsius vero testiculi dolor ac retractio, tum cruris stupor, aut spasmus & tensio, in alia vix, quam quæ per calculos inducitur, inflammatione occurrunt. Sub hac vero renis affectione mox frequens lotii deponendi stimulus a pauca licet, eaque vel flammea, aut profunde rubra, vel sanguine soluto mista, vel puriformi, vel, majori sub malo, decolori & prorsus aquosa urina excitatur. Sub maximo morbi augmento, ac si ren uterque inflammatione turgeat, hæc *dysuria renalis* convertitur in totalem secretionis urinalis abolitionem; & quodcunque per has vias expellendum fuisset lixivium, hoc a sanguine separari præpeditur. Atqui tum ex hoc ipso, tum cognito nervorum, qui renem ex adeunt, cum illis stomachi, intestinorum nexu, nascuntur mox ructus copiosi, nausea, vomituritio, vomitus, flatuum copia, anxietas, doloresque colici, aut ad anum tenesmus, obstructio, ac dimidii fe-

Symptomata.

re ventris ex parte affecta, vel totius abdominis intumescentia. Si vero ad pelvim renalem a calculosa materia irritatio fiat : ob eundem nervorum nexum, dolor, retractio testiculi; aut, compressis a tumente rene nervis tum *psoam* musculum, tum crus ipsum petentibus, istius stupor, torpor, dolensque spasmus, aut œdema, inducitur. Interea lumbi calent, ab attactu vel & a solo lecti calore acutius dolent; neque pedibus ægrotans incedere potest; ac decubitus in aliam partem, quam in dorsum, per augmentum dolis in latus affectum, & per intolerabilem in adversam partem aut in ventrem procumbenti sensum, præpeditur. Licet vero insignes, ut in *lumbagine*, dolores lumbos divexent; ægrotus tamen antrorsum flexus, sine dolore notabili truncum erigere utplurimum potest. Nec cætera hoc in morbo febris acutæ signa desunt; & cum intensior inflammatio urget, tam universi corporis horror, quam anxietas, præcordiorum constrictio, & convulsio, extremitatum frigus, sudor viscidus, delirium, lipothymiæ, ægrotantem affligunt. Pulsus hoc in affectu ab initio plenus, ac vibrans observatur; crescentibus vero dolore ac spasmo, contrahitur, & exilis, durus, ac intermittens comparet : quin ex tam diversa pulsus ac doloris ratione, inflammationis ad sedem vel in pelvi, vel in substantia renis, concludere tuto valeamus.

Divisio. §. 259. Aliarum inflammationum adinstar, *Nephritis* nunc *phlegmonosam* habere naturam, nunc *erysipelaceam* agnoscere indolem videtur. Ab *epidemico* influxu, nisi rheumatico, sat liberi renes observantur; febrisque hanc inflammationem concomitans, vix alium, quam inflammatorium assumere characterem consuevit. Interim vel *primaria* hoc viscus; — vel

frequentius certe, *secundaria*, & a *calculis* renalibus, aut ab arenosa materia pendente inflammatione laborat. De *occulta* interdum *Nephritide* jam injecta est mentio (§. 256.); atque hæc ipsa ad *chronicas* sæpius pertinere, & cum lumborum, colicisque doloribus confundi videtur.

Causæ.

§. 260. Plures certe, quam quæ rariorem *Nephritidem* revera inducunt, a Medicis numerantur causæ. Potissimæ interim ex istis sunt tum illæ, quæ & aliarum partium inflammationes inducunt (§. 125.): imprimis lapsus, ictus in regionem lumbalem, concussio, contusio violentior, vulnus; forsitan & vehemens ac in longum continuata equitatio, validior nixus incurvato trunco ad grave pondus elevandum susceptus, refrigeratio dorsi, lumborum sudore prægresso madentium, acre rheumaticum, arthriticum, metasticum, — tum illæ, quæ in renem potentius agunt: uti spasmus diuturnus, cantharides, meloe majalis, balsamorum variorum interius adhibitorum abusus; vicini peritonæi, lienis, hepatis, aut coli intestini inflammatio, abscessus, vertebræ caries, costæ vicinioris fractura; imprimis vero calculorum hispidorum, acutorum, asperorum, aut mole irritantium in rene, urethere collectio, accedente, sub aliqua plethora, rudiori corporis concussione, forsitan & urinæ ad vesicam diuturna retentio.

Prognosis.

§. 261. Quæ maturo satis consilio tractatur Nephritis primaria; ea, nisi insigni mox impetu ren unus, aut, quod facile ob consensum accidit, uterque sat valide obruatur, prognosin tam funestam vix admittit. Quæ vero ex *calculis* originem nanciscitur, ea vel nunquam, vel non sine funestæ recidivæ curatur periculo. Aquosæ mictiones & puræ, ac pellucen-

Resolutio.

tes, ægre morbum secerni indicant: quibus vero, sub cedente febris impetu, sine inceptæ jam suppurationis signis, urinæ prodeunt multæ, & crassæ, potum quasi *caffeanum* dilutiorem referentes; aut lactescentes, cum sedimento puriformi, mox fundum petente, copioso; illis per ipsas, quibus morbus residet, vias judicatio contingit. Sat largus hæmorrhoidum fluxus, aut sudor æqualis, copiosus, & calidus opportuno tempore prorumpens, non minora hic spondent auxilia.

Suppuratio. Facilis quidem hoc in morbo, vel non advertente ægroto in *suppurationem* est transitus. Hanc tamen, post nephritidem manifestam, ex signis (§. 128.) cognoscimus: dummodo nec ob solum in urinis, copiosum licet, ac puri simillimum fœtidumque sedimentum, ad illam præpostere concludamus; nec ob hujus absentiam materiæ, renis exulcerationem pro certo deesse affirmemus. Pus quidem ad hoc viscus collectum, facilius, quam ex alio, tum pondere proprio per uretheres delabitur; tum urinarum flumine, vix genitum, abluitur: quo fit, ut per annos interdum sine febris hecticæ a resorpto pure valdopere incensæ symptomatibus, hic fluxus continuet. Sed aliarum sæpe partium *puriformem* renes ex longinquo suscipiunt, expelluntque materiam; vel ipsimet *chronica* interdum laborare *phlogosi*, ac sine exulceratione *puriformem* humorem (§§. 128. 259.), quod in vesica urinali frequenter contingit (§. 265.), secernere observantur; vel demum *puriformis* ille liquor, aut *pus* ipsum, ex uretheribus, vesica, aut prostata glandula scaturivit; ac, urinis commixtum, prægressos forte lumborum dolores, inductæ ad renem suppurationis, nec intimiori albescentis materiæ cum lotio miscella, nec majori illius visciditate comprobandæ, injuste accusat. Veræ autem hujus visceris vomicæ,

sine puris in urina vestigio, ex pathologicarum constant sectionum historia. Casu adeo nobis obvenit, in quo, licet *ren* utique *suppuratus* fuisset, fuerunt tamen & ipsa *vesica*, & *prostata* non exiguo ulcere, scirrhisque obsessa. Atqui cum nulla *Nephritidis* præivissent symptomata: de solo vesicæ morbo, per Rectum non minus intestinum quam per urethram explorato; — de renis vero suppuratione nequaquam cogitavimus. Interim pus ipsum acrius, ex rene in vesicam destillans, hanc ipsam irritare, ad spasmodicas contractiones invitare, morbique hic loci primariam sedem mentiri, — aut, quod observatione constat, in solidiorem massam coire, ac pro calculo cystide incluso imponere potest.

Ad plura hinc, saltem fida magis, *suppurationis renalis* signa simul attendendum est; quo certe pertinent, indubia prægressæ *Nephritidis* diagnosis, signorum resolutionis benignæ defectus, doloris febrisque moderatio: sed prioris ex brevi intervallo in pulsantem transitus, & ægrotante pronum in ventrem decumbere jusso, atque interdum in alterum latus, ut sublimis sit affectæ partis situs, posito, suspensi veluti ponderis sensus, cum horrore doloribus interpolato, febre lenta sine ordine decurrente, ac tabis purulentæ symptomatibus. Alias sat manifestus ac fluctuans *renalis vomicæ* ad lumbos tumor, aut indicans abscessum œdema; difficultas urinæ adaucta, vel demum ejusdem, vix descriptæ, interdum cum insigni fœtore, purulenta excretio.

Ipsa vero hæc *renalis vomica*, pro varia, quam occupat, sede, partiumque vicinarum aut majori, aut minori resistentia, nunc totam renis substantiam, ut ejusdem, præter extimam visceris membranam aut saccum, in cadavere nihil reperiatur, consumit; nunc vero non in ipsius modo renis pelvim, sed, *ex-*

terius disrupta, in laxa & cellulosa musculorum lumbalium, cruralium internorum interstitia; — eroso autem ad *interiora* peritonæo cum ipsis morbose concreto, in hepar, lienem, vel, ut nuper & nos experti sumus, in ipsum colon intestinum, ac per anum, cum urina depletur. In primo casu, lotium cum pure ac interdum cum calculis excernitur; & ulcus, ob impuram ac fistulosam naturam, difficillimæ, aut nullius curationis, per gangrænam tunc facile terminandum, cum vertebrarum nonnunquam carie, relinquitur. Alias tamen fistula cum suppurato rene, donec omnis consumatur, correspondens, uretheris quasi vices agit; ac per multum tempus, sine vitæ dispendio, aperta servatur. Ad *exteriora* quidem eundem renis abscessum apertum fuisse, ac cum urina purulenta calculum evacuasse; — sed brevi tempore *colon* etiam *intestinum* perforasse, ac urinam purulentam cum flatibus & excrementis non modo per anum, sed per externum quoque ad lumbos & ilia ulcus expulisse, compertum habemus. Interdum vero occluso vel a pure crassiori, vel a sanguinis grumo, vel a fæcibus, aliisque, *ulceris renalis* ostio: nova mox febris & acutissimæ *Nephritidis*, iterum iterumque excitantur symptomata; donec, restituto puris effluxu, cum brevi hæc ipsa solatio dispareant.

Scirrhus. Rarus, ut aliarum inflammationum, sic & *Nephritidis*, in *scirrhum* est transitus: & ex quacunque hic demum causa oriatur, non frequens certe in homine morbus est. Interim si absque resolutionis, aut suppurationis signis, durities hoc in viscere, ad tactum manifesta, sed indolens, supersit; si ægrotanti ex vacuo ventris loco veluti quidpiam pendere videatur, & stupor coxendicum, & impotentia cruris aut claudicatio adsit, mingatque pauciora, & reliquo

corporis habitu aqua inter cutem laborantibus maxime similis existat: tunc de latente ad renem scirrho, qui ad insigne volumen increvisse visus est, vix dubium manet.

Funestissimus Nephritidis per *gangrænam* exitus, ex signis alibi (§. 130.) allatis pernoscendus est: atque tum ex febris prægressæ violentia, tum ex virium vitalium extrema dejectione, animi deliquiis, sudore frigido, pulsu exilissimo, admodum frequenti & intermittente, subitanea dolorum remissione, deliriis, singultu, vomitu continuo, atque vel perfecta urinæ suppressione, vel lotii putridissimi, nigricantis, lividisque carunculis fœdi excretione, patebit. Gangraena.

§. 262. *Nephritis* non alia, quam cæteræ inflammationes, methodo (§. 133.) curanda est: interim a cantharidum applicatione abstinere jubet cognita & irritans istorum in renes, nec camphora quidem præcavenda satis, actio. Suspecta quoque, in majori dosi porrecta, noxia salina, & diuretica quævis remedia sunt, quibus urinæ vel sanis interdum sensibilis acredo augetur, ac irritabilis inflammati renis substantia quammaxime stimulatur. Longior adeo a cibis abstinentia, nisi potus quodammodo suppleat, cum damno conjungitur; ac ipsæ, quæ bibuntur, aquæ fere tepidæ magis, quam frigidæ, ac divisis quodammodo haustibus, assumantur oportet. Ipse adeo lecti calor, & continuus in dorsum decubitus, ab ægrotante, in quantum licet, evitari debent. Clysteres, quamvis maxime necessarii, quod intestinorum in vicinum renem facile compressionem augere queant, si ad *sinistrum* inflammatio hæreat, non nisi pauca quantitate, ex oleo imprimis tepido, frequentius injiciendi sunt. Nec minus lenia, quæ Cura.

sine stimulo alvum evacuent, remedia, ex manná potissimum, aut oleo, indicantur. Vomitum symptomaticum emulsione Arabica, potuque tepido moderari interest.

Maximum igitur ex venæsectione pro violentia morbi frequentius repetenda subsidium est. Sed post illam, scarificatio sat profunda & cucurbitulæ ad lumbos sat multæ, -- nec minus, si forte suppressus hæmorrhoidum, aut menstrui fluxus subfuerit, hirudines circa anum aut pudenda adhibendæ sunt. Cæterum & lumbi linimento volatili, aut oleo frequenter, ac sine impetu, illiniendi sunt. Si primis jam morbi initiis huic morbo, a calculosa materia non oriundo, medelam adhibendi foret occasio, a prima venæsectione fomenta frigida meliori apponerentur lumbis consilio: sed rarius aut tam cito hoc petitur, aut morbi tam clara est diagnosis; istoque jam quidquam provecto, tepidæ magis ex emollientibus fomentationes, aut semicupium, præsentem jam ac fortiorem spasmum moderare queunt. Interea medicamenta ex demulcentibus, emulsione Arabica, decocto hordei, vel radicibus saponariæ, salep, cum melle, minime vero ex *nitro*, quod in parvis dosibus nil prodesse, in magnis vero nocere observatur, petenda sunt.

Opii usum, nisi post dissipatam venæsectionibus inflammationem, ac sub reliqua sensibilitate nimia, in vera quidem aut *idiopathica Nephritide* rejicimus. In illa vero, quæ ex *calculis* originem duxit, opiata sub circumstantiis alibi exponendis non raro locum habebunt.

Cum vero *suppurationis* in rene signa (§§. 128. 261.) comparent, tunc suspensa secundum regulas alibi (§. 134.) expositas antiphlogistica methodo, maturationis opus solicite per cataplasmata ac fomenta

emollientia promovendum est. In pelvem renalem depleri vomicam, optare quidem, sed per artem præstare non possumus. Quod si vero hoc ipsum a natura auxilium obtineri non queat: tunc sat manifesto, renis pure turgentis, in loco *Nephrotomiæ* instituenda operatio; ac ulcus profundum, ad chirurgicæ artis cautelas, deplendum, detergendum, consolidandum erit. Nihil quidem hic temere præcipitandum esse, concedimus lubenter; sed, nisi prompta satis hic sectio ægrotantem salvet, quid a cunctatione auxilii esse queat, nequaquam perspicimus. Ex spontanea in abdomen, viscus aliud, (nisi colon in rarissimis, ut videtur, casibus excipiendum sit) aut in musculorum interstitia, vomicæ apertura, mors, licet interdum tarda, vix tamen non ubique (§. 261.) certa exspectanda est.

In casu exeuntis cum lotio a renibus puris, præter nutrientem magis victum, subsidia ex lacte asinino, vel alio recenter mulso, ex decoctis mucilaginosis cum melle edulcorandis, tum ex cortice Peruviano, aqua calcis, selterana, vel simili, interdum etiam martiali, petenda sunt. Balsamicorum, in renes potentior, actio sæpe suspecta, &, cum febris urget, noxia est. Extractum myrrhæ aquosum, cum illo corticis ac parva balsami copaivæ portione, sub febris defectu tentare licebit.

In renum *scirrho*, aut gangræna, quod commendare possimus remedium, in desideriis est.

ORD. IV. GEN. VIII.

CYSTITIS.

Varia cyst. nat.

§. 263. Canalium ex renibus ad vesicam ducentium morbi non satis quidem noti ac perspecti sunt; eosdem tamen & dilatari nimis, & obturari, inflammari, suppurare, ac demum disrumpi posse, cadaverum sectiones docuerunt. Facilis vero inflammationis ex rene per uretherem ad vesicam, vel ex hac ad illum, via est. Sed propria non raro sensilissimum illud urinæ receptaculum inflammatio tenet: ac licet aliorum hæc ipsa morborum frequentius *symptoma*, ac *erysipelaceæ* tunc plerumque naturæ esse deprehendatur, est tamen, ubi & *primaria*, ac interdum *phlegmonosa* hoc viscus inflammatione corripiatur; & quemadmodum uterque morbus *acutissimam* frequenter affectionem sistit, sic & *chronicam* non raro, ad internam plerumque superficiem limitatam, phlogosin vesica ostendit.

Definitio.

§. 264. *Cystitis* huic inflammationi (§. 263.) nomen est: ac ista potissimum in febre, lancinante ac utplurimum profundo in hypogastrica regione, vel in pelvi, dolore, conatu mingendi, desidendi pressorio, acute pungente, sæpe vano; -- interdum simul in tumore attactum fugiente, ac in frequenti ad vomitum incitamento, consistit.

Symptomata.

§. 265. Præter pedissequa inflammationum symptomata (§. 124.), in *Cystitide* oriuntur & alia: quæ, pro varia inflammationis ad vesicam sede ac febris natura, non parum inter se differre observantur. Est vero illa vel per totum hoc viscus, vix tamen ab ipso morbi principio, dispersa; vel ejusdem modo partem, aut lateralem, aut anteriorem, posteriorem,

aut supremam seu fundum, aut infimam denique seu cervicem, occupat. Quæ ad latera vesicam paulo profundius adoritur inflammatio; illa, uretherum per illius membranas oblique descendentium ostia occludens, præter ardorem ac dolorem vesicæ, lotium ab ista vel ex parte, vel omne avertit; ac in urethere obturato, urinis, prout aliquoties in cadaveribus alias ob causas factum esse vidimus, ad intestini tenuis crassitiem distento, dolores oblique ad renem ascendentes, ac interdum cum manifesto hujus ductus tumore incedentes, — nec minora ad ipsum renem, plenitudinis, distensionis, irritationis, symptomata producit. Ubi utroque hæc latere contingunt: tunc, sub vacua protinus vesica, mox omne renum abolebitur officium; ac cita, ex stagnante in uretheribus renumque pelvi urina, aut illorum disruptio, aut lethalis sequetur gangræna. Si anteriorem magis vesicæ parietem inflammatio investiat: tunc ad pubem durities, dolor maxime & ab attactu vehementer urgebit; ad posteriorem vero partem hærens affectio, in *feminis* quidem, inflammati insimul uteri leviora symptomata, — in *viris*, ad *Rectum* magis intestinum, compressionem, alvi obstructionem ac tenesmum, aut hæmorrhoidalium vasorum tensionem, pulsationem, & acutos dolores causabit. Inflammata ad fundum vesica, vix quidem magna, qua parte inflammatur, ad expellendam urinam contractio exspectari potest; sed ob imminutam cystidis capacitatem, ac summam totius visceris irritabilitatem, continuus vel a paucissimo lotio ad mingendum nisus, — & nisi consensualis ac spasmodica cervicis id impediat contractio, citior ejusdem excretio est. Ad collum vesicæ, ut quæ pars crassior & causis inflammationis maxime exposita observatur, hærente morbo, ad perinæi regionem summi certe doloris

sentatio figetur ; atque ex urina illico suppressa tumor ille ovalis ac oblongus ex imo abdomine , magis quam in quocunque alio cystitidis casu, assurget; nec minus ad Rectum intestinum , instituta per digitum exploratione , tumor a pressione dolens , a quo fæcum per moram induratarum excretio præpeditur , ac tenesmus inducitur , patebit ; atque instrumento per urethram immisso , sub immani cruciatu , in vesicam negabitur introductio .

Interim quantumvis hæc symptomatum in cystitide , ob variam inflammationis sedem , diversitas , sub initio morbi evidentior appareat ; sub ejusdem tamen incremento ac dilatatione majori , vix non omnia conspirant , ac in immenso ad hypogastrium , pelvim totam , lumbos , uretheres , perinæum , anum , atque colum ipsum cruciatu ac ardore , in perpetuo mingendi , hos dolores insigniter exasperante conatu , urinarum difficillima , tandemque penitus intercepta excretione , in abdominis tensione , dolore quasi colico , ructibus continuis , nausea , vomituritione , vomitu bilioso , æruginoso , singultu , jactatione continua , deliriis , vigiliis , sopore & convulsionibus , consistunt. Mitior interim *superficialis* ac interna vesicæ , *erysipelacea* utplurimum , phlogosis est , atque per menses non raro extenditur . Cum vero sub majori vesicæ morbo urina aut flammea , aut tenuis , aquosa protinus , ac spastica expellatur ; sub mitioribus circumstantiis quamplurimum albicantis , aut subflavæ , *tenacissimæ* , puriformis , fœtidæque materiæ cum urinis excernitur . Febris vero , quæ primo in casu vehementius , & cum pulsu duro , frequenti , pleno , sub finem contracto ac parvo , vel maxime urget ; in altero mitior , ac interdum vix conspicua observatur.

Causæ. §. 266. Causæ *Cystitidis* cum generalibus inflam-

mationum causis (§. 125.), imprimis vero cum illis *Nephritidis* (§. 260.), conveniunt, ac frequentissime ex calculorum aut arenarum hoc in cavo degentium irritatione derivandæ sunt. Altera vesicam ad phlogoses non raro disponens causa, menstruorum, hæmorrhoidum suppressio aut aberratio, ac plethora quævis localis est, equitatione, vectione, concussione corporis ad hæc loca invitata. Huc etiam spectant partium vesicæ vicinarum, correspondentium, renum scilicet, uretherum, urethræ, vaginæ, perinæi, prostatæ glandulæ, vesicularum seminalium, uteri, intestini Recti, Coli, peritonæi inflammatio, suppuratio, ulcus; ossium pubis fractura, sectio, caries; contusio, ictus, lapsus in corpus durum, perinæo illidens, hernia vesicæ, aut vulnera, laceratio sub sectione, extractione calculi, præsertim majoris, inflicta; compressio fortis, sub difficili partu, a capite fœtus, aut a vecte in vesicæ partem, imprimis ad collum, aut urethram facta; mictus cruentus, blennorrhœa, fluor albus, præpostere suppressa; acre quodcunque, scabiosum, venereum, blennorrhoicum, ulcerosum, herpeticum, metastaticum, erysipelaceum, maxime vero rheumaticum, ad vesicam depositum, vel cantharidum exterius, interius, adhibitarum, aut diureticorum acrium abusus, spasmi vesicæ diuturni, magnisque doloribus stipati; catheterum, cereorum repetita nimis ac imprudens applicatio, diuturna urinæ retentio &c.

§. 267. Periculosissimus *Cystitis* morbus est, atque ob sensilissimam ac membranosam vesicæ, — putrescentem vero retenti liquidi naturam, in illius paralysin, aut gangrænam, sub signis (§§. 132. 261.) expositis, promptissime terminatur. Solvitur hic morbus, nisi perpetua ex calculis irritatione aut hæren- Prognosis.

Resolutio. te ad prostatam, urethram, obstaculo, alibi considerando, nutritur, *Nephritidis* adinstar (§. 262.), per urinam multam, puriformem, quæ albam ac levem, tenacissimam interdum, subsidentiam habet, ac per sudorem profusum, æqualem, vaporosum. Solet autem sæpe repente inflammatio solvi erysipelate juxta cutis superficiem oborto, & permanente: sub quibus vesicæ tumor subsidet, hæc ipsa mollescit, febris imminuitur, atque excrementis exitus patet. Quamvis vero sic inflammatio sat benigne resolvatur; sæpe tamen aliquis per longum tempus vesicæ tumor, cum incontinentia lotii, aut saltem cum aliqua urinam diutius retinendi impotentia, relinquitur.

Suppuratio. Sub conditionibus (§§. 128. 261.) expositis, in vesicæ quoque inflammationibus, gangrænâ licet rarior, *suppuratio* contingit. Hæc vero ad maturitatem provecta, easdem fere, ac de *metritide* dictum est (§. 227.), vias legit; atque, nisi per urethram abscessus depleatur, flebili certe eventu vel ad intestinum Rectum (§. 243.), vel ad perinæum, ad uterum ipsum (§. 227.), ad peritonæum, viscera varia, sub inflammatione cum vesica concreta, ac demum cum cita morte in ipsum abdominis, pelvisque cavum, aperitur. Quod si puriformis cum urina materies ex urethra excerni observetur; cum hoc idem sub simplici non minus *renum* (§. 261.), quam ipsius *vesicæ* phlogosi (§. 265.), contingere, atque non raro ex *prostatæ*, aut *vesicularum seminalium* abscessu pus verum cum lotio præterfluente commisceri queat: non parva sæpe Medentes difficultas in diagnosi premit, ac eosdem sine prægressorum symptomatum accuratissimo examine in graves non raro errores conjecisse est visa. Per menses, ex rheumatico in vesicam deposito acri, ex chronica hujus visceris, sæpe hæmorrhoidali, phlogosi, ac vesicæ quasi *coryza*,

aut *catarrho* inflammatorio, simillimam puri, eamque tenacem materiam, sine latentis exulcerationis periculo cum urinis effluxisse conspeximus. Prostatæ quidem, urethræque abscessus, continuo aut saltem sine nixu ad mingendum, per hanc ipsam destillare, — illos vesicæ, nonnisi cum lotio purulenta excernere dictum est: sed vidimus tum prostatæ, tum vesicæ conjunctas in eodem subjecto suppurationes, atque sæpe vesica, ad cervicem inæquali tumore obsessa, perfecte quidem claudi non potest: unde, licet illa purulentum necdum humorem fundat, cum eo tamen ex prostatæ abscessu veniente in suo per urethram transitu urina misceri, ac pro vesicali progenie, falso quidem argumento, declarari potest. Interim si, post superatam nephritidem, tormentum ingens in pectine pelvisque cavo, in uno eodemque loco, cum dysuria continua, ac difficultate mingendi, aut cum incontinentia urinæ observetur; si purulenta ac fœtida materies, sub manifesta lentaque febricula & corporis macie (§. 128.), per longum tempus excernatur; si facta per anum, aut per vaginam exploratione, ad unum eundemque vesicæ locum dolor ardens ac intolerabilis a digiti pressione observetur: tunc dirissimæ tandem affectionis sat certa habetur diagnosis.

Indurationes atque callositates ad vesicam, maxime vero ad ejus cervicem, copiosæ Medicorum observationes testantur: quæ sicut non raro ex aliis chronicisque causis propullulant; sic & ex inflammationibus, maxime lentis, & specifico acri excitatis, suam frequenter originem sumunt. In hunc vero statum *Cystitidem* abiisse, præter signa hujus exitus communia (§. 129.), docet tum ipse tactus, aut instituta per anum, vaginam exploratio; tum pondus ingratum ad perinæum, ac functionis in viscere, Scirrhus.

quæ in suscipienda, retinenda, & expellenda urina consistit, læsio, pro varia indurationis sede atque extensione, diversa. Ad immensam subinde molem vesica, parietibus suis undique densitate atque duritie auctis, increvisse, ac ad umbilicum fere usque extensa, ut in femina pro uteri scirrho expertis in arte viris imposuerit (§. 225.), conspecta est. Ad totam, quæ pubem respicit, seu anteriorem vesicæ partem, callositatem longe ex pelvi prominentem latamque observavimus: quo sub partiali hujus visceris affectu, quod reliquum ex vesica sanumque est, non potest non a contento lotio in diversam a naturali formam & locum extendi, in suscepti evacuatione, aut retentione liquidi difficultatem experiri, ac in vicinas partes in diversos sensus agere. Ex eodem induratæ cervicis vitio, urinas nunc retineri, nunc sine voluntate emitti: nunc vero utroque morbo simul, atque non sine maxima vesicæ extensione, atque paralysis periculo, ægrotantes laborare conspicimus.

Grangræna. *Gangrænam* ad vesicam lethalem produnt signa tum generalia (§. 130.), tum illa, quæ in *nephritide* instantem ex sphacelo mortem indicare dicta sunt (§. 267.). Sub flebilissimo hoc rerum statu urinæ, per totum inflammationis decursum suppressæ, interdum sine difficultate fluunt: ac imperitis, sub quorumvis dolorum cessatione, spem vitæ erigunt, post breve tempus certissima morte delendam.

Cura. §. 268. Quæ ad *renum* inflammationem curandam proposita fuerunt (§. 262.), ea in *Cystitide* vix non omnia in usum trahi queunt. Major tamen hirudinum numerosarum perinæo, pudendis, post factas generales sanguinis emissiones, applicitarum hic actio esse consuevit. Post ista, sub morbo necdum provecto, frigida potius, quam calida prosunt fomenta, quo lo-

co dolor urget admovenda. Sub majori vero inflammationis intensitate, illa quæ potenter relaxant, balnea, fomentationes emollientes, potissimum indicantur. Clysteres oleosi, mucilaginosi, & hoc in morbo perutiles sunt: sed, cum ad posteriorem vesica partem ex inflammatione turgeat; non sine doloris augmento, aut etiam non sine difficultate injicientur illi, nisi ægrotante in genua & cubitus reclinato hoc opus suscipiatur. *Opio* nec hoc in morbo, sub maximo licet cruciatu, priusquam pars major inflammationis abacta sit, locus esse potest. Tunc vero, si vel a *calculo*, vel a graviori *spasmo* dolor provocetur ac pendeat, tincturæ Thebaicæ portio vel ano commissa, vel cum emulsione Arabica porrecta simul indicabitur. Nec minus reliqua post cystitidem vesicæ *sensibilitas morbosa*, quod & de intestinorum hoc affectu post enteritidem dictum est (§. 244.), opium subinde expostulabit.

Cum vero urinæ hoc in morbo suppressio, ejusdem licet effectus, causam tamen inflammationis irritatione sua perpetuo augeat, atque summa ex retento lotio, extensaque ad crepaturam, vel perfectam paralysin usque, vesica, pericula inducat: hinc prima certe in evacuanda quantocyus per catheterem urina versaretur indicatio. Ast vero, nec aditus quidem, ob summam tumentis cervicis constrictionem, specillo esse potest; nec sine summo doloris ac inflammationis augmento, aut sine læsionis ad urethram periculo, in vesicam specillum penetrat.

In feminis quidem facilius quam in viris, ob breviorem arduamque minus ad cystitidem in illis viam, tentari hæc possunt: sed in istis, facto semel, absque impetu, vel tenuiori cereolo, cathetere, vel flexili musicaque chorda, oleo illinitis, tentamine, si majus huic ipsi obstaculum opponatur, a quovis ul-

teriori experimento, hic facile nimis fatali, abstinendum, & ad *vesicæ punctionem* promptissime descendendum est. Quatuor hæc viis tentari, atque vel per anum, vel ad perinæum, vel ad hypogastrium, vel demum in feminis per vaginam ipsam, institui potest.

Per *Rectum* quidem intestinum & ad *perinæum* hæc operatio, quotiescunque vesica lotio plenissima pelvis cavum ob molem suam jam dereliquerit, ac fere tota, gravidi adinstar uteri, in abdomen ascenderit, sine successu, quod ratione primum, dein experientia edocti sumus, tentabitur; ac vulnus, perfosso tricuspide incurva intestino, in vesicam minime penetrabit. Hinc super pectine felicior hoc in casu operationis erit exitus: alias vero brevior certe per *Rectum* ad vesicam via esset, nisi inflammatæ in posteriore sui parte, qua cum intestino cohæret, & qua phlegmonis utplurimum sedes est, vesicæ, — relinquendæ in eadem, ac in ano cannulæ, — aut repetendæ frequentius operationis difficultates, illi, quæ ad pubem institui potest, operationi sæpius prærogativam concedere viderentur. Restituto quodammodo catheteri ad vesicam inflammatam accessu, *injectiones* iterum in hanc ipsam commendari nuperrime videmus: sed licet emollientissimas, — ob summam tamen hujus visceris irritabilitatem, ad aquam etiam, quamvis purissimam, quam ad urinam ipsam in sanis adeo hominibus multo majorem, nos quidem non facile adhibemus; nec potibus, ne urinarum quantitas augeatur, detrahendum esse aliquid cum aliis opinamur, atque plus certe febris ab impetu, ac urinarum acrimonia, quam a copia majori timemus.

Quomodo demum vesicæ *abscessus*, ac variæ ad anum, peritonæum *fistulæ* tractari debeant, hoc no-

stri non est hic fusius exponere. Reliquum in vesica *ulcus* iisdem, quam in renibus suppuratis commendavimus, remediis (§. 262.), victuve blando & ex lacteis demulcentibus petendo, pertractandum est. Quæ in *callositate* hujus visceris, aut *scirrho*, ad singula utplurimum rebelli, tentari queant, hæc alibi fusius exponentur.

§. 269. De *artuum articulorumque inflammationibus* nunc, prout promisimus (§. 137.), ac prout hæ *QUINTUM Phlegmasiarum ORDINEM* constituunt, agendum nobis superesset: sed cum pars magna illarum, ex causis *externis* oboriri solita, ad Medicinam minus, quam ab Chirurgiam spectare observetur; major vero earum numerus, quæ ad illam pertinent, *rheumatismo* ac *arthritidi* submitti debeat: quæ ambo genera inflammatoriam quidem in multis indolem assumere, — sed frequentius certe sine febre ac phlegmonoso apparatu incedere, nec non specificam ostendere naturam solent; hinc in alium hujus operis locum nobis ea, quæ ex istis ad nos spectant, — nec minus *Erysipelatis* considerationem, eo quod hoc *inflammationem* inter & *exanthemata* limites fere constituat, ad sequentis libri exordium consulto reservamus. Inflamm. articulares.

FORMULÆ MEDICÆ
IN §§. PRÆCEDENTIBUS CITATÆ.

N. XVIII. *Tinctura Thebaica.*

Recipe Opii puri pulverizati uncias duas,
Spiritus vini uncias quatuor,
Vini albi generosi libram unam.
Digere per tres dies; tunc filtra.

N. XIX. *Collyrium adstringens.*

℞. Aluminis grana quinque,
Aquæ destillatæ uncias quinque.
Solve.
Loco *aluminis*, vitriolum album, aut et Saccharum saturni, ad tria vel quinque grana, in aquæ prædicta quantitate solvi queunt.

N. XX. *Unguentum Citrinum.*

℞. Mercurii vivi unciam unam,
Spiritus nitri uncias duas.
Digere super arenam, ut fiat solutio, quæ calidissima adhuc misceatur cum
Axungiæ porcinæ liquefactæ & in coagulum denuo tendentis libra una.
Stenue movendo in mortario marmoreo fiat Unguentum.

N. XXI. *Potio laxans antiphlogistica.*

℞. Pulpæ tamarindorum uncias duas.
Cremoris tartari solubilis drachmas sex.
Solve in aquæ unciis decem.

N. XXII. *Collutorium adstringens.*

℞. Corticis quercus junioris drachmas sex,
Coque cum aquæ libra una cum dimidia.
Colaturæ libræ unius adde
Aluminis drachmam dimidium,

Spiritus vini unciam unam cum dimidia.
Vel eadem aluminis portio solvitur in vini rubri unciis octo.

N. XXIII. *Linctus.*

℞. Mucilaginis Arabicæ,
Mellis despumati, ana unciam unam.
Misce.

N. XXIV. *Linimentum volatile.*

℞. Olei olivarum drachmas sex,
Spiritus salis ammoniaci drachmas duas.
Misce.

N. XXV. *Decoctum antiphlogisticum.*

℞. Decocti hordei libras duas,
Nitri puri drachmam unam.
Oxymelis simplicis unciam unam.
Misce.

N. XXVI. *Clyster emolliens.*

℞. Herbæ Malvæ drachmas duas.
Coque per quadrantem horæ cum aqua.
Colaturæ unciarum decem, adde
Olei lini unciam unam.
Si butyri recentis in taleolas secti unciis quatuor paulatim affundantur infusi chamomillæ fervidi unciæ octo, & strenue conquassando uniantur; clyster obtinetur, qui ad dimidiam portionem tepide porrectus, intestinum, in quo butyrum in coagulum tendens diutius remoratur, quam optime relaxat.

N. XXVII. *Clyster antiphlogisticus.*

℞. Decocti hordei uncias decem,
Nitri puri drachmam unam,
Mellis unciam unam.
Misce.

N. XXVIII. *Decoctum polygalæ Senekæ.*

℞. Radicis Senekæ unciam unam,
Aquæ libram unam cum dimidia,
Coque ad remanentiam libræ unius.
Cola.

N. XXIX. *Solutio gummosa.*

℞. Gummi ammoniaci puri drachmas duas
Solve in haustus salini unciis septem,
Adde vini antimoniati drachmam unam.

N. XXX. *Serum lactis vinosum.*

℞. Seri lactis vaccini libras duas,
Vini albi generosi uncias octo.
Misce.

N. XXXI. *Emulsio alvum purgans.*

℞. Mannæ electæ unciam unam cum dimidia
Solve in Emulsionis Arabicæ unciis novem.

N. XXXII. *Pulvis Doweri.*

℞. Pulveris tartari vitriolati drachmas tres,
Opii puri,
Radicis Ipecacuanhæ, ana scrupulum unum.
Misce, & diu terendo fiat pulvis subtilissimus.

Finis Tomi II., et Libri II.

DE
CURANDIS HOMINUM MORBIS
EPITOME
PRÆLECTIONIBUS ACADEMICIS DICATA

AUCTORE

JOANNE PETRO FRANK.

TOMUS TERTIUS.

VENETIIS

1816

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI MOLINARI.

DE
CURANDIS EXANTHEMATIBUS

LIBER III.

CLASSIS TERTIA.

EXANTHEMATA.

GENERALIA DE EXANTHEMATIBUS.

§. 270. Frequens in tractatu de febribus (Lib. I.) *Exanthematum* facta est mentio, & copiosus, hac in classe morborum, illorum proventus observatur: quin tamen aut febrem ipsa constituant, aut istam conceptu suo necessario involvant, ac præsentem ubique sequantur. Nullum *exanthema* est, quod non sine ullo febris vestigio interdum incedere, -- nulla *exanthematica* in cæteris *febris* existit, quæ non in aliis subinde sine quavis ad cutem efflorescentia, æquali ac in illis sorte, decurrere consuescat. Hinc nulla certe febris ad *exanthemata* proprie spectat: ac si utraque ex istis affectio conjuncta incedat, sub *exanthemata* prorsus eodem febris nunc ista, nunc illa, atque non modo *continua* vel *nervosa* (§. 80.), vel *gastrica* (§. 98.), vel *inflammatoria* (§. 114.); sed & *periodica* interdum *legitima* (§. 35.) unionem constituit. Exanth. nat.

§. 271. Sunt autem *exanthemata* certa, & ad cutis externam superficiem efflorescentia morbi aut signa, aut ipsa morbus, nunc sub epidermide plana & æquali conspicua; nunc super cutem elevata; ibidem maculas, rubores, — hic vero pustulas, phlyctænas, bullas, tubercula, aspredines referentia, tempore nunc sat fixo, nunc vero prorsus incerto, utplurimum quidem cum febre qualicunque, sæpe Definitio.

vero sine ista; — alias priusquam hæc superaccedat, aut & non febre tantum, sed vita adeo jam cessante, in conspectum prodeuntia, & quæ demum aut insensibili modo ac immutata fere cute disparent; aut epidermidis desquamatione, aut demum suppuratione, exulceratione, terminantur.

Cutis consideratio.

§. 275. Tantarum igitur rerum in cute humana confluxus est! Qui vero hanc ipsam ut ignobile corporis integumentum considerant; nec ad alia, quam *exhalationis* ac *resorptionis* per eandem officia, aut ad solius *tactus* momenta respiciunt: illi patentissimi organi functiones nec in sanitate rectius intelligere, nec in morbis propriæ dignitatem superficiei mente penetrare videntur. Totius quidem animalis in complexum a natura pars ista expanditur; ac ad interiora sese, quousque patent, insinuans, non exiguam vel sui ipsius portionem circumdat, ac materno sinu recondit; sed peculiarem hoc universi corporis involucrum, ac distinctam a communi œconomiam colit; nec minus in homine *cutis*, quam in arbore *cortex*, tum interioribus prospicit, tum semetipsam regit, ac vitalitate sua animatur. Hac sola, cutis, non modo sanitatis, sed & pathematum animi vicissitudines, vel prima inter omnes ad faciem prodit; ac proprio in morbis, nec ab internis mutuato, ægritudinis sensu frequenter laborat. Sine cordis, a morborum causis necdum excitati, adminiculo, jam illa in febribus contrahitur, pallet, livescit, asperatur (§. 6. *b.*); &, vel reagente ex præcordiis vitali principio, hæc tamen ipsa in frigore persistit; nunc urente, mordaci, nec semper pendente a sanguinis in se ipsam impetu, calore (§. 6. *c.*) arescit, aut mediis sub ignibus sudore inundatur. Vel solo febricitantium attactu experta manus de ægro-

tantis statu febrisque vigore sæpissime judicat: nec solus hic in censum calor venit; sed cutis in illis circa carnes constrictio, tensio spasmodica, rigiditas, asperitas ac siccitas, — in his vero morbosa flacciditas, pendensque ab ossibus integumentorum habitus, vitalis potentiæ in istis inertia, vel alia, quæ verbis exprimi, doceri vix queunt, ad pellem imminuta, vel adaucta, vel demum mutata, judicium prognosinque dirigunt. Longo interdum, priusquam gravis hominem ægritudo corripiat, tempore, jam universa cutis colorem habitumque mutat suum; fonticuli, ulcera, efflorescentiæ ad superficiem exsiccantur; ac amisso pellis nitore corrugatur atque marcescit. Similia fere in plantis, flore licet ac fructu condecoratis, circumspectus arborum cultor vel solo ex cortice prædicit.

§. 274. Atqui hæc singula (§. 273.) satis ostendunt, exanthemata non minus, quam cæteras cutis efflorescentias in hoc fere conspirare: quod utrumque malorum genus nunc ex primarum potissime viarum consensu, -- nunc ex morboso humorum statu, ac deposito ex istis in cutem acri, -- nunc ex pellis ipsius vitio, -- atque nunc demum ex peculiari in hanc ipsam primum, dein vero in totum corporis systema, agente contagio oriatur. Exanthemat. origo.

Ipsorum abdominis viscerum in cutem, ac istius in illa imperium, vel ex sola jam continuitate substantiæ (§. 273.) eruitur; nec desunt officia & mutuus consensus nervorum spinalium, qui ad singulas vertebras in ganglia confluunt, ac musculis non minus atque cuti vicinis, quam ad viscera, cum intercostalibus juncti, transmittuntur. Hinc ex gravi intestinorum dolore, vel ipse interdum motus ac sensus extremitatum perit; & ex sola vermium in ab- Ex consensu abdom.

domine reptatu, pruritus narium ac similes rheumaticis in artubus dolores nascuntur. Antimonialium, opiatorum tam conspicua in cutem actio ac sudorifera virtus a solo abdominalium nervorum contactu, & istorum cum cutaneis consensu, pendere observantur; ac plurimorum quæ stomacho ingeruntur, remediorum excitantium, adstringentium in longinquas partes operatio, non per secundas adeo, ut appellant, vias, quam reciproco nervorum cutis, aliarum partium, cum abdominalibus commercio, absolvi videtur. Ex solo *mytulorum*, ostrearum venenatorum, vel & cancrorum in aliis, victu, jam copiosa ad cutem exanthemata prorumpunt; & nota est mulierum prægnantium, quæ, vix suscepto humano semine, ad faciem undique defœdantur, observatio.

Ex fluidorum vitio.

Ex ipso quidem humorum vitio tum morbos alios (§. 8.), tum varia in cute ipsa incommoda oriri, vel ex cupreis venereorum maculis, ex bilis in ictericis suffusione nunc universali, nunc ad corporis partem limitata, nec non ex criticis, quæ non modo in febribus, sed & in chronicis affectionibus nonnunquam ad cutem contingunt, depositionibus, eruitur: & quamvis similia fere ad pellem phœnomena solidorum potius, quam fluidorum vitio non raro nascantur; est tamen, ubi de morboso istorum statu, ac pendente exhinc in cutem effectu, prudenter dubitare nequimus. Quæ in peste nonnunquam cum feliciori truculentissimi morbi solutione contingunt *metastases*, & quæ aliis in febribus nervosis interdum nascuntur *gangrænæ criticæ* (§. 88.): hæ certe per solidorum his in morbis actionem, aut per novæ, ac principalem morbum abhinc revellentis inflammationis beneficium explicari ubique non possunt; atque *humoralis pathologiæ*, in frequentem licet abusum tractæ, auctoritatem ultro confirmant.

Ad ipsam vero cutis substantiam interdum morborum, aut exanthematum saltem, præparari materias, quin igitur ad certum in sanguine vitium recurrendum esset, ex aliarum, quas *morbosas* vocavimus, secretionum patet historia. Hoc vero, jam stimulatæ partis opus, non certe ad inorganicæ, sensuque carentis, epidermidis affectus pertinet; sed ipsius adeo sensibilissimæ pellis, folliculorum, papillarum, nervorum, vasorum, ac *reticuli* imprimis *mucosi*, læsæ aut mutatæ per quemcunque demum stimulum actioni debetur: qua nempe tum subtilissimorum vasculorum aut sanguinem, aut tenuiorem lymphaticumque liquorem vehentium distensio, laceratio, ac istius in vicinam cellulam, aut intermedium epidermidi locum, sub ecchymosis, maculæ, vibicisque specie, mediocris effusio, — tum permutata his in partibus humorum ex folliculis ac papillis cutaneis aut inflammatorio, aut alio demum stimulo irritatis, secretio, sub aspredinum, papularum, tuberculorum, abscessulorum, aut phlyctænarum apparatu, succedit. Utriusque rei exempla habentur tum in stigmate a culicis proboscide cuti inducto, & sic nata ex minima cruoris effusi quantitate simillima petechiæ macula; — tum in papulis copiosis ac urentibus, aut sudaminibus, quæ ardentioris cœli calor, acrioris & cohibiti sudoris ope ad cutem producit; -- in vesica, quam in hac ipsa cantharidum sub epidermide receptum acre mox suscitat; -- ex pruriente ad pellem urticis forte cæsam tumore; — in abscessulo ex spina, vix oculo conspicua, cuti adacta etc. Nec mirum certe videbitur, si ad amplioris in cute pustulæ basin, aut tumefactus, atque prominens ac pure repletus folliculus, aut papillula, aut forte lymphatici generis glandula inflammata, suppurata occurrat; neque hanc

Ex cutis culpa.

ipsam a natura pro secernenda specifici morbi materia fabrefactam opinamur. Nullum certe in animali ad longævam sanitatem constructa machina instrumentum pro tam lethali fine crediderimus expresse destinatum fuisse; satisque jam malorum est, vel ipsa pro naturali quavis functione concessa nobis organa, cum a causis morborum stimulentur, in propriam non raro concurrere perniciem. Nec etiam specifica quævis morborum materia specificum sibi aut distinctum ab aliis succum aut instrumentum proprium requirit, sed solo illius in partem quamcunque peculiari stimulo, sub iisdem rerum conditionibus, humor idem morbosus, pro tempore, ex notis naturæ legibus non determinando, præparatur.

E. differentia.

§. 275. Est tamen, quod in humana miremur œconomia, singularis partium ad morbosas secretiones respectus: ut a certis specificisque stimulis, quotiescunque & quovis tempore sibi admotis, vix non in eosdem semper rapiantur effectus, atque similem prorsus irritanti principio & ipsæ secernant materiam: cum ab aliis, non minus specificis aut contagiosis morborum fermentis, superata semel infectione, in secundam sese, eisdem licet causis expositæ, adduci vix unquam sinant. Sic a *venereo* viru, ac *scabiei* contagio, ejusdem subjecti, vix a prima infectione liberati, quacunque replicati cum venerea aut cum scabioso commercii ratione, mox nova succedit infectio; cum & *variolarum* & *morbillorum* contagio, quicunque jam pridem mulctatur, per vitam sat tutus resistat; & quamvis nutricis, hoc privilegio fretæ, ad genas, quibus variolosum pueri caput diutius incubuit, variolarum pustulæ hinc inde prorumpant; contagio tamen, morboque totius mulier nequaquam laborat. Vel ipsam *pestem*, *scarlatinam*,

tussimque ferinam, post primam aggressionem, eandem hominibus, ac variolæ, morbilli, a novo insultu securitatem concedere, sine magno veritatis fundamento affirmatum est: sed hoc saltem ab experientia doceri videtur, quod certa, aut vix suscepta, aut non ita pridem superata morbosæ secretionis aut exanthematum principia, ab alterius ac similis potentiæ veneni actione eundem hominem, pro totius saltem regnantis constitutionis tempore, muniant ac tutum esse jubeant; cum alia, *variolarum*, ac *morbillorum* exemplo, nisi promptiorem adeo affinis contagii successionem reconvalescentibus impertiantur, ab ejusdem saltem invasione eosdem nec minime defendant.

Alia vero exanthemata *contagio* suam adscribunt originem; alia, ex accidentalibus causis generari solita, nec alieno semini originem debent, nec proprio sese in alios propagant. Interim cur vix secunda vice eundem ferire hominem soleant variolæ atque morbilli, hoc sola horum exanthematum *contagiosa* non explicat *natura*; nec igitur quæ hac ipsa qualitate instructa hominem invadunt, ea replicare ideo aggressionem interdum non possunt.

Interim quæ specifico charactere destituuntur, ac certo in alios semine propagari non queunt, exanthemata; illa febrium non raro *symptoma* potius, quam ipse morbus sunt: cum alia, & *essentialia exanthemata*, ut variolæ, morbilli, febrem ipsam non raro in servitutem ducant, & pro symptomate illam sibi subjugare consuescant. Utrumque vero exanthematum genus, quemadmodum sine quovis interdum febris indicio efflorescit, sic & variam sibi febrem, aut se ipsum febri cuivis, adsociare potest (§. 270.): ut igitur exanthemata in *febrilia*, atque *apyretica*, licet ex una classe ad aliam facillime transiliant, di-

stingui omnino mereantur. Quæ ex illis ad cutem propullulant, ea cæterorum adinstar symptomatum morbum nequidquam sublevare, sed in multis cum istius augmento prodire observantur. Nec tamen desunt *criticorum* in febribus exanthematum exempla; ac si de *petechiis* hæc ex propria vix asserere audeamus experientia; *miliaria* certe, licet non frequente ægrotantibus beneficio, hanc ostendisse naturam compertum habemus (§. 323.). *Benignam, malignamque exanthematum* naturam tum febris maxime, quæ hæc ipsa producit, aut comitatur; tum subjecti, causarumque conditio determinant. Nec *acutam* ubique exanthemata, sed & *chronicam* interdum indolem, *erysipelatis habitualis*, ac *purpureæ* per menses interdum recurrentis exemplo, manifestant. In regione humidiori ac profundius posita, imprimis sub cœlo ardenti, frequentior morborum cutaneorum omnium proventus ac fere *endemica* natura est; hinc & *exanthemata* his in locis frequentius, quam in aliis, sub febrium decursu obveniunt. Interim vel ipsa Medicorum in his pertractandis methodus majorem sæpe exanthematum, quam ipsius soli constitutio, partem agnoscit; & ex quo sudores in quavis febrium specie pellendi consuetudo quodammodo eviluit, ac major abdominalis habetur fomitis consideratio, exanthematum symptomaticorum vix non ubique imminuta est frequentia. Sed revera tam evidenter interdum hæc ipsa *epidemicam* ostendunt naturam, ut vel sub meliori methodo, sub majori ægrotantium aerisque temperati hos ambientis puritate, sub matura saburrarum eliminatione, non tamen ubique exanthematum ad cutim præpediri queat efflorescentia.

Alia demum exanthemata, quam semel in cute sedem elegerunt, hanc ipsam cum alia nec unquam commutant, nec ampliorem sibi desiderant; sed,

quo loco progerminarunt, hoc eodem, petechiarum, miliarium, variolarum, morbillorum exemplo florescunt, atque vel maturantur ac decidunt, vel immutata ex superficie disparent. Alia fixam in pelle radicem non figunt; sed angustiori primum confinio limitata, hoc ipsum, quod de scarlatina, erysipelate observamus, perpetuo extendunt; aut pristinam possessionem inopinato derelinquunt, ac alienam furore æquali præcipitanter invadunt. Utrumque interim exanthematum genus non eodem, quo incepit, nisu ubique vegetat; sed aut maturitatem sibi propriam aliquando non adipiscitur, aut prorsus a cute disparet, ac pristinæ in hac ipsa sedis ne vestigium quidem relinquit.

§. 276. Ex dictis (§§. 273. 274. 275.) exanthematum causæ quodammodo illustrantur, ac frequens multorum ex abdomine patet origo. Ipsa tamen cutis per diuturnos atque artificiales sudores maceratio non minus, quam calor lecti siccus, in pelle mutationem, exanthematum generationi, sine alio ad intestina vitio faventem inducunt; atque delicatior laxaque cutis albidioris, tenerioris apud mulieres, infantes, rufosque homines conditio, hanc ipsam non raro promovere videtur. Sed & illa ipsa, quæ transpirationem, sudorem supprimunt, exanthematum non raro causam sistere observantur. Qui ex frigidioribus locis calidiora, & insuetos in his solis æstus subeunt, sudoris hic necessarii impatientes, papulis insigniter prurientibus ad cutem undique, seu *sudaminibus*, ac *hidrois* non sine periculo repellendis, obsidentur (§. 274.). Eadem post balnea frigida, calidiori anni tempore adhibita, in multis observantur. Qui cute sensibiliori obteguntur, illi vel ex simplici emplastro, aut linimento, cuti per Causæ.

paucas horas applicitis, mox plures non modo in eadem pustulas, phlyctænas, sed non raro erysipelaceam inflammationem experiuntur. Ob hanc forte rationem certa exanthemata ad loca corporis, atmosphæræ frigidiori præ aliis exposita, ut faciem, manus, uberius, quam ad ista, prorumpunt. Sed & ipsam plethoram tum generalem, tum localem, ad varias cutis efflorescentias contribuere, ex pustulis in fronte adolescentum succiplenorum, imprimis ab assumpto potu spirituoso a suppressis hæmorrhagiis prorumpentium, — ex cupreis, potatorum ad nasum maculis observamus; ac in ipsis adeo febribus, quas *inflammatorias* vocamus, tum petechiæ, tum miliaria interdum in cute propullulant: sub quibus detractum ex venis sanguinem manifesto corio obductum, minimeque resolutum, non tam raro conspeximus.

Magnæ interim *actionis nervosæ* (§. 228.), & *contagii* latentis in febribus suspicioni locus est, ubi exanthemata certa in pluribus *epidemico*, nec ex saburrali abdominis vitio, nec a Medentis erroribus pendente influxu propelluntur: vel quod illud ipsum, quod febrim excitavit, a cute receptum, vel ad eandem depositum fuerit; vel quod volatilius contagiosi principii vehiculum, quemcunque febris impetum, omnemque fere actionem, ad corporis dirigat peripheriam: per quam adeo sub ipso morbi principio, ac in subjectis non cachecticis, non raro sudoribus arte prolectis & febris causa, & exanthematum occasio, apertis cutis spiraculis expelluntur feliciter (§. 94.). *Putridam* esse hujus contagii, exanthematum in nervosis febribus (§. 80.) fontis, naturam; argumento, quod satisfaciat, nullo hucusque evictum est (§. 92.): nec certe variolarum, morbillorum benignorum qualitate, ac tam facili ad in-

flammatorios motus natura evincitur. Quod si ex *putrido* ac saburrali ad intestina vitio symptomatica non raro producantur in cute exanthemata (§. 274.); hoc non ob factam illius in sanguinem resorptionem, ac putridam *in hoc ipso conservatam* naturam, sed non secus ac alia, quæ putrida non sunt, — ac recens mytulorum ostrearumque caro, ab ejusdem in gastricorum systema nervosum actione præstatur; ac vix in alio exanthematum, quam illorum forte, quæ sub paralyticæ ac jam fere emortuæ cutis in agonizantibus, conditione, aut in cadavere erumpunt, casu, a putredine dependit.

Quid specificum variorum exanthematum, imprimis *essentialium*, in partem hanc vel illam nisum producat; hoc non minus, quam chronicarum efflorescentiarum in determinatas partes tendentium naturam, ignoramus. Sed quemadmodum venerei virus, ad aliam licet partem suscepti, singularem in genitalia, in fauces, cutem, ac ossa impetum, — scabiei, non ad faciem, sed ad digitorum præsertim, cæteramque cutem conversionem, — scorbutici vero acris in gingivas proclivitatem admiramur; sic & variolarum major cum capite, — morbillosi contagii evidens cum pituitosa faucium, pulmonum membrana, cum oculis, affinitas, — scarlatinæ materiæ specifica, — incipiente morbo, cum faucibus, — declinante vero, cum subcutaneo ac cellulari contextu, harmonia, fugit intellectum.

§. 277. Quod vero illa ipsa, quæ exanthemata constituit, materia diversam omnino naturam ac indolem agnoscat: hoc a vario ejusdem aut disparentis (§. 275.), aut ad interiora retrocedentis effectu non certa satis eruitur indagine. Symptomatica quidem quod attinet exanthemata, illa frequenter sine ma- Prognosis.

nifesta morbi mutatione ad cutem disparent, atque sine certo febris levamine revertuntur: sed si, quæ crisin aliquando constituunt, — aut quæ *primaria* & *essentialia* dicuntur exanthemata, cum magno interdum morbi augmento vel concidant, vel ad interiora repercuti videantur; hoc non minus causæ, quæ huic repercussioni subest, quam ipsius retropulsæ acredini materiæ, adscribere liceret. Est interim, ubi retropressæ utriusque materiæ tam evidens in viscera habeatur actio; & ubi reassumptæ in circulum deleteriæ acredinis tam corrosivus conspiciatur effectus: ut in hac ipsa potius materia, quam in causis retrocessioni subjacentibus, noxarum ac funestæ quærenda sit metastasis origo.

Quemadmodum vero, quæ vel criticam acrioris materiæ in cutem depositionem sistunt, — vel quæ in hac ipsa ex crudis perficiuntur ac maturescunt exanthemata, impetu nunc uno, ac vegeto naturæ sustinentur subsidio; nunc vero imperfecto cordis conamine vix foventur, ac medio sub opere languescunt: sic expedita, nec tamen coctione prior, nec tarda nimis, exanthematum criticorum efflorescentia non minus, quam pustularum, abscessulorumque repletio, elevatio, maturatio, ac floridus circumpositæ cutis habitus, spem Medentis non parum erigere queunt. Hinc aut lividus macularum aut nigrescens color, vel pallens papularum aspectus, aut vacua, collapsa, circuloque ex læto-rubente destituta pustula, ac intermediæ cutis œdematosus, vel subcinereus habitus, labescentis naturæ, ac perfectæ maturationis defectus, non raro vero instantis gangrænæ, testimonium exhibent. Est interim sat frequens in macularum colore, sine tantis indiciis, mutatio; sed sæpe aut cum læto earundem aspectu, pericula non minus in morbis augentur; aut lividus

ac subniger petechiæ aspectus, sub meliori rerum statu comparens, post horas sæpe non multas in alium, iterumque in alium, sine tanto discrimine convertitur.

In genere, quæ ex *primariis* exanthematibus ad cutem jam satis expulsa sunt, nec febrem tamen aut dissipant, aut moderantur; sed fortiorem longe accendunt; -- vel cum magnis lumborum, artuumque doloribus continuo incedunt, atque vel extremam sine plethoræ aut gastricæ saburræ vestigio debilitatem virium, vel deliria, lipothymias atque convulsiones agnoscunt: ea majori vitæ discrimine incedere credendum est.

Signum certum ac pathognomonicum, & quo futura exanthemata prænoscere valeamus, nisi cognitus regnantis epidemiæ character illorum, quæ pro talibus habentur, auctoritatem corroboret, nequaquam habemus.

Per se quidem nullum exanthema, nisi ob febrem, quæ hoc idem comitatur, pericula portendit; & vel ipsæ, quæ contagio propagantur, efflorescentiæ, sub recto virium vitalium moderamine, utplurimum discrimine carent. Vel ex confluente, ac pessimæ indolis variola desumpta, ac alieno subjecto inserta materia, non malignam ideo huic ipsi ægritudinem conciliat. Sed cur demum, sine apertis ex subjecti, atque alia conditione repetendis causis, tum variolæ, tum morbilli, tum ipsa adeo scarlatina, febrem potius *nervosam*, quam aliam hoc anno excitent; cum alio aut nullam, aut inflammatoriam, aut gastricam, sibi comitem eligant: hoc ad occulta mortalibus, nec ex tempestatis quidem rationibus explicanda, epidemiarum mysteria pertinet. Ipsa quidem cutis contextu in aliis laxiori, in aliis firmiori, -- sensibilitate autem in singulis diversa, instructa ob-

servatur; atque ex hoc forte certis variolæ familiis, aut adultis etiam funestiores, ac difficilior pustularum evolutio est: sed epidemicam hæc malignitatem vel minime illustrant; atque hunc durum in pathologicis nodum observatio, quod sub media, eaque malignissima constitutione, per insitionem artificialem propagata variola, non raro *benigna* communicetur, ulterius fortiusque stringit.

Cura. §. 278. Symptomaticorum exanthematum, quæ febrium utplurimum soboles sunt, medendi rationem, ex illarum doctrina petendam esse, non difficulter apparet; sed & ipsæ, quas essentiales vocamus, acutæ efflorescentiæ, potissimas hoc ex fonte regulas petunt: ita ut ulterior istorum morborum expositio superflua videri posset, nisi multarum hic rerum, sub febrium pertractatione non facile commemorandarum, occurreret ratio; atque plenior cujusvis demum exanthematis investigatio, tum singulorum diagnosin, tum curam non parum adjuvaret. Præter febrem nempe sociam non pauca sunt, quæ species diversas, ac varia exanthematum quorundam stadia concernant, momenta; nec eadem morbilli, quam variolæ, eadem licet febre stipata, methodo tractari queunt. Hinc eas primum exanthematum species, quæ fere *nuda* cutis planitiem aut nihil, aut parum, aut non constanter superant, *erysipelas* nempe, *scarlatinam*, *urticariam*, *petechias*, — dein vero eas, quæ *scabra* pellem magis exasperant, *miliaria*, *variolas*, *morbillos*, *pemphygum*, ac *aphthas*, hic pro instituti ratione attente describemus.

ORDO I.

EXANTHEMATA NUDA.

GEN. I.

ERYSIPELAS.

§. 279. Inflammationibus non minus (§. 269.) quam exanthematibus, affinis morbus est *erysipelas*, communissima necnon propria pellis humanæ affectio: in qua ad hanc ipsam molesta primum sensatio, superficialis calor, pruritus, mox dolor ardens, rubor dilutus, ex pallido subflavus, æqualiter diffusus, splendens, a compressione evanescens, hac cessante citissime revertens, sine duro, aut convexo cutis tumore, sæpe cum phlyctænis, utplurimum cum febre, alias sine ista, comparent, ad vicinas facile partes proserpunt, aut in dissitas inopinato ac celeriter transiliunt; aut protinus, non sine magno intestinorum periculo disparent, cum pauca in suppurationes, nisi malignas, vel ulcerosas, — sæpe cum evidenti in gangrænam dispositione, ac subsequente epidermidis desquamatione. Definitio.

§. 280. Nunc vero hæc cutis affectio, exanthematum æmula & *simplex*, in summa cute limitatur (§. 279.), nunc veræ inflammationi quodammodo propius accedit; in subjectam integumentis cellulosam profundius penetrat, atque ruborem magis saturatum, tumorem vero offert conspicuum, sed tamen insigniter urentem, ac licet minus complanatum, non tamen circumscriptum, nec in medio, nisi dum in abscessum, hac in specie non tam infrequentem, transiturus sit, convexum, acuminatum, atque *erysipelas phlegmonodes* appellatum. Nunc, œdematosam Divisio.

tumidamque jam partem prehendens, pallidiorem ab initio & ex seroso subcruentum colorem assumit; a compressione, donec pars magis indurverit, foveam ostendit; atque *erysipelas œdematodes*, in gangrænosam devastationem præcipue pronum, vocatur.

Internum quoque & ad viscerum superficiem residens haberi *erysipelas*, a veteribus creditum, a recentioribus vero in dubium vocatum est. Novimus tamen, non modo in viventibus encephalitidem, otitidem, peripneumoniam, enteritidem, singulasque inflammationum species, comparente ad externam corporis superficiem erysipelate protinus disparuisse; — hoc ipsum vero ab externis genitalibus, sine interruptione phlogosis, per vaginam ad uterum; a facie ad fauces, asperam arteriam, pulmones, cæterasque ad partes internas manifeste penetrasse: sed etiam in cadaveribus ad urethram, vesicam, vaginam, uterum, ovaria, intestina, ventriculum, hepar; — in pectore ad pleuram, bronchia, pericardium, cor ipsum, ac vasa majora; in calvaria ad meninges, ad cerebrum ipsum, frequentius certe erysipelatosa, quam phlegmonosa occurrit inflammatio. Ex mammarum scirrho, dexterrima licet manu per cultrum ablato, erysipelas in singulis fere corporis externi partibus, ac tandem lethalis peripneumonia successit: post quam pulmones undique correptos erysipelate, ex flammeo rubentes, nec duros, sed copioso sero innatantes, conspeximus; ac pars plurima certe peripneumoniarum malignarum (§. 190.) cum erysipelate pulmonum incedit; nec durus, nec cocto similis hepati ac ponderosus in cadaveribus pulmo in illis detegitur. Nullum ergo de *interni erysipelatis* frequentia dubium superesse potest; licet signa characteristica, quæ hanc potius, quam phlegmonosam affectionem ad viscera indicent,

nisi ab externo & retropresso erysipelate, aut a manifesta interni hujus mali ad externam partem non interrupta continuatione, — ex epidemica per sectiones pathologicas confirmata morbi indole, — ex cachectica subjecti constitutione ac prona in erysipelas natura, — ac demum ex causis inflammationi veræ parum faventibus desumatur, adduci non queant.

Sed maxima erysipelatis differentia ab illa febris sibi conjunctæ, nunc *nervosæ*, nunc *gastricæ*, nunc vero *inflammatoriæ*, derivanda est: nec solum hic quod *simplex* vocavimus, sed & *phlegmonosum erysipelas* cum febre nunc illa, nunc ista copulatur. Frequentius quidem hæc ultima morbi species phlegmonosa, sed non ubique, cum inflammatoria, pura saltem, febre incedit: malignarum in nervosis febribus metastasium exemplo, quæ, cum manifeste ad *phlegmonosum erysipelas* pertineant, sæpe tamen *inflammatoriam* pro comite febrem non agnoscunt. *Erysipelas simplex* utplurimum quidem cum gastricæ febris non ambiguis symptomatibus incedit, & hoc ex fonte originem trahit; sed male ex *subflavo* erysipelatis colore ad *bilem*, ut latitantem in sanguine causam, argumentantur; nec ubicunque cum hoc ipso vomituritio, aut amaræ materiei vomitus occurrit, mox ad gastricam morbi naturam concludimus securi. Nunc etenim in plethoricis subjectis & *simplex erysipelas* inflammatoriam febrem sibi adjungit; nunc vero cum summis licet ventriculi perturbationibus, ac flavescente rubedinis fulgore, non biliosam, sed *nervosam*, ac vere malignam febris naturam agnoscit, ac in gangrænas festinat.

Alias nec ullam quidem erysipelati febrem fuisse conjunctam vidimus (*erithema* Recentiorum): quod in *habituali* quammaxime ac per vices, aut per *pe-*

riodos interdum redeunte, nec tamen impetuoso semper incommodo — ac sæpe in erysipelate ab externis, levibusque causis progenito, observatur.

Frequenter satis *epidemicam* & ex causis semper obscuris pendentem erysipelata originem profitentur, atque partes nunc internas, nunc vero externas occupando, diversos inter se morbos, inflammationes nempe superficiales, quas *catarrhales* vocant, membranæ mucosæ narium, faucium, auris internæ, tracheæ, bronchiorum, ventriculi, intestinorum, vesicæ urinariæ, pudendorum, aut, ad mucosum sub epidermide reticulum conversa, phlogoses producunt. Utplurimum tamen hæ ipsæ *sporadicæ* occurrunt; atque nunc *fixam* externis in partibus, nunc *volubilem* admodum ac *ambulantem* naturam ostendunt.

Nec minus erysipelata mox *idiopathico* cutis, — nunc *symptomatico* potius oriuntur vitio; atque pro diversa, quam sibi eligunt, sede, diversa phœnomena producunt.

Criticam interdum erysipelas naturam habere observatur; ac hoc ipso, quo hæc scribimus, anno, in Mediolanensi nosocomio plures ex febre gastrico-nervosa decumbentes erysipelate ad faciem comparente sanatos fuisse percepimus. Sed frequentius felicem potius ex parte nobiliori ad minus nobilem ejusdem morbi conversionem exhibere videtur. Paucis in casibus *universale* erysipelas cutem, quam longe patet, omnem ac simul occupabat; in aliis non totam quidem ac unico, — sed tamen singulas corporis partes diviso impetu ac gradatim invasit. In aliis aut dimidiam, aut fere totam trunci partem, *circini* in modum, circumdat papulosum, quod *zoster*, aut *zona* vocatur.

Symptomata. §. 281. In genere quidem erysipelas nunc febrim

præcedit, nunc cum hac ipsa aggreditur hominem; nunc vero post duos utplurimum, aut tres, quatuorve dies, ægrotantem invadit. Ex *viginti* subjectis hoc morbo affectis, & quorum historiam ex *Instituti Clinici* diariis coram oculis habemus, nonnisi *duo*, priusquam febricitassent, — *sex* vero post primum jam caloris ingressum, — cætera vero *duodecim* vel secunda, vel tertia a febris principio die, erysipelate notabantur. Sed, quod attentione dignum, ex iisdem *viginti* ægrotantibus non minor quam *sexdecim fœminarum* numerus observatur.

Pro varia vero partis, quam sibi morbus pro sede eligit, sensibilitate, atque cum aliis consensu, aut minor, aut major turbarum est cumulus. Sæpius certe cum forti, ac per horas continuante rigore, rarius sine quovis horrore, exordium suum ægritudo sumit. Sequitur mox calor capitisque dolor intensus, qui sæpe post nychthemerum sudore moderatur. Non infrequens secunda morbi die frigus, priori non mitius, est: quod calor iterum ac cephalæa, aut calor cum frigore alternans insequitur. Ad vesperas vero insigniter ille jam augetur; anorexia, oris amaror, nausea, vomituritio, vomitus ipse, inquietudo, pervigilia, — apud infantes mox sopor, interdum convulsio accedunt. Præter hæc prima stimulantis ac mox expellendæ, aut jam expulsæ materiæ phœnomena, febris, quæ præsto est, aut *nervosæ*, aut *gastricæ*, aut *inflammatoriæ*, sæpius vero *complicatæ* symptomata subintrant: quorum natura ex anterioribus (Lib. I.) pernoscitur. Sitis interim & linguæ siccitas vix non ubique observantur, ac alvus utplurimum obstructa est. Pulsus ratione doloris ac spasmi frequenter durus & contractus tangitur; in aliis arteriæ sat molles, atque nunc plenæ atque frequentes, nunc a naturalibus non multum abludere sentiuntur.

Quocunque vero tempore erysipelas in conspectum prodeat, pars affecta gravitatis primum atque caloris externi, mox vero pruritus ac fere ustionis, sensationem experitur. Interdum, cum ad caput insultus instat, *jugulares*, — aut quæ post *aures* positæ sunt, — si vero extremitatibus exanthema imminet, *axillares*, aut *inguinales glandulæ* dolent, punguntur ac tument, nec attactum perferunt: quod & ab erysipelate has ad partes jam conspicuo, ad lymphaticas has glandulas, dissito licet ab illo positas loco, contingit. Mox vero descriptus (§. 279.) rubor fere roseus ad minorem primum cutis circuitum, tandem ampliori extensione efflorescere observatur. Atqui si ad internas ac membranaceas potissimum partes hæc ipsa contingant, sequuntur tunc singula inflammationum alibi descriptarum (Lib. II.), imprimis complicatarum, symptomata.

Si ad caput, quod frequentius accidit, erysipelas prorumpat, tunc ex una utplurimum gena principium est, mox ad alteram, & ad frontem, brevique tempore ad capillatam capitis partem extensum; tumor vero mox altius, ac in alia fere parte assurgit: inflantur, quasi ab œdemate, oculosque rubentes abscondunt palpebræ; labium superius, nasusque valdopere crassescunt, aerique per hunc aditus intercluditur omnis; jam aures rubent, splendent, ac insigniter ardent: quo tempore, secunda fere, aut tertia ab eruptione die, & facies, & caput totum ad monstruosam molem, nec tam roseo, quam sat profundo rubore suffusam, summopere dolentem, & quasi totidem ubique aciculis, ut ægrotantes se explicant, ubique punctam, augetur. Jam vero plures ex istis, aut in consensum tracto, aut a tam vicino sibi incendio simul correpto cerebro, cerebello, in soporem, aliquando profundum ac lethargi-

cum, labuntur; aut mussitant, aut ferociter delirant; multi vero ob faucium tubæque ex his ad aurem ducentis phlogosin surdescunt ac dolent, difficulter deglutiunt, atque symptomatico sæpe magis, quam idiopathico stomachi affectu, æruginosam interdum bilem per vomitum rejiciunt. Atque nunc, quod ore nonnisi aperto respiratio absolvatur, siccissima ac fere nigra conspicitur lingua; & secedente jam hinc inde in furfures ac pelliculas epidermide, — vigente alibi, ad nasum præprimis ac frontem, livescente tumore, fœdus, nec prorsus sibi similis ægrotantis aspectus est. Eadem vero ad capillatam capitis partem rerum conditio in multis observatur, ac ob summam cutis ad occiput tensionem, nec in dorsum fere decumbere, — nec, ob auricularis conchæ a phlogosi splendenti ac sensibilissimæ cruciatus, in lateralem converti situm queunt.

In aliis quidem corporis partibus erysipelate correptis tam notabiles turbæ frequenter adeo non occurrunt; nec facile hoc ipsum, nisi *phlegmonosæ* potissimum naturæ, in tantum illarum tumorem assurgit. Interim ad *scrotum*, aut, sub phimosi, ad *præputium* conversa hæc phlogosis, non raro gangrænam citissime has ad partes inducit: quod & in pelle vel os nudum, ut in tibiis, — vel cartilaginem, ut auricularum ad conchas, supervestiente, sub non magno licet partis tumore, timendum est. Alias vero, ac mitioris sub indole morbi, imprimis si febris aut nulla, aut perpauca atque malignitatis expers subfuerit, — symptomata moderate admodum incedunt.

Nec tamen igitur vel leviori etiam morbo fides habenda, nec per diem certa securitas est. Extrema scilicet materiæ ex una in alteram partem volubi-

litas, sæpe ex leviori istius affectu, mox gravissima in aliis symptomata minatur. Præter alia non pauca inconstantis morbi exempla, aliud nuper in fœmina conspeximus, cui erysipelas, ad decimam tertiam adeo morbi diem, ex facie ad pedem, — ex hoc vero post paucum tempus ad coxam, — mox iterum ad vultum, ex isto ad intestina, ex abdomine ad eundem iterum pedem; nunc ad costas ac pulmonem; ultimo vero ac lethali insultu, in cerebrum conversum est.

E. pustulosum.

§. 282. Quod vero descripta hucusque erysipelatis symptomata non parum exasperat, est phlyctænarum, seu vesicularum, bullarum, materia seroso-lymphatica coloris utplurimum flavi, interdum rubescentis, repletarum, super ipsa cutis erysipelate exardentis superficie elevatio: quæ *pustulosum* aut *vesiculare* sic dictum *erysipelas*, — nec tamen ideo distinctam satis ab aliis, certamque morbi speciem, constituit. Sæpius nos has vesiculas jam prima comparentis erysipelatis die, cum hoc ipso simul prodire, ad ovi columbini, vel & gallinacei interdum magnitudinem elevari conspeximus; alias vero in vesicæ ex cantharidum applicatione aut a combustione productæ in modum, ad sat magnam cutis plagam hæ ipsæ assurgunt; aut pluribus in locis distinctas phlyctænas efformant; aut & inter se confluunt.

Sed quemadmodum nec ab ipsius erysipelatis expulsione, priusquam tumor subsideat, symptomata mitescunt; sic & phlyctænarum eruptio illud ipsum nequidquam infringit. Hæ vero jam primo interdum, quo comparebant, die vel sponte rumpuntur, & aeris ab attactu mox lymphatica liquoris portio condensatur, crustasque duras, flaventes, mox bruneas,

ac fere nigras, efformat. Ab his ipsis, subjectæ cutis inflammatæ tensio, irritatio non parum augetur; ac sæpe corrosivum fere serum sub duro hoc tegmine stagnans eandem profunde exedit, & in ulcus sordidum convertit; aut, cum, super omni parte extensa, ac pollice, ut vidimus, crassior, inflammatam sic partem inæquali contractione undique & comprimat & stimulet, in gangrænam interdum præcipitat.

Nec juvat partem erysipelatis aliquam subsidere, nisi febris simul dolorque ubique remittat: cum sæpe in vicina alia non minor ac in priori stimulus, irritatio, ac serpens e loco in locum inflammatio, recurrat.

Tandem vero, pro varia erysipelatis vehementia, sub finem quartæ aut quintæ ab eruptione diei, interdum sexta, septima, vel octava fere, cutis mador, sudorque nocturnus, — in aliis diarrhœa, aut narium hæmorrhagia, sæpe sudor insimul, ac urina sedimento puriformi instructa, vim febris ac erysipelatis infractam testantur: quod nunc subsidere, pallescere, epidermis vero in furfures, aut squamas decidere incipit, paucorumque intervallo dierum ex cute disparet. Sub repetito tamen morbi ad partes novas insultu, hæc desiderata criseos signa, licet desquamatio hinc illinc succedat, ad undecimam, decimam sextam, ad tardiorem, nec certam, aliquando diem, differuntur. In leviori erysipelate sæpe nulla criseos signa comparent.

§. 283. Erysipelas vero, quod *phlegmonosum* diximus, non aliam certe, nisi vehementiæ ac profundioris sedis, ab erysipelate *simplici* differentiam agnoscit. Inflammatoria quidem febris *phlegmonosam* illam frequentius, quam *simplicem*, sed certe non

Erys. phlegmonosum.

ubique, comitatur affectionem; & quemadmodum in hac ipsa non semper desunt inflammatoriæ febris symptomata, sic & in illa, cum inflammatione licet manifesta, *nervosa* tamen interdum febris observatur (§. 280.). Quodsi vero erysipelas cum phlegmone incedat, tunc color illius, quod de capitis affectu, frequentissime phlegmonoso, jam dictum est, atque ad articulos, ad mammas muliebres interdum conspicitur, obscurior, tumor vero profundior, durior, dolorque magis lancinans ac pungens, licet ubique ardens, observatur. Si febris simul inflammatoria cum hoc incedat, tunc pulsus pleni, duriores, ac singula hujus febris symptomata (§. 116.), cum gastricis signis utplurimum conjuncta, prædominantur; ac facilior morbi, verno imprimis tempore grassantis, in abscessus conversio est. Hos abscessus ad ipsam faciem conspeximus; ac si frequenter, quod monuimus (§. 279.), malignam prodere naturam soleant, hoc tamen non quovis in casu sic esse videmus. Ad cruris amplitudinem hoc ab erysipelate tumuisse brachium, aut partes quoque alias insignem ad molem venisse, crustisque duris, crassioribus undique riguisse, — quin has ultimas per menses substitisse, atque tunc ab attactu sanguinem facile effudisse, sumus experti.

Erys. malignum.

§. 284. Sub malignæ vero ac *nervosæ* febris cum erysipelate ingressu, subinde epidemico, ac, prout Medicorum fasti loquuntur, *pestilentiali*, symptomata illius (§§. 80. — 90.) efflorescentiam tum *simplicem*, tum *phlegmonosam*, aliquando comitantur; ac summa mox virium prostratio, lipothymiæ, deliria, sopor, stupor, aut subsultus tendinum, tremores, convulsiones, sine manifesta, ex saburris gastricis, aut ex plethora quærenda, causa, ac celer in livo-

rem partis, ac in gangrænam, aut in pessima ulcera transitus observantur. Vidimus nihilominus vetulam, quæ, cum ex improviso linqueretur animo, mox insigni frigore, calore, cephalæa, tussi, dolore faucium ac erysipelate corripiebatur; pulsum vero vix frequentem, sed durum, linguam mox nigram, debilitatem summam, mentemque deliram, manifestabat. Huic vero cum, die morbi licet nona, vena aperiretur, sanguis corio obtectus tam felici effectu educebatur, ut undecima per largum sudorem saluti restitueretur.

§. 285. Senibus, cachecticisque corporibus, vel & mulieribus, quæ menstruorum suppressione laborant, *erysipelas* interdum *habituale* redditur, & verno imprimis vel autumnali tempore, aut, quod vidimus, mense quovis, periodice redit: utplurimum impetu febreque carens; sed cum crura frequentius petierit, ulcera non raro in iisdem rebellia, aut duritiem cutis cum tumore pedis nec per vitam solvendam, inducit. Erys. habituale.

§. 286. Frequentius erysipelas labefactatas ex affectu chronico partes, imprimis œdematosos jam hydropicorum artus, præcipue crura, vel sponte, vel post institutas in istis scarificationes, invadit: ubi sub extremis sæpe doloribus, atque flammeo, splendente, mox vero livido ac plumbeo cutis colore, promptissimam in gangrænas indolem manifestat. Similia ad scrotum anasarca laborans, & ad œdematosa fœminarum genitalia, contingunt. Erys. œdematos.

§. 287. Singularem erysipelatis speciem *zona*, vel *zoster*, aut *circinus* (§. 280.) exhibet: quem rarioрem sane morbum non pluribus, quam in *quatuor* sub- Zona, Zoster.

jectis, conspeximus. Præcedebant in puellæ brachio sinistro dolores quasi rheumatici, ac per plures jam dies urgebant. Successit nunc ad costas sinistri lateris sub scapula fortissimus, sine alio ad cutem signo, dolor. Post aliquot dies rubor coccineus, vix palmæ spatio diffusus, ardentissimus, atque mox vesiculæ vix pisum æquantes, variolis fere similes, copiosissimæ, profunde insidentes, confertæ, hinc inde confluentes, fere racemosæ, ac flavescente liquore repletæ, prorumpebant. Proserpebat hæc eruptio, atque oblique per costas sub mamma sinistra ad scrobiculum usque, eadem fere, qua diximus, latitudine descendebat. Quo vero tempore *zoster* hic cum pulsu frequenti, celeri, duro, & acutissimo dolore, extendebatur; phlyctænæ adultiores infra scapulam livida inter se, tenuique crusta cohærentes, exsiccabantur, ac in furfures decidebant. Eodem modo pustulosus hic, & nonnisi dimidium truncum circumscribens arcus post paucos dies, & quin ad lectum coacta fuerit ægrota, post evacuantia quædam remedia, disparuit in totum. Similis prorsus in duobus viris rerum decursus a nobis observatus est; nisi quod in uno ex istis, desquamatione jam in totum absoluta, & dispulso protinus rubore, per multos adhuc dies acuti ad eundem locum dolores, vesicante demum emplastro fugandi, continuarent. In quarto casu, validissimi circa ilei ossis regionem dolores virum per plures jam dies atque cum febre excruciaverant. Tunc vero ad palmæ amplitudinem innumerabiles mox pisoque minores, cuti vero profundius insidentes, rubentes ad basin, in apice flaventes phlyctænæ, cum splendente roseoque pellis rubore insimul prodibant, ac internus pridem dolor in superficialem magis & ardentem conversus est. Post tres, quatuorve dies,

epidermide desquamari incipiente, dolor omnis in crure conticuit. In alio casu tam latam aream non occupasse, sed minorem, floreni simplicis aut duplicati, nec febrem vehementem conjunctam habuisse, legimus. Interdum vero & dimidiam calvariæ, faciei partem, in aliis collum, abdomen, crura, brachia, varios in sensus hic *circinus* ambit, atque raro satis exemplo & *chronicam* habuisse naturam conspectus est. Alias *epidemice* grassari *zoster* visus est: exsiccatis vero pustulis, aliæ subnascebantur magis extensæ, quæ ægrotantes per menses doloribus ac insomniis cruciabant, sæpiusque, sanato jam exanthemate, tormenta eodem in loco continuabant. Nec tamen lethalitas morbi, de qua veteres, *si totum hominem afficeret*, pluribus Recentiorum exemplis confirmata est.

Ad *erysipelas* certe hic morbus spectat, a communi diversus in eo, quod dolores in parte aut præcedant, aut sequantur diuturni satis; quod phlyctænis copiosissimis ac fere regularibus, profundius ad cutem hærentibus, nec tam altis, ubique pars affecta obtegatur, nec tumor fere, nec major exanthematis extensio facile hic occurrat. Vesiculas in communi erysipelate tardius semper erumpere, hoc ab experientia confirmari non vidimus.

§. 288. Quæ de exanthematum origine generalia diximus (§. 274.), hæc & de erysipelatis, vix tamen unquam contagiosi, causis dicenda sunt. Hæ vero nunc *externæ*, nunc *internæ* esse observantur. Quæcunque cutem stimulo non magno ac superficiali irritare queunt, ea mox erysipelaceam in eadem phlogosin excitare valent. Vel simplex paulo-que rudior frictio hanc inducit; similes levioris ambustionis, affusæ fervidæ, sinapismi, vesicantis re- Causæ.

medii, punctura apum, vesparum, ac liquoris, quem irritata nonnunquam animalcula, insecta, in sui defensionem spargunt; vel & illius forte, quem *Chinenses* populi sub vernicis præparatione tractant, effectus sunt. Frequens ex vulnere, interdum levi, ut venæsectione, a fractura ossis, a compressione, erysipelas est; & quibus variolæ artificialiter inseruntur, his interdum hoc ipsum exanthematis genus circa locum, quo virus infensum latet, abunde prorumpit. Ex tumorum cysticorum ad occiput incauta scarificatione ac refrigerio, erysipelaceam ad caput, primo certe internam, mox vero a cerebro ad faciem, sub continuo lethargo, ambulantem ac lethalem affectionem observavimus. Vel solum emplastrum aut ceratum sensibiliori cuti applicitum, aut illinitum unguentum, erysipelas non raro excitare, conspicimus.

Potissima vero istius causa censenda est *refrigerium*, & sub epidermide collecta sudoris materia. Ex incauta mammarum a puerperio denudatione frequentissimum ad illas erysipelas occurrit; ac in frigidioris venti in unam magis partem ac fortiori actione sæpissime hic morbus originem agnoscit. Qui ob vacillantem salutem, vel ob solum timorem, ab aere liberiori sibi attentius cavent, aut integumentis caput solicite nimis fovent atque custodiunt, hi vel ex levioris auræ afflatu erysipelate faciei immunes non vivunt; & ob frequentiorem transpirationis vernali & autumnali tempore suppressionem erysipelata copiosa se manifestant.

Quodcunque demum acre, rheumaticum, arthriticum, herpeticum, vel aliud, super cute depositum, producendæ forsitan majori inflammationi impar, erysipelaceam in hac ipsa phlogosin inducit.

Sed potissima in primis viis erysipelatum officina

latet. Quamvis enim ex solo oris amarore, ex nausea, vomituritione, vomituque bilioso ipso, aut ex flavescente erysipelatis colore ad gastricam morbi indolem non sine magno erroris concludatur periculo: manifesta tamen causarum cum effectu suo cohæsio frequenter hic adest; ac ipsa medendi methodus saburrarum eliminationi intenta, non tam gratuitam hanc abdominalis originis suppositionem esse in multis quodammodo ostendit. Ex bile hinc & a saburris in primis viis copiosius collectis, & ex verminosa, putridaque intestinorum colluvie, erysipelas persæpe originem habere & ratio suadet, & experientia confirmat.

Interim tam multiplicis ac popularis sæpe morbi tam simplex non ubique causa est. Quem scilicet cutis ex abdomine, — hunc & istius viscera ex pellis, aliarumque partium affectione consensum patiuntur; ac sæpe, quæ nervos cutaneos tam ruditer stimulat materia, ea symptomatum gastricorum per solum aliquando consensum excitare valebit seriem.

Sed, quod summa dignum attentione videtur, non parva sæpius in erysipelate *nervosi systematis* auctoritas apparet; nec alia forte causa est, cur a terrore, ab ira, & quovis fortiori mentis pathemate, hic morbus tam sæpe principium habeat; — cur certa venena, ac res per idiosyncrasiam corporis nocivæ, nunc frictum scilicet *Squali Catuli*, seu *Catuli marini* piscis hepar, nunc mytuli vel ostreæ (§. 274.), nunc vero pisces aut carnes acriori condimento aut rancedine penetrata, vel *Cyprini* neque satis saliti, neque elixati, nunc anserinæ adeo carnis & cancrorum victus, certis hominibus erysipelas concitaverit; — cur ex minoris interdum nervuli læsione sub venæsectionibus, aut a simplici per acum, aut per spinam inducto, vix sensibili vulnusculo, erysipela-

cea tam sæpe inflammatio mox membra invadat; — cur tam parva inflammatione, tam insignis sæpe ac fortiori phlegmone major hic dolor urgeat; — cur frequentior in fœminis, quam in viris, ac imprimis tempore, quo menstrua illis prorumpunt, erysipelatis proventus (§. 281.); -- cur tam facilis ejusdem in gangrænas conversio; -- cur tam communis erysipelatis cum febribus nervosis complicatio; -- & cur demum non spernendi ex *opio* in certis erysipelatis casibus effectus observentur (§. 290.). Quod si evacuantia tam sæpe hoc in morbo prodesse videantur; hoc, si frequentiorem ex abdominali fonte erysipelatis originem esse in multis testetur, non tamen omnis emeticorum ac evacuantium, in sola evacuatione consistit actio; atque sat evidens antimonialium in refractis dosibus porrectorum utilitas, in eorundem in nervos effectu persæpe consistit. Sæpe quoque symptomatica bilis collectio cum fructu in morbis discutitur, quin ideo princeps morbi origo ex hac ipsa colluvie derivanda sit: nec certe in quovis erysipelate, imprimis *maligno*, evacuantia indiscriminatim prodesse observantur.

Interim & consuetæ excretionis tum menstruæ, tum hæmorrhoidalis suppressio ad frequentem satis erysipelatis causam spectat: qua fit, ut, quo tempore illa absolvi debuisset, hoc ipsum, periodice interdum, ad cutem compareat.

Ex ipsius vero cutis vitio in certis subjectis major in erysipelata, eandem vix non semper partem invadentia, dispositio repetenda videtur. Sæpe interim ex latente in humoribus acri hanc affectionem habitualem oriri, docet observatio majoris beneficii, quod valetudinarii homines ex consueto erysipelatis reditu experiri cernuntur: docet frequens ulcerum exsiccatorum in cutem effectus, ac major cachecticorum in erysipelas dispositio.

§. 289. Leviorem sæpius erysipelas morbum sistit, atque circa quintam, septimam, aut undecimam diem, per sudorem, urinam cum puriformi sedimento, aut per alvum, frequenter terminatur. Interim ob inconstantem illius naturam, nec leviori quidem ægritudini securitas tribuenda; nec illa, quæ per læsiones externas inducitur, licet minus volubilis, ob suppurationes, quas nonnunquam sat difficiles excitat, pro insonti ubique habenda est. Capiti sæpius infestum observatur erysipelas; & ubi sopor, deliria, tendinum subsultus accedunt: encephalitidis erysipelaceæ, vel apoplexiæ minatur pericula. Erysipelas ab externis partibus intro converti, malum; ab internis vero extra, bonum: sed oportet, exterius comparente phlogosi, interni phœnomena mali aut protinus cessare, aut multum imminui; alias, ut conspeximus, interni potius augmentum incendii, ac ulteriorem istius dilatationem significat. Rubores circa aurem ex prægresso dolore in febribus oborientes signum quidem sunt erysipelatis in facie futuri, vidimusque hunc COI aphorismum in puella nuper confirmari: cui, ex insigni capitis dolore cum inflammati cerebri phœnomenis laboranti, acutissimus post utranque aurem dolor, cum lymphaticæ glandulæ, non magno quidem, sed attactum recusante tumore, salutare ad faciem erysipelas prædixit. Glandularum inguinalium, axillarium, jugularium rubores, dolores, sæpe ad partes suas, ex quibus lymphatica vasa suscipiunt, erysipelas futurum indicant. Pericula vero istius, tum ex febris, cum qua incedit, tum ex causis ac subjecti natura eruuntur. Pessimum ex febre nervosa eidem connubium sæpe est; atque si cachecticum, hydrope, ictero, scorbuto effectum, aut viribus destitutum corpus invadat erysipelas, funestus non raro sub anxietate, deliriis, pul- Prognosis.

su inæquali, dyspnœa, sopore, convulsionibus, aut tendinum subsultu, exitus observatur. Livor autem partis, aut nigredo, aut striæ quasi flammæ, radiorum in formam ex affecta, imprimis œdematosa, parte dispersæ, gangrænam sphacelunque futura prænunciant. Suppuratio ex erysipelate frequenter mala & ulcera sinusque difficiles inducit; interim & bonam fuisse novimus, & erysipelatis epidemici nota est historia, quod, nisi per suppurationem judicaretur, lethale esse consuevit. Difficilior erysipelatis ad partes glandulosas resolutio observatur. Ad scrotum, sæpius in gangrænam morbus terminatur. Ab erysipelate in cute apparente, imprimis *habituali*, graviores interdum atque chronici adeo affectus, uti asthma convulsivum, dolores varii, ac obstructiones viscerum dissipari observantur.

Cura. §. 290. In erysipelate curando imprimis febris hoc ipsum comitantis, tum causarum, epidemiæ regnantis, ac subjecti ratio habenda; *resolutio* vero quocunque in casu, nisi aliter epidemica jubeat constitutio, quærenda est. Levior quidem, & ex suppressa transpiratione ortus, vixque febrilis morbus, leni diapnoico remedio, moderato ambientis atmosphæræ tepore, infuso sambuci, haustuque salino cum nitro ac rob sambuci, nec non fomentatione sicca per sacculos aromaticis herbis, & camphoræ portione refertos (Num. XXXIII.), erysipelatis loco superimpositos, vel & leni evacuante salino, feliciter curatur. Aliis quartam grani partem usque ad dimidium granum *opii* dedisse, alvum cremore tartari purgasse, cuti vero pulverem ex cadmia fornacum & farina tritici vel avenæ aspersisse, ac eandem pluries in die cum decocto capitum papaveris, chamomillæ & hyperici, cui pars circiter

sexta spiritus vini superaddita fuerat, fomentasse conduxit.

Si febris *inflammatoria* (§. 116.) erysipelas comitetur, atque phlegmonosam hoc ipsum ostendat indolem, imprimis vero si caput sub his rerum circumstantiis obsideatur, cum pulsu pleno, forti, duro, aut a plenitudine oppresso: tunc in repetita venæsectione, posthinc in sanguisugis aut cucurbitulis ad loca ab inflammatione libera, imprimis post aures, vel ad occiput positis, princeps auxilium est; nec symptomatum gastricorum ex inflammatoria irritatione orientium tanta hic ratio haberi potest. Semper tamen cogitandum erit, exanthematicam hanc inflammationem, non ut simplicem aliam, aut puriorem, per copiosas adeo venæsectiones tractandam; sed pro felici resolutione atque crisi per cutem ipsam obtinenda, vires vitæ satis conservandas esse. Dein vero, licet symptomata gastrica irritationi magis adscribenda esse dixerimus, sæpe tamen sat evidens est character epidemiæ *inflammatorio-gastricus*: quo præsente, venæsectionum nimis copiosarum iterum moderamen, atque evacuantium cæterorumque antiphlogisticorum usus, nec non, frenato jam inflammatoriæ febris impetu, refractæ tartari emetici doses indicantur. Rarius quidem, si ad extremitates, aut ad truncum hæc erysipelatis species resederit, tot venæsectiones, quam si cerebro inflammatio minitatur, requirentur; sed in hoc etiam casu, ipsius inflammationis vehementia, quid faciendum sit, docebit; atque si maximus in parte dolor, rubor, splendor, aut densiores, irritantes ex *pustuloso* morbo crustæ sic jusserint: tunc fomentationes, leviora cataplasmata, ex emollientibus, decocto imprimis malvæ, vel lacte & aqua cum infuso sambuci, quamplurimum indicantur. Alias erysi- E. inflammat.

pelas ab humidis superimpositis, imprimis glutinosis, transpirationem impedientibus, aut forte frigefactis, exasperatur, in suppurationem vergit, ac facillime repercutitur.

E. gastrici. Si *gastricam*, ut sæpius contingit, febris indolem in erysipelate habere videatur (§. 100.): tunc, excepto complicationis inflammatoriæ casu, venæsectio omittenda, & vel emetico, si ad superiora urgeant materiæ, vel alvum purganti remedio locus erit. In casu residentis ad faciem erysipelatis, emesin non facile provocamus; sed, porrectis pulveribus resolventibus (N. II.), potionem laxantem antiphlogisticam, ac denique haustum salinum cum refractis sub fine morbi tartari emetici dosibus, sero lactis, infuso sambuci cum oxymelle simplici, propinamus. Nec metuendum est, erysipelas ab emeticis aut evacuantibus, dummodo caute & moderate adhibitis, retrocedere, ac interioribus minitari. Si, factis jamjam necessariis evacuationibus, febris adhuc cum impetu continuet: tunc acidum vitriolicum in potu ipso, vel medicina porrectum, prout alibi (§. 109.) docuimus, indicatur.

E. nervosi. Ubi febris nervosa (§§. 87. 88.) hunc morbum comitatur, tunc singula hac in febre commendata (§§. 94. 96.) remedia, ab initio interdum emeticum; posthinc vero, imprimis sub metu gangrænæ, cortex peruvianus, vel radicis serpentariæ virginianæ, angelicæ, imperatoriæ infusum, serum lactis vinosum, vinum ipsum, camphora, vel & moschus, vesicantia, sinapismus, indicantur. In summo ab erysipelate, cum hac febre incedente dolore, *opium* ipsum cum peruviano cortice nuptum, ac æther vitriolicus in usum trahenda erunt; novimusque periculosissimum, & vicinam gangrænam ad scrotum minitans erysipelas ab *opio* solo, quam & in casu erysipelatis

a nervi læsione externa oriundi promittit, medicinam habuisse.

In quovis autem faciei, capitisque erysipelate, erecta trunci ac illius positio quammaxime necessaria est. Nec tamen frigori caput hic exponendum, sed ab allidente aere leviori tegmine defendendum est.

Quoad externa in erysipelate remedia, ea non sine magna adhiberi cautela oportet. In simpliciori quidem malo, manifestum ex fotu sicco ac paulisper aromatico subsidium est; in erysipelate pustuloso vel cum acrioris seri transudatione conjuncto, absorbentes hoc ipsum pulveres irritationem omnino diminuunt; ac licet crustam facile inducant, & transpirationem impedire videantur, experientia tamen tum dicto in casu, tum in eo, quo ab externis causis erisipelas provenit, cum fructu pulveres ex lycopodio, farina tritici, fœnu græci, adhiberi posse commonstrat. Nec plumbum, quod pulveribus ad erysipelas subinde commiscetur, his in casibus tam funestum est, ut non in phlegmonoso adeo erysipelate cataplasma ex panis mica & *aqua vegeto-minerali* cum evidenti fructu aliquoties adhibuerimus. Tutius interim a plumbeis & adstringentibus abstinemus remediis, & in casu fortioris phlogosis, decoctum emolliens tum huic ipsi, tum crustis durioribus pustularum admovemus; nec facile nos induci sinemus, ut, cum Recentiorum quibusdam, erysipelati, nisi ad genitalia, ex causa venerea, vel ipsam frigidam applicemus. In œdematoso, imprimis scroti, erysipelate, in quo acris non raro materia cutim erodit, promptamque gangrænam minatur, egregium vidimus subtilioris ex cortice peruviano pulveris, pauxillo myrrhæ ac camphoræ juncti, cutique inspersi usum. In pustuloso erysipelate, majores vesicæ acriori & cutem facile exedente sero per incisionem liberandæ sunt; atque si

hoc ipsum, licet spongia teneriori frequenter abstersum, irritationem continuet: tunc utique prædicti pulveres inspergi, — crusta vero, quæ exhinc, vel ex coagulata mox lympha super pustulis ad artus induratur, emollientibus humectari, vel charta, cui butyrum recens illinitum est, involvi potest: qua methodo durissimas ac fere corneas crustas vel unius noctis spatio cecidisse, ac erosionem, doloremque omnem dissipari conspeximus.

Scarificationes in parte erysipelate correpta instituere, nos quidem ob gangrænæ metum ausi non sumus, atque in juguli erysipelate per incisiones tractato illam successisse compertum habemus.

Si gangræna cum febre nervosa incedens in erysipelate observari contingat: tunc, præter internum peruviani corticis usum, & fomentationes ex eodem cortice, vix tamen ad faciem, instituenda, — omnia illa, quæ alibi (§. 136.) ad gangrænam tum hanc, tum aliam commendavimus, remedia mox adhibenda sunt.

Nec zoster (§. 287.) aliam sibi, quam quæ pro erysipelate proposita est, curam expostulat.

E. habituale. In *habituali* erysipelate (§. 285.) ad causam latentem respiciatur, atque hæc, si fieri queat, tollatur oportet. Interdum hic viscerum, hepatis imprimis, obstructio subest; quæ propria huic malo remedia, resolventia, succos plantarum lactescentium ac amararum, fructuum horæorum recentes, ac alia, sibi expetit. Similia de menstruæ, ac hæmorrhoidalis excretionis suppressione dicenda sunt, quæ variam & ex aliis regulis petendam sibi opem explorat. Si quam in sanguine acrimoniam suspicari liceat: tunc aut specifica eidem remedia, vel generalia, imprimis ea, quæ transpirationis ac urinæ secretionem promoveant, — fonticuli quoque aut

setacea, opponenda sunt. Thermarum sæpe, imprimis sulphurearum, usus hic prodest.

Quod si vero ex cutis laxitate ac debilitate vel sensibilitate nimia erysipelas pendere videatur: tunc assuefacto sensim sensimque aeri puriori ac liberiori corpore, roborantibus magis tum internis, tum externis, frictionibus, balneis frigidis, maritimis, martialibus, cortice peruviano, ægrotantibus succurrendum est.

Si ad interiora repercussum erysipelas periculosum in illis morbum excitaverit: tunc, pro varia hujus retrocessionis causa, & pro varia novæ ægritudinis indole, methodus medendi diversa ex regulis artis partim jam traditis, partim vero alibi (§. 326.) exponendis, adhibenda; — in revocando autem ad cutem exanthemate opera omnis ponenda est. Hinc nunc venæsectio repetita, nunc excitantia potiùs remedia, nunc diapnoica, antimonialia, balnea tepida, nunc anodyna & sedantia remedia, — in aliis emeticum, aut alvum laxantia, — exterius vero, ac ad ipsam, quam erysipelas deseruit, partem, aut si locus id recuset, ad ejusdem vicinas posita vesicantia aut sinapismi, vel cantharidum tinctura cuti infricanda, cucurbitulæ siccæ super cutem hinc inde trahendæ, indicantur. Si periculum in mora esse censeatur, tunc scarificatio partis, cui cantharides applicandi sunt, aut cæsio cutis urticis recentibus instituta, aut fervida demum aqua panno laneo suscepta ac pro momento superimposita, conducent.

ORD. I. GEN. II.

SCARLATINA.

Notio. §. 291. Morbos a priscis Medicis, si forte pejorem illius & quæ cum *cynanche gangrænosa* incedit speciem (§. 175.) excipiamus, parum intellectus, — saltem ante sæculum decimum sextum non pro distincto exanthemate descriptus, *scarlatina* est: in certis ut videtur Europæ provinciis adhucdum perrara, in aliis frequentior, & epidemice hinc inde recurrens, infantibus quidem communior, sed nec adultis parcens ægritudo: cujus descriptionem, tum aliorum, tum propriis non paucis diversarum constitutionum muniti observationibus, hic aggredimur.

Definitio. §. 292. Nunc vero tam innocuus tamque mitis, — nunc tam exitialis ac pestiferus est *scarlatinæ* decursus: ut res ardua sit, recta, quæ morbum sibi ipsi adeo dissimilem arctius circumscribat, atque ab analogis forma affectibus, erysipelate (§. 279.), & morbillis, sat bene distinguat, definitio. Non iniquam interim illius ideam trademus, si *scarlatinam* dicamus exanthema contagiosum, utplurimum febrile, quod ad cutem, prius aridam sicceque calentem cum inquietudine vel anxietate, prævio plerumque, interdum continuante in faucibus dolore ac rubore, sub macularum scarlatini aut ruberrimi coloris, sæpe latarum, mox fere ad quasvis corporis partes a facie, jugulo, vel aliunde extensarum, sæpius perfecte lævium, subinde vero aspredine minimisque papulis, aut & pustulis obsitarum, comparet; post paucos dies cum epidermidis desquamatione evanescit; atque præ aliis cutis affectibus, neglecto a reconvalescentibus transpirationis opere, in leucophleg-

matiam ac anasarca frequenter terminatur; nec facile in eodem subjecto pro secunda vice revertitur.

§. 293. Potissima hujus morbi nunc *sporadici*, nunc *epidemici*, nunc levioris, nunc ominosi (§. 292.) divisio ex febris plerumque sibi conjunctæ natura repetenda est: quæ frequentius *inflammatoriam*, interdum *gastricam*, nonnunquam vero malignam prorsus seu *nervosam*, eamque vel *simplicem*, vel *complicatam*, agnoscit indolem. Aliquando princeps fere *scarlatinæ* regnantis phœnomenon *cynanche* est; hinc, licet hoc ipsius morbi characterem non satis definiat, *cynanchicam* dixere. Nec minus *cynanchica* est, quæ cum febre *nervosa* incedit scarlatina: sed, cum ulcera hic in faucibus maligna & gangrænosa occurrant, hinc *scarlatina cynanchico-gangrænosa* nominanda foret. Cæterum, quoad externum habitum, scarlatina in *lævigatam*, *miliformem*, ac *pustulosam*, divisionem admittit. Divisio.

§. 294. Simplicioris morbi, nobis frequenter visi, symptomata, prævia quadam lassitudine, in horripilatione ac in levi satis hanc insequente calore, ad vesperas quidquam adaucto, — jam secunda vero, aut tertia etiam die, in cutis maculis ruberrimis, vel minoribus, sed quamplurimis; aut latioribus, mox inter se confluentibus, primo utplurimum ad faciem, jugulum, pectus, brachia, mox vero ad magnam externæ superficiei partem, cum evidenti ægrotantis levamine, extensis consistit. Ad duos tresve dies persistunt hæ maculæ; atque tunc ordine, quo efflorescebant, & quo tempore fere novæ in aliis partibus propullulant, epidermis exsiccatur, ac in furfures vel squamulas decidit: ut sex fere vel octo dierum spatio, non sine reliqua cutis sensibili- Symptomata. Scarl. levior.

tate majori, morbus omnis evanescat. Quamvis interim tam benigna sat raro universalis observetur scarlatina; est tamen, ubi, sub gravioris etiam morbi epidemia, non pauci tam benigne a contagio tractentur: ut ex eodem, quo apud cæteros, fonte vix scaturiisse illud crederetur.

Sympt. scarl. gravioris.

§. 295. Nullo quidem non tempore scarlatina tum mitior (§. 294.), tum, quam nunc describemus, gravior, seu *cynanchica* occurrit; sæpius tamen sub æquinoctio aut vernali, vel autumnali, atque hoc in casu per totam extensa hiemem, divagatur. Multi quidem, jam pluribus ante manifestum morbi ingressum diebus, morosi ac tristes, de capitis pondere, de raucedine ac faucium ardore, tonsillarum dolore, alvi obstructione, vel levi subinde diarrhœa, nec non de lassitudine conqueruntur: donec, quod in aliis fere primum morbi symptoma constituit, secuta, ad multas interdum horas extenso, febris, catarrhalibus, fere in pluribus, notata signis, atque dubium de instante morbillorum, nisi forte jam superato, exanthemate movens, ordiatur. Sæpius quidem in morbillis, quam in scarlatina, oculi magisque rubent, lucemque recusant; sed & in hac ipsa rubor oculorum interdum magnus, lacrymatio frequens & calida, palpebrarum tumor, sternutatio observantur: nec tussis ubique deest, sed ferina interdum diu præcedit, sic ut primum fere suscepti contagii signum ad mucosam narium fauciumque compareat membranam. Versus noctem manifesta febris exacerbatio, inquietudo, calorque major; apud infantes non raro sopor, ac in majori malo, vel si vermes forte subfuerint, convulsio, observantur.

Utplurimum quidem in scarlatina anxietas illa, vomitusque copiosior, quibus variolæ confluentes or-

diuntur, deest; sed & hæc ipsa interdum symptomata, amaror oris, bilisque vomitus, &, quod rarius est, ad ventriculum dolor & constrictio, ut in variolis, occurrunt.

In multis quidem faucium ille rubor ac phlogosis deglutitionem magis dolentem reddit, quam tumore partium impedit; in aliis adeo sub declinatione magis, quam sub initio scarlatinæ, doluisse fauces, cum aliis conspeximus; sed interdum longe magis, quam vel in ipsa gangrænosæ ac cynanchicæ scarlatinæ specie, hæ ipsæ dolent tumentque; deglutitio vero, quasi a colli humerique musculis fune constrictis, difficilior redditur, ac non parca, interdum fere cruenta, observatur salivatio; aut lingua, epidermide quasi destituta ac rubra, aphthosis ad radicem ulceribus obruitur. Hic faucium tumor interdum glandulis tum submaxillaribus, tum idæparoti communicatur; nec ubique desunt albide ad tonsillas faucesque inflammatas maculæ, a puriformi liquore formatæ, interdum cum superficiali, & aphthosa crusta obtecta exulceratione: quæ faucium affectio inflammatoria ad ipsam interdum laryngem penetrasse, vocemque, sub difficili admodum respiratione ac suffocationis periculo, aut omnem suppressisse, aut metallicum illum, *cynanchi trachealis* communem (§. 273.) sonum produxisse conspecta est.

Quod vero mirum, sed tum aliorum, tum propria nobis observatione constat, est scarlatinæ ad solas fauces limitatio, ac non secuta ad cutem exanthematis, epidemice eodem tempore florentis, eruptio: cum tamen, hac sola excepta, morbus sub propriis scarlatinæ symptomatibus absolveretur; ac eandem in quibusdam, quam quæ in aliis ab exanthemate superato superest, in leucophlegmatiam dispositio-

nem, ac ab eodem immunitatem contagio relinqueret. Visi tamen sunt, quos absoluta in faucibus, sub epidemico furore, inflammatio ab ipso scarlatinæ morbo non potuit reddere immunes; & certe mirum est, morbos a scarlatina prorsus diversos, quo tempore hæc epidemice furiebat, interdum symptomata istius non pauca, dolores faucium ipsumque, fugax licet, exanthema in societatem suam duxisse.

Sub dictis vero morbi invadentis symptomatibus varia pulsuum observatur ratio, ut qui, pro febris diversa natura, nunc pleni, frequentes, interdum vibrantes ac duri, occurrunt; nunc celeritate magis, quam plenitudine ac duritie notantur. Junioribus nonnunquam sanguis e naribus cum emolumento prorumpit.

Vel altera jam, vel tertia, quarta die, — interdum, ac sub fortiori plerumque morbo, jam prima, utplurimum tamen secunda, vel tertia incipiente, die, — rarius certe ante febris accessionem, scarlatina, maculæ scilicet plus minus latæ, crebriores, magisque rubentes, quam illæ, quæ morbillos constituunt, efflorescunt; atque cutis, quasi a vino rubro sub epidermide diffuso, aut, sub majori intensione, cocti fere cancri, aut sublivido etiam colore, primum, frequentius, ad faciem, collum, pectus, artus, mox ad universum vix non corpus, alias in artubus, tardiusque ad vultum rubet ac tingitur. Manifestus ab hoc exanthemate in cute, nec tamen circumscriptus, tumor, ac difficilis subinde digitorum ob eundem inflexio observatur.

Scarl. miliformis ac pustulosa.

In multis certe cutis sic affecta æqualis & levissima cernitur; sed & aspredines *miliformes* hoc in morbo copiosas cum aliis ad eandem, quasi anserinam, conspeximus, eæque nunc minores, ac purpu-

ræ sic dictæ rubræ fere similes, — nunc vero phlyctænas ac variolosas quasi pustulas referentes, occurrunt. Alias hæ ipsæ, minimæque *papulæ* in maculas confluunt, planamque fere superficiem mentiuntur: atque cum earundem in furfures tandem desquamatio est, *pustulosa*, de qua diximus, varietas, crustis interdum obtecta, paulo lentius desquamatur. Nec inauditum est, sub scarlatino exanthemate & miliaria ipsa aut petechias ad cutem prodiisse; nec tam rarum, maculas post aliquot dies sine majori discrimine reverti, ac post paucos alios evanescere. Tam manifesta vero ab hoc exanthemate ad cutem phlogosis accenditur: ut non mŏdo cum aliquo ad faciem, fere ut in variolis, tumore cutis rubeat, compressa palleat, pruritum, & a totidem quasi aciculis puncta, ardentem dolorem persentiat; sed ipsa hæc inflammatoria cutis constitutio per ŏculorum, narium, faucium membranas, ad meninges interdum, aut ad pulmones, ventriculum, intestina, uterum, vesicam urinalem propagatur, ac symptomata his partibus a contagio fortius correptis fere propria inducit. Quod si febris revera *inflammatoria* hanc phlogosin comitetur: tunc, sub majori cordis arteriarumque impetu, sanguis corio, vix emissus, obtegitur calor major ac verus urget, fauces magis tument ac rubent, hæmorrhagiæ frequentius occurrunt, urinæ profundiori colore tinguntur, remissiones breviores ac fere nullæ observantur. In complicatione *gastrica*, sordium præsentia non infidis modo, ac ab inflammatoria irritatione facile repetendis, symptomatibus, sed constantiori signorum saburralium ingressu, ac annui characteris auctoritate, nec non morbi observati apud alios exitu, & minori pulsuum violentia, confirmatur. *Nervosæ* febris jam nota ex aliis (§§. 82. 87. 88.) symptomata, in mox descri-

benda (§. 296.) scarlatinæ gangrænosæ specie potissimum conspicua, in multis tamen subjectis cum inflammatorii gravioris, hic expositi morbi causis complicari, atque post paucos sæpe dies vix non in totam ægritudinem dominari, observantur.

A quo vero exanthema ad cutem effloruit, in morbo non tam gravi symptomata certe mitescunt; saltem, quo major est illius eruptio, eo minor in faucibus doloris sensus ac tumor est. Sæpe tamen ab exanthemate ad superficiem propulso symptomata, quo prius, aut majori etiam, vigore continuant, ac ad noctem incrementum sumunt; quid quod jam facta cutis desquamatione, quod & nobis oblatum est phœnomenon, dolores aut nunc primum octava scilicet, aut nona morbi die, in faucibus excitantur, aut saltem non tam cito dissipantur ad istas. Aliis interim sat evidens conceditur matutina *remissio*; atque vera, licet rarior, in quibusdam symptomatum observata est *intermissio*.

Sub consueto vero morbi ingressu, exanthema per tres quatuorve dies ad cutem lætissime florescit; dein vero, quo ordine prorupit, hoc & rubor ac phlogosis disparent: sic ut sexta in multis, aut septima die, madescente jam magis, densoque, sed molli albidoque muco obtecta ad radicem lingua, non sine prævia quandoque fortiori ex solitis exacerbatione, copiosus ad noctem sudor erumpat; lotiumque turbidum, cum sedimento mox fundum petente, — puriformi & albo, excernatur; aut lenis, sed salutaris alvi fluxus subsequatur; ac febris utplurimum vel dispareat, vel redeunte ad sequentem, octavam fere nonamque noctem, madore, per cutem omnis dissipetur. Hoc circiter tempore, numerosæ interdum ad artus *pustulæ* liquido, quod continebant, omnino *vacuæ* reperiuntur: atque cum ma-

gno pruritu vel in tenuissimos furfures, vel pro majori morbi in cutem impetu, in latiores, partiumque nonnunquam formam retinentes, squamas cuticula, vel interdum ungues, ac ipsius adeo linguæ epidermis decidunt, ac plures hinc inde ex eodem loco exuviæ deponuntur. Hoc tempore & narium, fauciumque crustæ cadunt, ac reliqua forte sub istis ulcera sat facile sanantur. Alii quamplurimum muci cum levamine per tussim ejiciunt.

Sed quemadmodum in certis subjectis vel ipsa eruptio sociaque febris, per plures hebdomadas, — sic & post separatam jam epidermidem hæc ipsa, & pericula continuasse observata sunt. Sæpius autem tunc abscessus nunc ad collum vel aures, cum suppuratione interdum sat facili; nunc vero cum erosione partium, ac hæmorrhagia, ad articulos, cerebrum ipsum, pulmones, intestina, metastases contingunt; atque encephalitis, peripneumoniæ, diarrhœæ phthisesque multæ abhinc procedunt: quod in iis, quibus desquamatio vix aut ne vix quidem successerat, præprimis observatum est.

Summa vero nunc superest *cutis* desquamatæ apud plurimos *sensibilitas*, vidimusque hanc in duobus pueris tam insignem, ut nullibi vel minimum sine magno dolore perferre attactum potuerint. Hæc mira, ac interdum sat magno temporis spatio inhærens cuti sensibilitas, nec non dolores quasi rheumatici ad artus a morbo aliquando reliqui, uti tot a superato jam exanthemate metastases, glandularum infarctus, — evidenter demonstrant, naturam a scarlatina jam absoluta in expellendis morbi reliquiis sat diu esse occupatam; ac eo ipso, quo morbosa cutis sensibilitas atmosphæræ aliarumque rerum impressionibus continuo majoribus, quam par sit, exponatur, non posse non sæpius hoc salutari in opere præpediri.

Scarlatinæ effectus.

Atqui hæc ipsa, licet ab aliis quoque morbis exanthematicis vix superatis, ut a morbillis atque miliaribus, interdum similia contingant, frequentiori tamen longe post absolutam jam scarlatinam leucophlegmatiæ, ac anasarcæ confirmantur exemplo. Major quidem ab una, quam ab altera hujus naturæ epidemia in hydropem relinquitur dispositio; & sicut interdum reconvalescentium perpauci ab aqua inter cutem post scarlatinam obruuntur, sic alio tempore fere nullus hoc ab exanthemate liberatus, quin ab anasarca mox corriperetur, observatus est. Copiosos nos non *cellulari* modo *hydrope*, sed & *ascite*, ac *hydrothorace* affectos post scarlatinam tractavimus: ac inter hos plures certe ex junioribus, plures hiberno, quam æstivo tempore, atque non pauci, quibus desquamatio a scarlatina rite peracta non erat, a Medicis numerantur; nec tam levem, ut ab egregio nuper viro dictum esse miramur, aut tam facile ubique dispellendum morbum hic hydrops ubique constituit, ut non plures sæpe a secundario hoc scarlatinæ morbo, quam ab ipso exanthemate ac febre conjuncta, trucidentur ægroti.

Hydrop. nat.

Qui vero post absolutam scarlatinam vel a transpirationis suppressione, vel ab alia demum causa, in anasarcam incidisse observati sunt; hi, elapsis circiter quatuordecim, vel octodecim a primario morbo diebus, lassitudinem ac languorem, morositatem prodidere majorem; cibos aversabantur, ac noctes sine somno terebant; interdum dolores ad fauces recrudescebant; pulsus reddebantur frequentiores, ac febris sese non raro sat magna manifestabat; urina parcior, loturæ carnis adinstar, fere cruenta, aut brunea, vel ex atro fusca, excernebatur; de præcordiorum conquerebantur angustia, & inquietudinem indicabant; facies reddebatur cachectica, tu-

midula, ac palpebræ œdematosæ vix non oculos perfecte claudebant; intumescebant pedes, crura, genitalia, universa cutis; accedebat abdominis tumor fluctuans; vel tussis sicca, dyspnœa, pectorisque, aut calvariæ interdum, cerebrique hydrops: sub quibus symptomatibus permultos certe, non mature satis ac debito more tractatos, mortem subivisse observavimus.

Ipse vero hic, acutus fere, a scarlatina hydrops, nunc cum sat manifestis inflammatoriæ febris reliquiis incedit; nunc debilitatem a morbo inductam majorem prodit; nunc ex nimia lymphatici systematis irritabilitate vel & spasmodico cutis habitu, — nunc vero ex saburris imo ventre collectis, — frequentissime vero ex suppressa transpiratione, originem repetit.

§. 296. Cum de variis cynanchis speciebus sermo nobis esset (§. 175.), monuimus, illam, quæ cum *nervosa* febre ac ulceribus in faucibus gangrænosis incedit, vix non ubique *scarlatinæ* potius sobolem, quam primariam sistere cynanchen; & revera quæ inflammationes communes insequitur gangræna, ea in faucibus, ob citiorem ægrotantis a tumore inflammatorio suffocationem, vix unquam, nisi erysipelacea magis eaque maligna phlogosi inducta, locum habebit: cum in cynanche a *scarlatina maligna* oriunda, inter prima istius symptomata pertineat *gangræna*. Quod si etiam dubium nobis esse non queat, & exempla, licet pauca, demonstrent posse dari scarlatinam febrilem, cujus malignitas non consistat in *angina gangrænosa*; certum tamen est, hanc ipsam hucusque semper visam fuisse cum scarlatinosa constitutione sociatam. Nec impedit, quod cynanche gangrænosa febris *nervosæ* aut *putridæ* Auctorum ef- Scarl. cynanchico-gangræ-nosa.

fectum, — *scarlatina* vero *maligna* a multis descripta, naturam manifeste inflammatoriam, atque cum vix exposita (§. 295.) scarlatina in multis consentientem, obtulisse dicatur: nam dantur certe & *inflammationes cum febre nervosa conjunctæ* (§. 125.); ac docuit experientia, scarlatinas malignas cum evidenti faucium inflammatione ac cita gangræna incedentes, non dubium de præsente simul febre *nervosa* testimonium dedisse; & sub ipsa demum epidemia scarlatinæ vel maxime inflammatoriæ, plura tamen malignæ cynanchis & faucium *gangrænæ*, — quemadmodum sub maligna & gangrænosa constitutione scarlatinosa, non pauca *cynanchis* cum hoc exanthemate conjunctæ ac vere *inflammatoriæ* obvenere exempla: ut igitur ad scarlatinæ gravioris seu *cynanchicæ* characterem non semper *inflammatoria* simul febris pertineat, licet res utplurimum sic esse concedatur; utque illam inter ac *malignam* differentia non sit, quam quod cum utraque, ex scarlatinæ contagio oriunda, inflammationem in faucibus offerat; prima tamen *febrem inflammatoriam*, altera *nervosam* ac in gangrænas proniorem ostendat naturam; quævis vero ex istis methodum quidem propriam, sed febri correspondentem suæ, sub eadem licet faucium inflammatione, diversam sibi exigat.

Scarl. gangr. definitio.

Ipsa vero, quæ nova non est, sed ab antiquissimis scriptoribus adnotata, & sæculo 16. a *Germanis*, sæculo vero 17. ab *Italis* quoque Medicis descripta fuit, *scarlatina nervosa* seu maligna, aut, quod idem nobis dicit, *cynanche gangrænosa*, non alium sistit morbum, quam faucium, narium internarum, aut & laryngis inflammationem, ex contagio scarlatinæ oriundam, *quasi erysipelaceam*, atque cum febre *nervosa* (§. 37. 88.) sociatam, cujus symptomata proteiformia in sequentibus potissimum versantur.

Infantes maxime, præ maribus fere puellulas, laxiores homines, imprimis feminas, — sed quamlibet certe ætatem, sexum, temperamentum quævis, hæc, contagiosa in plurimis, affectio, favente imprimis epidemica constitutione, ac vel mox a suscepto contagio, vel post septem fere ab eodem dies, aggreditur. Præcedunt utplurimum lassitudo, debilitas, morositas, tristitia, vertigines, gravedo; sequitur horror, ac si gravior futurus est morbus, frigus evidentius; cum calore, dolore capitis ad frontem acutissimo; anxietas urget, vomitusque sæpe effrenis, aut in aliis diarrhœa; pulsus utplurimum frequentes, inordinati ac parvi, rarius, sed aliquando, sub initio scilicet morbi, duriores ac pleni: quo in casu sanguis emissus, mollioris illinc consistentiæ, ac coccineus, aut dissolutus, hic corio interdum obtectus est. Sub majori morbi vehementia, virium extrema mox adest prostratio, lipothymiæ sequuntur; suspiria, anxietates, vigiliæ, aut sopor, capitisque aut dolor, aut stupor, ventriculi oppressio, oculi fere turbidi, aut rubri, lacrymantes, lingua alba & humida, ciborum aversio, nausea, vomitus aut diarrhœa, sitis aut nulla, aut insignis, urina nunc aquosa, mox vero serosa, observantur. Interea certum in faucibus plenitudinis atque constrictionis, — interdum caloris acris & quasi exulcerationis sensum accusat ægrotans cum voce rauca, & deglutitione aliquando difficili. Ad noctem quamplurima ex istis symptomata augentur, leveque subintrat delirium: quæ singula post madorem, aut sudorem matutinum per horas aliquot moderari solent. Mox vero febris iterum ac faucium imprimis affectio exasperantur, atque tonsillæ, velum pendulum, uvula, palatum, profunde rubro, vel & igneo, aut erysipelaceo colore notantur. Tumor faucium utplurimum non tan-

Symptomata.

tus, nec deglutitio cum tanto perficitur dolore; interdum interim & tumor magnus amygdalarum, & acutissimus dolor accusatur, collumque rigescit.

Sed jam prima, aut secunda morbi die, præter albescentem pituitam, oris cavum ac linguam obducentem, ad tonsillas, vel supra easdem in faucium angulis, comparent *maculæ* ex albo cinereæ, superficiales, circulo rubro, vel & vivido circumductæ, cum illis in *cynanche* tonsillari, seu faucium (§. 172.) nequaquam confundendæ, attactu, quasi a materia subtus hærente, mollescentes, graviori sub morbo brevi mora livescentes ac bruneæ, vel & nigræ: quo facto, dolores sæpe mitescunt, aut, vita istarum partium penitus sublata, evanescunt, ac fere liberam ad fauces viam cibis concedunt. Fauces sæpe integras hæ maculæ gangrænosæ occupant, ac ad ipsas non modo nares, quandoque interius rubras, obscuras, lividas, fortique coryza laborantes, penetrant; sed ad gingivas quoque, ac linguam, & labra subinde dilatantur, nec laryngis aut tracheæ internæ superficiei ubique parcunt; sed ad ipsum adeo ventriculum, ac intestina proserpisse detectæ sunt. Acerrimus vero ex naribus ichor continuo destillat, partesque, per quas defluit, excoriat, corrodit; aut ab infantibus deglutitus, ventriculum, intestina aggreditur; vel & continua, & fere convulsiva, ex depluente in pulmonem sanie, tussis, dyspnœa, vix ex tumore faucium, sed ex tracheæ ac bronchiorum potius affectu oriunda, animaque fœtida, cadaverosa, observantur. Interdum parotides, ac maxillares glandulæ unius aut alterius lateris tument, indurantur, & dolent; ac in furore morbi, collum, pectusque ipsum cum suffocationis periculo riget & intumescit.

Sub hac rerum jam funesta satis positione, vel

prima jam die, vel utplurimum secunda, interdum & tardius, exanthema, quo modo (§. 295.) jam descriptum est, scarlatinum vel *maculosum* & æquale, vel *papulis* quasi *miliaribus*, vel demum *pustulis* insignitum, ad faciem, collum, pectus, brachia, crura, abdomen, — aut & maculæ albescentes, ulcuscula, vel petechiæ diversis in locis ad cutem, undicunque fere tumentem, dolentem, atque rigentem, efflorescunt; ac eodem ordine, quo jam enarravimus, persistere, marcescere, ac in furfures aut pelliculas desquamari observantur. Nec tamen ab expulso ad peripheriam corporis exanthemate, symptomata, nisi raro, mitescunt: ut & cessante vix non febre, putridissimum ex naribus ichorem adhuc fluxisse ac labia erosisse, cum lethali morbi eventu, a nobis conspectum sit. Hinc augentur potius sub exanthematis florescentia sordidissima ad fauces ulcera, majoremque continuo mephitim spirant. Quidquod per tubas auditorias ad internum aurium hæc ipsa penetrasse cavum, hocque ipsum devastasse, experientia constat. Faucium nempe maculæ ex cinereis nunc continuo redduntur magis opacæ; ac si primum abscessus obtegere videbantur, nunc nonnisi eschara comparet. Jam vero potissime in conspectum veniunt periculosiora febris *nervoso-stupidæ* (§. 88.) symptomata, deliria fere continua, lipothymiæ frequentes, hæmorrhagiæ effrenes per nares, uterum, intestina, singultus, subsultus tendinum, convulsiones, abolitio vocis, respiratio celer, brevis, stertorosa, extremitatum frigus, pulsus exilissimi, frequentissimi, intermittentes, fæcum, urinæ olidissimarum involuntaria excretio, ac tandem lethalis gangræna œsophagi, usque ad ventriculum, aut tracheam ac pulmones descendens.

Qui ex tam gravi morbo sanitatem recuperaturi

sunt, illi, facta exanthematis ad cutem eruptione, post tres quatuorve dies super toto corpore expansa, cum cutis desquamari inceperit, sudorem æqualem ac vaporosum experiuntur; quo tempore & febris imminui, & crustæ ex faucibus separari, orisque ulcera depurari, & potiora morbi symptomata, redeunte somno ac ciborum appetitu, dissipari consuescunt. Nec enim tam infesta ubique hæc, gangrænosa licet, scarlatinæ species observatur; ac interdum sat multi, favente imprimis constitutionis epidemicæ charactere minus insidioso, mortem sub recta medela effugiunt. Sed, quemadmodum de præcedente scarlatinæ specie (§. 295.) dictum est, metastasium multa, & multa leucophlegmatiæ reconvalescentes pericula, hic forte majora, adhucdum circumdant. In genere vero tardissima est virium ac perfectæ salutis restitutio.

Causæ. §. 297. Post exposita scarlatinæ diversæ symptomata, de causis tam diræ interdum ægritudinis mentio facienda nunc esset: sed vetat humana de contagiorum natura, ac de proxima exanthematum causa (§. 276.) ignorantia; nec supplent hypotheses, re ipsa, cujus rationem reddere conantur, in artis exercitio sæpe funestiores. Rarior certe est scarlatina, quam ut a causa communiori, ut a refrigerio, tempestatumque vicissitudinibus prudenter derivari queat; interim cum acri *catarrhali*, eo quod in pituitosam oris, faucium, narium, tracheæ, bronchiorumque membranam potissimum rapitur, non parum convenit; nec minor huic exanthemati cum morbillorum contagio, quod ambo tam oculis, naribus, quam pectori cutique simul insidiantur, analogia observatur. Sed quemadmodum catarrhali materiæ specificus in cutem nisus est; sic scarlatina hominem a

morbillis jam pridem correptum non minus plectit; nec ab iisdem, quem illa invasit, immunitatem ulli concedit. Quod si vero ex causis diversis, præcipue abdominalibus (§. 274.), exanthema, scarlatinæ vix absimile, subinde produci valeat; sporadicam hoc, nec faucibus inimicam, nec transfundendam facile in alios, affectionem constituet: cum in scarlatina epidemica *contagium*, licet per *insitionem*, ut vocant, vel materiæ ex ægrotantis cute, in illam sani hominis tranfusionem, necdum, quod sciamus, confirmatum, negari non queat. Atqui hæc ipsa contagii materies, quod & de aliis dicendum erit, morbi aut *benigni*, aut *maligni* rationem in se vix continent; sed epidemica annorum constitutio, quemadmodum contagii actionem secundare, sic & febris diversæ, quæ ipsa benignitatem morbi aut malignitatem constituit, dirigere videtur.

§. 298. Scarlatinæ prognosis vel ex ipsa specierum exposition abunde patet. In benigniore morbo, nisi male tractato, pericula sub febre certe non sunt; sed & ab hoc ipso reconvalescentium hydropem scaturiisse non raro conspeximus. Frequentior tamen hic est, cum fortior scarlatinam febris circumdederit; viresque vitæ magis depressæ, ac major in cute sensibilitas inducta sint. Majora etiam hic a non expulsa satis ad pellem materia, vel ex eadem ad interiora retropressa, & a frequenti ad partes nobiliores metastasi, nec ab ipsa quidem desquamatione dissipanda, ægrotantes non minus quam reconvalescentes discrimina premunt. Convulsiones quidem, sopores, deliria phrenitica, ac vitæ vires exhauriens diarrhœa, ubique timenda sunt. Sed potissima prognosis hoc in morbo momenta ex febris diversitate quærenda sunt. Ipsa quidem *inflammatoria*, & cum Prognosis.

gravi cynanche incedens, scarlatina non raro cum *nervosa* febre complicatur; aut faucium inflammationem sistit, ab hac febre sola directam; maxima vero ex tali connubio ac infesta multis pericula sunt: quæ præcedens vehementius frigus, virium prostratio major, macularum gangrænosarum citior in faucibus eruptio, dilatatio, nigredo, nullius ab exanthemate levaminis perceptio, anxietas multa, ac alia gravissimi morbi in superioribus enarrata symptomata, abunde testantur.

Qui hoc ex morbo sub stadio febris moriuntur, illi versus octavam interdum nonamque diem, frequentius vero sub fine secundæ, aut tertiæ hebdomadis principio, decedunt: sed & citioris, & tardioris in maligna scarlatina interitus habentur exempla; atque pars major ægrotantium cum diarrhœa colliquativa, glandularum colli tumore præfocante, sphaceloque faucium, laryngis, tracheæ, universali extinguuntur; alteram, metastasium ac hydropis jam dicta expectant discrimina.

C. Scarl. benign; §. 299. Benignior illa ac levissima scarlatinæ species (§. 294.) vix alia, præter diætam, & ex lacte tepido cum aquæ dupla portione remixto potum, — quam lenia diapnoica, remedia expostulat: hinc infusum sambuci cum oxymelle simplici, vel haustus salinus, aeris frigidioris, calorisque nimii sat diuturna fuga, vix non ubique sufficiunt. Plures nec lectum quidem adire coguntur, ac unius fere hebdomadis vel sponte reconvalescunt spatio. Neglecta interim post morbum licet alias insontem transpiratione, majores interdum pœnas tumefacto corpore luunt. In fortiori paulisper morbo, atque in juniori plethoricoque subjecto, non raro, si febris, capitisque, aut faucium forte dolor quodammodo ur-

geant, venæsectio indicatur: nec ab ista timendum est, ne florens cutem exanthema mox deserat, aut cum damno ad interiora vertatur. Similia de evacuante alvum leni & antiphlogistico remedio, ac de enemate dicenda sunt, quotiescunque signa saburræ non æquivoca hæc exigere videntur.

§. 300. In graviori scarlatina (§. 295.) febris, quæ huic morbo associata est, epidemicæ constitutionis, ac symptomatum summa mox ratio habenda: ac imprimis cuncta, quæ exanthematis ad cutem eruptionem sine impetu secundant, arripienda; quæ illam impediunt, removenda sunt. Scarl. gravioris;

Si febris *inflammatoriæ* symptomata (§. 116.) cum cynanchis qualibet demum specie (§§. 172. 173. 174.) conjuncta observentur, tunc methodus (§§. 178 179. 180.) exposita, ea tamen cum cautela adhibenda est: ne *exanthematicæ*, & per cutem judicandæ, hujus morbi obliviscamur naturæ; & ne, vires vitæ per nimias venæsectiones prosternendo, scarlatinæ ad interiora retrocessioni, quod jam de erysipelate monuimus (§. 290.), occasio paretur. Quotiescunque interim ex pulsu pleniori ac duro, ex majori ad fauces tumore ac incendio, ex spirandi difficultate, ac dolore quasi pleuritico, ex facie ruberiori ac turgente, cephalæa, sopore, aut deliriis, majorem, quam par est, arteriarum cordisque reactionem observamus: tantum abest, quin exanthematis efflorescentiæ venæsectio, etiam repetita, adversetur, ut ab ista potius liberior exanthematis in cute expansi, ac tumoris ad guttur præfocantis, resolutio dependeat. Hinc quocunque tempore venæsectionis urgere videtur necessitas, eo vel ante scarlatinæ eruptionem, vel florente jam in cute exanthemate, vel peracta jam adeo desquamatione, su- Inflammator;

scipienda, & cum prudenti ætatis ac virium calculo, si requiratur, repetenda est. Cæterum, quæ ad *cynanchem inflammatoriam* commendavimus, tum sanguisugas, tum cataplasmata, linimenta, vesicantia, collutoria, & antiphlogistica medicamenta: ea, cum princeps ad fauces ex inflammatione obstaculum sit, ad easdem curationis leges adhibenda; quæ vero lenem promovere queant diaphoresin, uti refractæ tartari emetici cum haustu salino doses, cum antiphlogisticis combinanda sunt. Quæ sudorem pellere atque calorem augere hic possent alexipharmaca, ea cane pejus & angue fugiantur oportet. Dissipato forsitan inflammationis ad fauces impetu, ac florente ad peripheriam exanthemate, non alia, quam quæ diximus, lenia diapnoica cum antiphlogisticis remixta, ad perfectam usque febris cessationem, ad desquamationem absolutam, indicantur. Cavendum vero est, ne ventriculi subversionem, nauseam ac vomituritionem, quæ a contagii in eundem actione, vel ab inflammatorio magis, quam gastrico stimulo oriuntur, emeticis incaute atque cum certo ægrotantis damno pertractemus. Sæpius hæc a prima exanthematis ad cutem eruptione vel sponte disparent, & ubique temere ea, quæ majori actionis virtute pollent, nisi vere indicata, præscribuntur.

Scarl. gastricæ; §. 301. Cum vero *gastricam* cum scarlatina febrem incedere ex signis istius (§. 100.) post primum morbi impetum continuantibus compareat, vel ex cognito epidemiæ charactere jam sub ipso morbi principio hanc subesse sciamus: videndum est, an cum eadem, inflammatoria forte complicatio (§. 104.) jungatur; quæ venæsectione, aut sanguisugarum ope, præ aliis tollenda est. Tunc vero, licet necdum omni ad fauces abacta inflammatione (§. 178.), ad

solutionem emeticam (N. IV.) illico perveniendum est: qua brevissima via tum stomachi sordes, tum stimulans ac tenax ad fauces pituita promptius ejici, & excitato ad cutem madore, exanthematis promoveri eruptio potest. Nec minus ad intestina quoque a saburris liberanda *potio laxans* antiphlogistica (N. XXI.), vel refractæ antimonialium cum sero lactis vel haustu salino doses, indicantur. Erit interim ubi minor evacuantium per inferiora, sed major emeticorum, pro indicationis natura aliquoties interdum repetendorum, necessitas ac utilitas observetur; nec desunt epidemiarum scarlatinæ exempla, in quibus inflammatio ad fauces præcipuum ex omnibus morbi symptoma videbatur offerre: quam vero non venæsectio repetita, in multis adeo nociva, sed solum *emeticum* hinc inde replicatum, profligavit.

§. 302. Sed hæc ipsa rerum magistra, experientia, venæsectionum in scarlatina inflammatoria necessitatem ideo non infringit. Est nempe, quod lubenter repetimus, ubi sat magna partium inflammatio cum febre non tam *pura* & *inflammatoria*, quam cum *gastrica*, aut *nervosa*, conjuncta incedat: atque hac in difficili, nec aliter, quam per repetitas sub quovis novæ febris ingressu observationes, eruenda complicatione, venæsectionum beneficia aut ad primos modo ægritudinis dies restringi, aut protinus deficere possunt; quin igitur hoc certum in veris inflammationibus auxilium, in quovis scarlatinæ purioris ac inflammatoriæ casu auctoritatem amittat. In *gastrica* igitur, aut *nervosa* scarlatinæ, ac faucium ab hac inductæ inflammationis complicatione, cum venæsectionibus caute, ac non sine cognita epidemiæ natura, mercabimur; semperque eo minor emetico- Scarl. compl.

rum utilitas, — eo major vero detrahendi sanguinis erit necessitas, quo purior ad fauces inflammatio, & quo certior febris inflammatoriæ præsentia in scarlatina comparebit, & vicissim.

Scarl. nerv; Scarl. malign.

§. 304. Ex dictis vero, controversarium inter Medentes conspicuæ licet auctoritatis, cum de meliori scarlatinæ *malignæ* (§. 296.) medendi methodo loquuntur, patet ratio. Nunc etenim, in subjectis scilicet robustis, plethoricis ac junioribus, sub morbi principio minor est contagii febrisque abhinc natæ in nervosum systema potentia, ac inflammatoria cynanches symptomata hanc ipsam adhuc superant: quo in casu, sub pulsu duro ac pleno, venæsectio interdum cum successu, ac manifesto in sanguine corio suscepta, quin repetita, aut saltem hirudines, cucurbitulæ cum fructu admota fuerunt; — nunc vero insignis mox virium prostratio, ac singula febris *nervosæ* funestioris (§§. 87. 88.) incipientem vix morbum comitantur symptomata: atque tunc a detracto vel pauco cruore irrevocabile ægrotantibus damnum infertur: quæ, non infrequens in febribus nervosis, ipsisque gangrænis, contradictio jam alias a nobis exposita fuit (§§. 90. 136.)

In primo igitur, minusque periculoso utplurimum, ægroti statu, venæsectio moderata, mox primis morbi initiis, sub majori æstu, respiratione difficili, tumore ad fauces evidentiore, splendente ac rubro, sub manifesta pulsuum duritie, plenitudine, in subjectis succiplenis ac robustis locum habere sine dubio, ac repeti cum cautela potest, ipsisque adeo infantibus sanguisugæ, aut cucurbitulæ ad collum figi queunt non modo, sed debent. Sed facilis & hic error est: quod post singula plenitudinis sub incipiente morbo signa, arteriæ non raro, a detracto vix

altera vice sanguine, quamplurimum concidant, & insignem vires prostrationem patiantur.

Quod si vero hac in scarlatina contagio suscepta, febris *nervosæ* symptomata (§§. 87. 88.) compareant: tunc præsentibus quidem saburræ signis, porrecto prius, — vel si hæc ipsa deficiant, omisso, emetico, quo modo hæc de febre nervosa præscripta sunt (§. 94.), per sudorem vix incipiens ægritudo dissipatur frequenter.

Sed nisi sat recens sit morbus, vel si forte ob alias hæc methodus rationes adhiberi non queat; nec tamen vel maculæ gangrænosæ, nec tumefactus habitus cum parotidum, maxillarium glandularum inflatione, pulsuque debiliori, jam adsint; — imprimis vero si nausea & vomituritiones continuent: tunc emeticum vel ex tartaro stibiato, vel si diarrhœa jam urgeat, ex ipecacuanhæ radice, non modo bilis ex stomacho, sed & glandularum in faucibus emunctionem promovet, ac tam vehementiam symptomatum imminuit, quam omnem interdum morbum dissipasse est visum.

Nec tamen celandum est, vomitoria non in quavis *scarlatina cynanchico-gangrænosa* sine damno exhibita fuisse; ac regnantis hic magis naturam epidemiæ, quam fallacia latitantis saburræ signa, de re tam seria decidere. Major interim observationum numerus pro emeticorum testatur efficacia; ac summa eorundem in cynanche *gastrica* virtus (§. 178.) jam satis evincit, quid in hac cynanche *nervosa* cum sordibus ventriculi conjuncta ex tam prompto, ac in fauces ab infensa pituita inundatas simul agente, exspectari auxilio queat. Ipsa vero intestina per refractas vel tartari emetici, vel ipecacuanhæ doses non sine fructu, ac diarrhœæ mox ab initio molestæ, bilisque interdum a stimulo proficiscentis, de-

cremento, evacuantur; prodestque ad noctem excitatas forsitan ab istis turbas anodyno compescere remedio.

Interim, quod jam de febre *nervosa* monuimus alibi (§. 94.), sub majori jam debilitate, sub lypothymiis, convulsione, ac difficili prorsus respiratione, ab evacuantibus, excepto blando clystere, abstinendum, viriumque vitæ conservandarum ratio habenda est. Hinc in exhauriente ægrotantem diarrhœa, infusio cascarillæ, ac rhei, superaddita opii discreta portione, — vel Columbo radicis pulvis, ac similia, imprimis clyster cum amylo ac tinctura Thebaica, indicantur interdum.

Hoc igitur sub rerum statu, ac moderato primi scarlatinæ hujus insultus stimulo, frequenter satis inflammatorio, ad roborantia mox & cordialia transeundum est auxilia. Pediluvia, ac, si debilitas impediat, fomenta tepida ex aqua & chamomillæ infuso, femoribus ac tibiis circumposita, ubi cutis calida & sicca erat, expulsio vero a minoribus causis ex cute retrocesserat, cum fructu adhibita fuerunt. Sub tanto vero in gangrænas nisu potissima virtus in peruviano latet cortice tum interius assumpto, tum ipsis faucibus per collutoria, ac sub mento per cataplasma cum chamomillæ floribus & camphora, exterius diligenter admoto. Hinc divinus hic cortex sub forma, quam læsa & a siccioribus facile irritanda deglutitio permittit, vel in saturato satis decocto (N. XXXIV.), vel in extracto (N. XXXV.) abunde porrigendus, & cum vino generoso, vel aliis excitantibus, nubendus est. Infantibus hoc remedium, si non aliter admittant, vel in lacte, vel in aqua, succo liquiritiæ aut saccharo edulcoratis, ac simul per clysteres, suppeditatur. Si diarrhœa exhauriens vires adhuc continuat, tunc, elota prius per

emollientes clysteres alvo, ex cortice clyster cum tynctura thebaica combinatus injicitur, vel & ore assumpto remedio similia superadduntur. Acida vegetabilia diarrhæam facile adaugent; mineralia vero, sub majori saltem virium vitalium dejectione, nisi *dulcificata*, vix locum habebunt (§. 94.). Sub majori virium prostratione, lipothymiis, delirio, convulsionibus, indicantur singula, quæ ad febrem nervosam satis commendavimus (§§. 94. 97.) remedia; ac iterum, sed copiosum satis, generosum vinum, serpentariæ Virginianæ, pareiræ parvæ, Angelicæ, Valerianæ radices, cinnamomum, camphora, moschus, vesicantia, non tam collo anteriori, quam nuchæ applicanda, & alia, cum aere imprimis purissimo, indicantur.

Ob summam vero ichoris, qui ex faucibus gangrænosis destillat, acredinem, ægrotantes moneantur oportet, ne eundem vel solum, vel cum cibis ac potu, deglutiant; sed quovis modo saniei ex ore effluxum promoveant, faucibusque illam frequenter collutorio educant. Sunt vero, quæ, putrescentem istius ac fere causticam naturam, exterius admota, corrigere aut moderare queant: & aceti, imprimis camphorati, aut spiritus salis ammoniaci aromaticis infusis commixtorum, ad ipsam adeo tracheam forte gangrænescentem penetraturus vapor, — aer fixus ex effervescente ac in faucibus detento liquido, vel alio demum modo, his ipsis advectus, — sedi tectorum recenter expressus succus cum decocto hordei ac melle remixtus, — acidum vitriolicum, aut marinum, multa satis aqua dilutum superaddito melle aut Rob sambuci; — vel idem hoc acidum cum melle unitum ac maculis faucium illinitum, — imprimis vero decoctum corticis Peruviani, cum spiritu salis marini, & melle, nec non myrrhæ tinctura,

præcipuam hic opem promittunt. Vel ipsa scarificatio ad tonsillas gangrænosa jam macula affectas, tribus quatuorve sat profundis vulnusculis, mox ab initio gangrænæ suscepta, eximio licet reprobata viro, interdum profuisse conspecta est. Crustas vero, quæ his maculis insident, avellere nec prodest, nec sine damno id facere conantur; neque prædicta amplius convenient, irritantia nimirum, remedia, ubi illæ ex faucibus ceciderunt, ac nudas fere & summe irritabiles in his ipsis carnes relinquunt: quo in casu, si dolor, siccitasque jubeat, emulsio Arabica, vel seminum cydoniorum mucilago pro linctu, -- mento vero linimentum volatile, aut emolliens cataplasma, admoveatur. Plurima interim ex illis apud infantes, huic morbo præ aliis subjectos, omneque sæpius auxilii genus recusantes, vix locum inveniunt.

Novum non est, sed a recentioribus quibusdam confirmatum, ex mercurio dulci, seu *calomela*, auxilium: quod, seposito resolutionis humorum timore, hac in morbi specie, ac fere in quavis ejusdem, emeticis jam jam pertractati, stadio, vel purgantis vice, vel aliquoties in die ad pauca grana præscribunt, atque proficuam salivatione vix incipiente operationem ab eodem exspectant. Cum vero alvum hoc a medicamine, cum periculo debilioris jam ægroti, excitari vereantur; ne tamen illius priventur effectu, cum opio mercurium combinandum esse cum laude remedii docuerunt. Nos quidem, modo paucis *scarlatinæ cynanchico-gangrænosæ* exemplis a nobis ipsis conspectis instructi, experimentis hanc methodum propriis illustrare nequimus.

Causa reliquiar. scarl.

§. 303. Tam diri vero interdum morbi reliquiæ, nulli quidem ejusdem speciei perpetuo adscriptæ,

sed tamen a fortiori quidquam ægritudine frequentius obviæ (§§. 295. 296.), Medentis attentionem sibi quammaximam exigunt. Variæ quidem metastases huc primo spectant, quarum tractatio ex aliis hujus operis locis repetenda est. Interdum vero glandularum tumores vel sub ipso morbo, vel eodem jam superato, tam duri succrescunt, ut remedio discutiente, aut emolliente nullo dissolvi, aut ad suppurationem duci, -- quid quod sub usu istorum exasperari quotidie observentur. Hoc vero in casu, a vesicante emplastro tumori rebelli superimposito discussionem tumoris, aut benignam suppurationem felicius longe obtineri, docuit experientia. Metastases non minus, quam anasarca, in omnibus aut in quavis epidemia præpediri semper non queunt: in multis interim tum summa & longior transpirationis cura, aerisque aperti aut frigescentis evitatio, tum frequens tepidumque balneum, aut antimonialium cum haustu salino, vel & pulverum *Dovveri* usus; in aliis repetita aliquoties a superata jam scarlatina, laxantia alvum remedia, -- in illis roborantia potius cum diureticis juncta medicamina, -- in his vero positum hinc inde vesicans, -- in aliis demum, continuante imprimis post desquamationem, aut eadem imperfectius peracta, arteriarum duritie ac plenitudine, cum siti & interno calore, venæsectio, sanitatem quamoptime confirmant.

In ipso vero scarlatinam jam insecuto anasarca vel hydrope, non minor remediorum, quæ huic vel illi subjecto conveniant, & quorum plenior expositio in sequentibus tradetur, differentia est. Si febris, quasi *inflammatoria lenta*, cum doloribus artuum, rheumaticos æmulantibus, cum calore cutis, pulsu pleniore, aut duro, cum cephalalgia, siti, urina profundius tincta, anasarcam comitetur: tunc antiphlogistica po-

tissimum remedia, cremor tartari, nitrum, serum lactis pro potu, ac imprimis *venæsectio*, interdum aliquoties repetenda, conducunt. Nec ob pulsus forte parvos & contractos venæsectio his minus indicatur; ubi respirandi difficultas cum tussi aspera & sicca, cum calore ardente, post scarlatinam manifeste inflammatoriam, advertuntur, ac non obscurum de latente pulmonum inflammatione testimonium edunt. Nullibi certe communis, ac per diuretica acriora anasarcam curandi methodus majores noxas habet, quam in hac *inflammatoria* hydropis specie: quæ non modo *scarlatinam* hanc *cynanchicam*, sed interdum & *cynanchen parotideam* (§. 174.), insequitur.

Si debilitas major laxitasque partium, a febre imprimis nervosa, scarlatinam sequatur ac hydropem inducat: tunc, præter frictiones cum pannis asperis ac calidis, roborantia ex cortice aut limatura martis, imprimis decoctum chinæ cum oxymelle scillitico, egregie inserviunt. Sed interdum excitantibus infractum systematis lymphatici robur erigendum, ac diureticis primum remediis stagnantes aquas educi oportet. Hic vero infusum juniperi, terra foliata tartari, alkali vegetabile, vel spiritus salis ammoniaci cum aceto scillitico saturata, Digitalis purpurea, — vel apud juniores purgans remedium ex calomela & jalappæ radice, indicantur. Liberato ab aquis corpore, ad prædicta vix roborantia cum diureticis mixta remedia veniendum est.

Ubi ex subjecti, morbique prægressi natura, aut ex nervosorum apparatu symptomatum, spasmodicam magis suspicamur anasarcæ naturam: tunc pulveres Doweri, haustus salinus cum vini antimoniati ac laudani liquidi æqua portione, superaddito Rob sambuci, interdum camphoræ moderata portio, impri-

mis vero balneum ex tepida, nec non vesicans hinc inde emplastrum, in usum trahenda erunt.

In casu retrocedentis scarlatinæ, præter causæ, quæ periculoso huic phœnomeno subest, considerationem, regulæ sub erysipelatis ad interiora conversione jam satis expositæ (§. 290.) consulantur oportet.

ORDO I. GEN. III.

URTICARIA.

§. 306. Quod ephemera benigna, in dies aliquot protracta, inter febres continuas; — hoc *urticaria* inter exanthemata, brevioris nempe temporis affectio est. Infantibus frequentius, quam adultis, vix contagioso tamen afflatu, nec epidemico facile jure, sed ex causis sæpe manifestis, ad cutem hoc exanthema prorumpit: quod, licet ab analogo fere urticarum in hanc ipsam effectu *urticariæ* impositum sibi a recentioribus nomen assumat, non tamen constantem satis in pelle figuram retinet, ut maculis, quas urentis quasi plantæ attactus ad eandem inducit, ubique respondeat. Nominis ratio.

§. 307. Difficilis hinc exanthematis non semper sibi æqualis definitio est. Interim si hoc dicatur efflorescentia, frequenter, non ubique, febrilis, nunc in maculis quasi a cæsa urticis cute, nunc in tumoribus in vesiculam terminatis, nunc vero in majoribus ad pellem protuberantiis consistens, plerumque cum summo cutis pruritu incedens, circa noctem cum febricula, vel & externo a frigore copiosius prorumpens, ex cute cum intolerabili pruritu facillime Definitio.

disparens, sed hanc scalpendo mox iterum revocanda, post paucos dies plerumque sine epidermidis desquamatione disparens; — non iniquam nobis de hoc exanthematico morbo formabimus ideam.

Divisio. §. 308. Atqui in hac ipsa *urticariæ* definitione (§. 307.) jam latet istius in *maculosam*, *vesicularem* atque *tuberosam*, ex forma exanthematis desumpta, atque *Esseram* sic dictam Auctorum comprehendens, divisio. Cæterum & a febre huic morbo differentia accedit: quæ sicut in multis deesse consuevit, sic non eundem in omnibus characterem agnoscere videtur. Nos quidem hoc in morbo aut nullam, aut certe benignam leviterque inflammatoriam indolem observavimus; sed non desunt aliorum de morbo satis maligno, vel cum remittente ac intermittente adeo febre conjuncto, observationes.

Symptomata. §. 309. Utplurimum quidem *urticariam*, quam diximus (§. 308.) *maculosam*, præcedit febricula cum refrigerii sensu, cui ille moderati caloris, capitisque levis dolor, ac sitis, succedunt. Nonnunquam & alvi profluvium cum urina jumentosa, vel, ut novimus, vomituritiones, ventriculi, intestinorum dolores, alvi obstructio, observantur. Secunda vero, aut tertia morbi die, interdum, inopinante quidem, nec febricitante homine, post paucas jam a pruritu universali horas, ad brachia imprimis & pectus, Urt. maculos; — sed & ad faciem, ad ventrem, crura, corpus fere universum, exanthema (§. 307.) citissime prorumpit: ac parvæ nunc, vel & latissimæ, ex cute tamen prominentes quidquam, *maculæ*, insigniter *prurientes*, ex pallido subrubræ, ad centrum fere albescentes, inæqualis ac laceratæ quasi figuræ, hinc inde cohærentes, circa basin læte rubentes, vix

prodiere ; cum , non sine aliqua in quibusdam anxietate ac lipothymiæ levioris sensu , vel a lecti calore , vel sponte , jam iterum disparent , ac sub cute reconditæ insuperabilem scalpendi pruritum inducunt . Mox vero ab isto , vel cum frigidæ auræ se exposuerit ægrotans , copiosus iterum in cute macularum proventus conspicitur , atque sic plures , non in eadem semper parte , eruptiones contingunt : quæ tandem , nunc ad tertiam , quartam utplurimum diem , septima saltem vix unquam tardiorem , cessante febre , plerumque sine manifesta cuticulæ desquamatione , disparent .

Urticariæ , quam *vesicularem* diximus (§. 308.) , & quæ , si pruritum forte , a quibusdam negatum , excipiamus cum *Essera* Auctorum non minus , quam *tuberosa* mox describenda *urticaria* , consentit , — brevissimi certe morbi, symptomata exemplo illustrabimus . In sanissimo ex auditoribus nostris juvene , vix a suscepto pastu , nec spirituosis liquoribus , nec pravis , aut nimiis esculentis sanitati contrario , mordacissimus ac intolerabilis ad universam corporis superficiem , imprimis vero ad collum & ad faciem , pruritus ac ardor comparent . Succedit calor non modicus , facies ipsa haud levi suffunditur rubore , auriumque tinnitus , & capitis susurrus , cum anxietate & præcordiorum angustia per vices redeunte , superaccedunt . Pulsus naturalibus vix frequentiores reperiuntur . Mox vero phymata diversæ magnitudinis ad superiorem juguli partem , ac prope mentum , celeritate singulari propullulant , ipsumque cutis ambitum in tumorem inæqualem attollunt . Paulo serius ad faciem similia , sed minori prorsus numero prorumpunt ; ad genas vero perexiguæ papulæ efflorescunt . Ad cæteras corporis partes , licet ardor ac pruritus continuent , exanthema nullum comparet .

Urt. vesicul.;

Sub hoc interim rerum statu liberiorem vix aerem petierat ægrotans, cum statim efflorescentiæ ampliori ex fundo assurgerent, & in latiores plagas diffunderentur : ita ut quædam ex illis, circulo ad basin ruberrimo instructæ, licet ad collum nucis fere avellanæ magnitudinem adæquarent, graciliorem tamen ac pellucentem, sed fere vacuum, in apicem terminarentur. Lectulus nunc petitur, morbique, ut timebat, majoris, ab ægrotante suscipitur cura : cum rumpente per universam cutem madore, vix unius spatio horæ jam totus ac in integrum dissiparetur.

Urt. tuberos. *Urticariæ tuberosæ* (§. 308.), viginti annorum adolescens nobis offert exemplum. Hic ipse crapulis non parum deditus, quin tamen in similes nunc excessus incidisset, mox a prandio corripitur nausea & vertigine tenebricosa. Intumescit mox, rubroque colore suffunditur facies ; tumores vero palmæ latitudinem habentes, & colore rubro, sed obscuro, instructi cum pruritu ad animi deliquium usque intolerabili, universam corporis, sed femorum imprimis, superficiem occupare cernuntur. Accedit horror, ac demum rigor extremitates, potissimum inferiores, violenter concutiens : sub quo exanthemata in alias, & superficiem longe ac late superantes, seu informes offas, increscunt. Pulsus nunc duri ac pleni observantur, mortisque ægrotantem consternit formido. Ad noctem subsequitur calor : sub quo vix formati ad cutem tumores imminuuntur, ac tandem, reliquo tamen ad vultum rubore, ac universali pruritu, penitus evanescunt. Ast vero eorundem mox locum exanthema asperrimum, digitosque sub attactu vix non offendens, miliaribus fere simile, sed nigro ad apicem puncto insignitum, ac pellucidum, subintrat. Hoc facto, imminuitur anxietas, orisque summa comparet amarities. Die morbi secunda, pur-

gante alvus medicina laxatur qua occasione, ægroto lectum cum frigidiori aura commutante, posterius hoc exanthema jam iterum disparet, ac primi denuo ad cutem revertuntur tumores. Alterna hæc exanthematis efflorescentia eodem per sex dies tenore continuat: quo tempore, secta adinterim vena, & antiphlogisticis ac evacuantibus ægrotanti porrectis remediis, ægritudo disparuit omnis.

Utroque certe in casu, tam cita exanthematis eruptio, quam insignis sub eodem pruritus, nec non constans illius a frigidiori aura incrementum, *urticariæ* characterem manifeste ostendunt. *Esseram* quidem vel *psoram*, nunc tubercula parva, ad rubrum vergentia, duriuscula, cum insigni pruritu subito universum corpus, non secus ac si ab apibus, vel vespis, vel culicibus demorsum, vel urticis percussum esset, occupantia, post breve tempus iterum dissipanda, nulloque ichore vel liquido effluente, pristinam cuti lævitatem & colorem concedentia, dixerunt alii; — maculas alii sub hoc nomine latas, discretas, coloris rubri, splendentis, glabras, planas, ardentes & prurientes, in manibus & facie potissimum, descripserunt: sed apparet satis, diversam ab eodem exanthemate faciem posse assumi; nec, si pruritus forte minor in una, quam alia morbi varietate occurrat, — aut si in illa sub lecti magis calore, sub frigidiori vero aura in ista, exanthema copiosius erumpat, cum in simpliciori adeo urticaria similis prorsus contradictio subinde observetur; ad exanthema mox ideo diversum prudenter posse concludi.

§. 310. Causæ hujus morbi (§§. 307. 309.) quamplurimum ex suppressa transpiratione repetendæ; interdum in ipso abdomine quærendæ, rarius ex epi- Causæ.

demica constitutione, aut a contagio derivandæ sunt. Non infrequens est observatio, *urticariam* vel ex rebus, ob incognitam & particularem hominis naturam, huic uni contrariis, uti ex fragorum, astacorum, cancrorum fluviatilium, echinorum esu, -- ex valerianæ radicis, vel ex alimentorum revera suspectorum, ex mytulis, piscibusque aut carnibus semicorruptis, aut muria acriori conditis, petitorum usu, originem habuisse. Quemadmodum vero urticæ faciunt; sic & aliæ, externæ cutis superficiem irritare, similemque in eadem habitum inducere, causæ queunt.

Prognosis. §. 311. Levem vix non ubique morbum *urticaria* sistit; ac, si febrem non habeat, incommoda præter molestum pruritum vix alia ut plurimum infert. Non parva interim tum in *vesiculari*, tum in *tubercularí* varietate (§. 309.) anxietas observata est; ac in paucis, ab *Essera* retropulsa, lethalis ad cerebrum metastasis, vel ejusdem quoque visceris hydrops, in fastis Medicorum adnotatur. Facile tamen nobis esse videtur, exempla, quæ de urticariæ malignitate referuntur, ad aliam longe ægritudinem fuisse referenda.

Cura. §. 312. Vix aliam, quam quæ pro simplicissima scarlatina a nobis proposita est (§. 299.), methodum pro *urticaria*, quæ sæpe nullo præter lecti fotum auxilio indiget, commendamus. Hinc infusum sambuci, aut haustus salinus, — interdum, si abdominalis causa latuerit, evacuans alvum medicina, — rarius certe, ac nonnisi in casu evidentis plethoræ cum febre majori incedentis, venæsectio, sufficient. Intolerabilem ægrotis pruritum, universale tepidumque balneum compescit. A morbo jam supe-

rato, transpirationi, ac illorum, quæ post scarlatinam fieri consuluimus, curam non esse negligendam, vix allata (§. 311.) docet hydropis cerebralis a frigore inducti observatio.

ORD. I. GEN. IV.

PETECHIÆ.

§. 313. Frequens *Petechiarum* a nobis jam facta est mentio (§§. 35. 83. 87. 88. 103.), illasque tum *continuis* febribus, tum *intermittentibus* ipsis, interdum pro symptomate esse monuimus. Similia petechiis exanthemata antiquissimis certe temporibus observata, nec tamen majori cum studio ante sæculum decimum quintum & sextum descripta fuere: quo tempore vero ad morbi dignitatem evectæ *petechiæ*, singularem sibi Medicorum attentionem acquisiverunt. Fata petechiarum.

§. 314. Sunt vero *petechiæ* cutis maculæ, pulicum fere morsibus, deficiente tamen in medio punctura, simillimæ, mox rubræ, purpureæ, mox bruneæ, lividæ, aut fere nigræ, vel & pallidæ, subflavæ, magnitudinis diversæ, subrotundæ, vel inæquales, planæ, nec tactu distinguendæ, nec a compressione evanescentes, insensiles, utplurimum discretæ, febrilium morborum plerumque sociæ, incertis tamen morbi diebus ad jugulum, pectus, antibrachium, vel ad totam superficiem, rarius ad faciem, prorumpentes: quæ maculæ nec tempore sat fixo florere, nec maturescere, nec tandem in squamas decidere, observantur. Definitio.

Divisio. §. 315. Hæc vero exanthematis species (§. 314.) utplurimum licet *febrilis*, multis tamen & nobis ipsis *sine febre* comparuisse visa est; ac non *acutorum* modo naturam morborum imitare, sed & *chronicam* hinc inde assumere indolem, observatur. *Sporadicæ* quoque nullo non tempore petechiæ cernuntur; sed sub incognita anni constitutione *epidemicæ* uberius florent, ac fere princeps regnantis morbi, saltem quod suum febribus nomen apud recentiores potissimum impertiatur, phœnomenon constituere videntur. In paludosis regionibus, atque in magnis hominum impurorum societatibus, vix non *endemicæ* occurrunt petechiæ. Pro ipsa vero febris, cujus satellites *peticulæ* constituunt, diversitate, nunc *periodicam* habuisse naturam, nunc *nervosæ* ac malignæ, frequentius *gastricæ*, interdum *inflammatoriæ* indolis testimonium edere observantur; atque in maximo certe febrium istarum numero *symptomaticæ* prorsus, in paucissimis vero cum ægrotantium emolumento, seu *criticæ* comparent. *Artificiales*, utpote calefacientis ac abhorrentis ab evacuantibus methodi progenies, petechiæ frequenter occurrunt: sed pro talibus ubique declarari sine magna Medentium injuria non possunt.

Descriptio petech. §. 316. Quamvis autem *petechiæ* nunc sine febre, nunc antequam hæc ipsa prorumpat, — in aliis vero mox cum ista, vel tardius, & non modo primis fere morbi temporibus, sed, prout frequenter conspeximus, octava, duodecima, decima etiam quarta, aut seriori die, — quidquod interdum a morte demum, efflorescant: nullibi tamen, nisi epidemicus jampateat morbi regnantis character, vel certo & sibi proprio, nec pathognomonico signo aut prædici possunt, aut morbi caput constituere ac primatu gaudere nobis videntur. Varia quidem a Scriptori-

bus prodroma instantis exanthematis signa ponuntur: imbecillitas, stupor, somnolentia, agrypnia, virium singularis prostratio, lassitudo ac dolor a dorso quasi proveniens; ardor faucium, coryza, capitis gravitas, aut obtusus dolor, vagi per totum corpus dolores, anxietas præcordiorum, nausea, vomituritio, obstructio alvi, aut laxitas ejusdem, urina pellucida, quasi hominis sani, aut jumentosa, aut profunde tincta: pulsus exiles, inæquales, faciei pallor etc. Sed nullum certe ex his signis pathognomonicum vocari potest; aut non frequenter admodum cum petechiis haud conjungi, aut sine istis, incedere observatur: sicut, qui petechiarum conscribere historiam tentaret, oporteret hunc contrarios protinus inter se morbos conscribere, & quæ istorum sunt, quo ipsum certe exanthema spectat, petechiis attribuere.

Juvat interim istarum, quæ sub certis epidemiis tam pertinaciter febribus adhærent, ut nec ullo quidem præveniri semper remedio queant, ac ut fere primarium in istis, constantissimumque symptoma offerre videantur, succinctam satis ideam habere. In illis vero partibus, quibus cutis tenerior est, potissimum efflorescunt *petechiæ*: hinc ad laterales colli provincias, ad mammas, juxta brachiorum interiora, maxime vero a flexura cubiti ad carpum usque, nec facile, si hic desint, alibi, comparere observantur. In tam insigni petechizantium, quos tractavimus, numero, nec unum quidem (quod aliis tamen ac veridicis observatoribus frequenter, imprimis ad palpebras, obvenit) cum *peticulis* ad faciem conspeximus. Nec *internas* nobis, observatas licet ab aliis, *petechias*, forte quod in aperiendis hominum contagiosa febre mortuorum cadaveribus paulo cautiores fuerimus, datum hucusque fuit conspi-

cere. Utplurimum quidem colore sat læte rubro comparent petechiæ; sed constans in hoc nihil est, ac unius fere diei spatio aut omnino (ac sæpe quidem sine damno manifesto) disparent, aut colorem suum multoties mutant. Sæpius fere ad castaneum hic vergit; interdum in lividum, mox vero iterum in rubrum, aut quod pejori subinde omine contingit, in atrum transire consuevit. Interdum in uno eodemque ægrotante omnes simul petechiæ varii coloris observantur, ut cutis inde marmoris fere adinstar variegata compareat. Alias vero petechiæ lenticularum ferme, aut communis a pulice oriundæ maculæ, magnitudinem adæquant; alias seminis papaveris aut milii latitudinem, aut tot fere acicularum subtilissimos apices, ac, nisi obliquo sub intuitu, inconspicua fere punctula, referunt. Ad petechias certe referendæ sunt tum diffusæ, quasi ab insperso cuti atramento, latiores, ac umbrarum instar limitibus destitutæ, maculæ, tum lineæ quasi calamo scriptorio exaratæ; tum, quas in duobus ægrotis cum lethali eventu conspeximus, *Æthiopicæ* ac a digitorum apicibus ad carpum usque nigricantes *manus*. Nec alterius certe naturæ sunt *vibices*, vel striæ longitudinales ex profundo rubræ, aut flammeæ, aut lividæ cæruleæ, ac fere nigræ, interdum fere virides radiorum in formam, aut quasi cæsa virgis cutis fuisset, in diversos sensus diffusæ: quæ singula tot parvas, majoresque sub epidermide, a causis internis aut cutaneorum vasorum vitio profectas, ecchymoses sistunt; quæ, sicut ab externa compressione nec minime disparent, ac per ipsam interdum cutem sub forma conulorum profundius penetrant, sic quoque nec tumorem sistunt, nec ardorem aut dolorem producunt; nec denique, cum evanescunt, per desquamationem cuticulæ, nisi paucis-

simis, nec observatis a nobis, in casibus, terminantur. Rarior, sed a magno viro descripta petechiarum morbillos referentium forma est: quam tamen & nos in *Gœttingensi* fœmina ante septem hos annos conspeximus; ubi numerosæ ad antibrachiorum interna comparebant veræ ac roseæ petechiæ, seu ad cæterum corpus elevatæ videbantur rubri coloris pustulæ copiosæ, sat latæ, nec sero repletæ: quæ, cum altera mox die a frigore repellerentur, dyspnœam, ac venæsectionis necessitatem induxerunt. Cæterum cum aliis exanthematibus connubium non recusant peticulæ, ac sæpe variolis, morbillis interspersæ, vel cum miliaribus intermixtæ, observantur.

Multæ vero ac interdum innumeræ, vel paucæ sunt petechiæ: eæque nunc post primos jam dies evanescunt, nec denuo redeunt; nonnunquam vero pro tertia adeo vice revertuntur. In aliis per totum morbi decursum florent; quidquod post mortem adeo copiosius prorumpunt; atque in quibusdam petechiæ morbo jam penitus devicto in cute persistebant, atque *chronicam* prorsus assumentes naturam nunc ex illa disparere, nunc sine febris indicio reverti cernebantur. Etiam sine febre, aut alia functionum læsione præcedente, peticulæ interdum comparent, & tales tum ab aliis descriptæ, tum a nobis ipsis conspectæ fuerunt.

Tam rarum est, febrem præsentem a petechiarum eruptione mitescere, ac solvi, ut potius ab ista, in quamplurimis augeri symptomata, — in aliis saltem non decrescere, — in nullo vero morbum judicari, nos quidem in epidemiis non paucis conspexerimus. Ab aliis hinc inde a petechiarum efflorescentia symptomatum moderamen observatum fuit. Singulare, sed in *Veronensi* epidemia sub me-

dio sæculi XVII. frequenter adnotatum est symptoma, *horrenda phthiriasis*, quæ, ante septimum præsertim apparens, majorem ægrotantium partem miserrime sustulit. Frequentius cum petechiis hæmorrhagiæ, sopores, deliria, subsultus tendinum, convulsiones, gangrænæ incedunt: quæ tamen singula non ex petechiis certe, sed ex eodem, quod istæ propullularunt, fonte derivanda sunt.

Causæ. §. 317. Multiplex hæc petechiarum origo, ac vario pro febris, sub qua florent, imperio, natura est. Nihil certe aliud hoc exanthema sistit, quam parvam sub epidermide *ecchymosin*, & stagnantis sub ista cruoris guttulam: quæ magis, minusque diffusa, petechiam nunc latiorem, nunc vero peticulam efformat, ac pro varia effusi liquidi copia & directione umbrosas nunc maculas, nunc strias vibicesque constituit. Similem certe *petechiæ* cum *scorbuticorum maculis* agnoscunt genesin, nec alia, quam ignotæ in scorbuto causæ proximæ, ratione inter se differunt; ac solius fere præsentia febris aliorumque huic ultimo propriorum symptomatum effectu, *petechiæ* distinguuntur ab illo. Simplicissimam, quæ læso per proboscidem pulicis vasculo ad cutem exoritur macula, perforata licet epidermide, petechiam sistit; parumque ad explicationem interest, quo demum vascula cutanea modo contenti cruoris guttulam in vicinum cellulosæ spatiolum, aut in sic dictum rete mucosum, transudent; atque vel sanguinis ab impetu, vel consistentiæ in eodem defectu, vel demum ipsorum culpa vasorum, hæc contingant, nascitur macula, quæ pro causæ, ex qua pendet, ratione diversa significationem aut nullam, aut parvam, aut denique maximam, in morbis habebit. Vel a brevissima solis in teneriorem albissi-

mamque cutem actione, copiosæ mox in rufis fulvoque capillo præditis hominibus *lentigines* oriuntur: quæ totidem fere, sed innocentes certe, ac redeunte hieme facile disparentes, peticulas, seu bruni & castanei coloris maculas, sub epidermide ostendunt. Nec longe ab his, nisi extensione majori, distant fœminarum utero ferentium maculæ, quæ certe, sicut a vasorum cutaneorum neglecto paullisper in contentos liquores officio dependent, sic miram consensus uterini in pellem potentiam ostendunt. Similem vero vel solo nervorum abdominalium attactu exercent, quæ ad primas vias tam sæpe colliguntur, acriores ac infensæ saburræ (§. 274.); nec opus est, ad putridam ipsius adeo sanguinis resolutionem in his explicandis recurrere: quæ vel solo interdum emetico, aut purgante alvum remedio dissipantur in horas, aut in multis sine febris aut morbi vestigio in cute prorumpunt.

Frequenter satis in morbis inflammatoriis petechias, ac emissum sub istis in firmam certe insulam compactum ac denso corio obtectum conspeximus sanguinem. Tenuiorem quidem hunc, nec tam facile coagulabilem in *scorbuticis*, *hydropicisque* multis, — sed non ideo *putridum*, conspeximus; ac in utroque hoc morbo non minus, quam in febribus *nervosis* cum petechiis, hæmorrhagiis, solidorum in sanguinem infirmius reagentium culpa, quam vitio proprio, diffluere, ac, ne vasis facile coerceri queat, sanguinem resolvi putamus. Si res aliter se haberet, certe non tam felix tantæ quidem in massa humorum corruptionis eventus in multis foret; nec in scorbuto vel solus vegetabilium recentium tum acidorum, tum aliorum, usus hunc sanguinis statum certius, quam ipse cortex, nec tam brevi tempore, tam potenter dissiparet.

Varia igitur petechiarum inter causas referri oportet, atque vel sordes abdominales, vel ignotum ac epidemico charactere generatum acre, aut vim vitæ nimiam, aut imminutam vasculorum resistentiam, ac statum quasi semiparalyticum, vel forsitan ipsam lymphæ ab acri latente inductam tenuitatem, hic accusabimus. Non gratuita est hæc acredinis in sanguine, vi contagii aut alia, evolutæ suppositio: si consideremus, tum ipsas petechias interdum cum cæterorum emolumento symptomatum prorupisse (§. 316.); tum frequentes satis in febribus, quæ petechiis quam maxime favent, *nervosis*, metastases cum bonis ægroti rebus contingere: quæ omnia sicut eliminatam ad superficiem corporis morbi testantur materiam, sic & alienam istius a putredine, vim vitæ omnem mox præfocante, naturam esse, luculenter ostendunt.

Prognosis. §. 318. A febre magis ac morbi causa, quam a re quavis alia, regitur petechiarum prognosis. Ex numero istarum aut majori, aut minori, — ex citiori aut tardiori exanthematis eruptione, nec majora semper, nec minora resultant pericula. Interim diversa epidemiæ regnantis natura diversam interdum istorum significationem inducit: ac visæ sunt petechiæ, quæ, cum ultra pectus, dorsum, ac lumbos non procedebant, lethales fuere; quæ vero, in superioribus disparentes, cum summo emolumento ad partes inferiores prorupere. Nec omnino negandum est, petechias jam prima morbi die efflorescentes interdum de summa ejusdem gravitate, quod & ipsi *pesti* solenne est, testari. Periculosiores in genere sunt petechiæ, quas nonnisi oculis transversa tuentibus licet inspicere, aut quæ intra cutem paulo latius procedunt, ac inter cæteras, quasi atramenti guttula chartæ emporeticæ inspersa, diffluere

videntur : si nempe vis vitæ minor hanc in completam aut insolitam exanthematis expulsionem simul comitetur . Singultus , aut convulsiones post istius efflorescentiam continuantia , periculosum plerumque ægrotantis statum esse indicant . Ipse quidem peticularum *color* nec per diem satis constans est , ut ex eodem sat firma prognosis hauriri queat ; nec ruberrimæ quidem petechiæ ubique tam bonæ dicendæ sunt . Lividiores interim in cute maculæ aut vibices fatalem sæpius comitantur exitum , atque tam hæmorrhagias profusas , quam partium gangrænam interdum prædicunt . Maxima hæmorrhagiarum hoc sub statu , nec arcenda fere , discrimina esse observantur . A petechiarum ex cute discessione sæpius nos damni nequidquam conspeximus ; sunt tamen , quibus hæc ipsa periculosiorum mox symptomatum origo fuerit . Contagiosas , nisi febris ratione , haberi petechias , non paucæ rationes prohibent . Si vero istæ exanthematibus aliis , ut variolis , vel morbillis , interserantur , majora abhinc principalis morbi pericula plerumque observamus . Interim & ipsi interdum intermittenti febri conjunctæ peticulæ , istius nequaquam discrimina adauxerunt . Sat frequens petechiarum per diarrhœas judicatio est , si nempe morbus , in quo illæ comparuerant , ad gastricos pertinuerit . In aliis , vel & in istis , ubi vires vitæ jam prostratæ jacent , diarrhoea periculum adauget. *Scabiem* post petechias in pluribus prodiisse , singularis in *Viennensi* epidemia docuit observatio . *Ictero* post septimam in pluribus comparente , petechias salutariter judicatas *Veronensis* quondam epidemia ostendit . Præstantior utplurimum per sudores hic crisis est , ac interdum , pro genio istius , critici ad cutem abscessus contingunt .

Cura. §. 319. Methodus medendi petechiis non alia, quam febribus, quibus accedunt, atque causis, unde oriuntur, esse potest. Hinc, ob hoc quidem in morbis symptoma, nihil unquam in illa mutavimus, atque vel emeticum, vel purgans remedium, vel cardiaca interdum remedia, vel ipsam in aliis venæsectionem, persistente licet ad cutem exanthemate, quotiescunque princeps id morbus exigeret, animose præscripsimus. Frequentius certe cum febre *gastrica*, quam cum alia, petechiæ incedunt; atque hinc frequentior emeticorum sub ipso morbi principio, ac purgantium usus est. Interdum hæc ultima, ob singularem intestinorum inertiam, paulo fortiora eligi oportuit; sed in genere hic valent, quas alibi (§§. 109. 111.) adduximus, regulæ, plurimumque ex refractis tartari emetici dosibus auxilii habetur.

In petechiis *gastrico-nervosam* comitantibus, institutis jam necessariis evacuationibus, confortantia & excitantia tum interna, tum externa, vinum scilicet, extractum corticis, serpentariæ virginianæ, valerianæ radices, camphora, moschus, vesicantia &c., pro diverso morbi stadio, ob febrem magis, quam ob petechias, adhibenda erunt (§. 111.), atque hic arnicæ iterum se aliis magis, quam nobis commendavit radix. Ubi, forsitan ob neglectum ab initio morbi emeticum, diarrhœa symptomatica, viribus inimica, comparet: cortex peruvianus non aliter, quam exposuimus (§. 97.), cum opio junctus indicatur.

In petechiis cum *inflammatoria* febre incedentibus non posse modo, sed & debere, sanguinem pro impetus febrilis ratione educi jam diximus. Hoc quidem evacuationis genus sub initio magis, quam adolescente jam morbo, conducit; sed & sub media petechiarum efflorescentia interdum venæsectio indica-

tur, atque valent hic singula, quæ de febris tum nervosæ, tum gastricæ, cum inflammatoria complicationibus alibi (§§. 95. 112.) satis exposita habentur.

ORDO II.

EXANTHEMATA SCABRA.

GEN. I.

MILIARIA.

§. 320. Exanthema, Antiquorum in chartis obscure delineatum, ac ante sæculum XVII. a Recentioribus parum illustratum, nec tamen ideo humano generi novum, *miliaria* sistunt. In cujusvis febris amplexus adulterum hoc & inconstans exanthema ruit: sed *puerperarum* potissime toro, ac *nervosarum* (§§. 80. 87. 91.), imprimis *catarrhalium*, societate delectatur; ad maceratam sudoribus cutem amœnius floret; nec tamen calida perpetuo methodo excubatur, nec a sicco penitus aut temperato excluditur solo, nec perenni alienam in cutem transvehitur; -- sed, favente cœli constitutione, sterili, copioso licet, sub quavis epidermide generatur semine. Morbi notio.

§. 321. Quod vero *miliare* vocatum est exanthema (§. 320.), hoc in papulis nodulisque asperis, forma seminis *milii*, aut interdum majori, exstructis; præviis sæpe horripilationibus, anxietate, suspiriis, sensu punctorio, motibus convulsivis, crampo partium, ad jugulum, mammas, brachium anterius, internum, ad dorsum, primum, — dein, expulsione vix unica, in universa cute aliquomodo pleniori ac tumefacta, Definitio.

rarius ad faciem, sub sudore vapidum in pluribus acetum spirante, in aliis fœtido, atque cum pruritu, incerta morbi die ac utilitate, prorumpentibus, a principio plerumque rubris, interdum vero pellucidis; mox illinc in apice vesicularibus, ac liquore seroso, diaphano, aut lymphatico, quasi lacteo, aut puriformi repletis, utplurimum discretis, interdum confluentibus, post tres quatuorve dies, nisi sponte dispareant, exsiccantibus, interdum diu persistentibus, sæpiusque recrudescentibus, consistit.

Divisio. §. 322. Ex hac ipsa morbi, vix non ubique symptomatici, definitione (§. 321.), patet magna ejusdem, aspectu sæpe magis, quam re ipsa fundata, diversitas, ac *miliarium* in *rubra* & *alba*, in *crystallina*, *aquosa*, *lactea*, *purulenta*, *minima*, *lenticularia*, *discreta*, *confluentia*, *symptomatica*, *critica*, *benigna*, *maligna*, *febrilia*, *apyretica*, *chronica* &c. divisio. Ipsa certe febris, cui junguntur, natura vel *nervosa*, vel *gastrica*, vel *inflammatoria*, diversam miliarium atque vel benignam, vel malignam constituit indolem; humorque in papulis contentus, pro varia earundem ætate, pelluciditatem, colorem mutat; — pro vario morbi impetu, causæque latentis, imprimis vero pro regnantis constitutionis diversitate, materiam nunc minus, nunc magis infestam, vesiculis nunc minimis, nunc fere variolosis, aut, prout ipsi conspeximus, confluentibus, recondit. Sæpius quidem miliaria *epidemice* per provincias florent; nec ulla, licet sub sudoribus facilius generentur, vel refrigerante, ut vocant, vel evacuante methodo præcaveri queunt: sed nunquam non *sporadica* hinc inde occurrunt, certisque in locis antiquo possessionis jure quotannis propullulant, ac fere *endemica* observantur. Nunc vero vix non *simplicem* miliaria morbum

comitari, ac princeps istius symptoma formare videntur; nunc *complicato* magis morbo juguntur, atque aliis, aliisque exanthematibus, *erysipelati*, *scarlatinæ*, *variolis*, *morbillis*, *petechiis* interseruntur; aut cum quovis morbo tum acuto, tum chronico, fœdus ineunt. Plerumque a *miliaribus* ad cutem expulsis, in febribus nihil mutatum; quin, has ipsas sæpe adauctas fuisse, conspeximus. Non tam raro interim, & certe *petechiali* frequentius exanthemate, *miliaria*, quasi *critica* moderamen adduxerunt; aut retrogressæ, quod iterum tamen constanter non faciunt, febrem ipsam graviorem reddiderunt. Nec tamen ideo *propriam*, ac ab aliis distinctam hoc exanthema febrem producit; aut morbum, ut *variolæ morbillique* primarium, aut non pendentem ab aliis, *matremque efflorescentiam* constituit: ut, qui *febrem miliarem sine miliaribus* haberi affirmant, aliud certe non dicant, quam febrim quamcunque *primariam* atque epidemicam, cui miliare exanthema, ob singularem modo anni constitutionem, frequentius (quod & *diarrhœæ* & *sudores* sæpe faciunt) adhæret, *absque hoc symptomate* in aliis, atque simpliciorem incedere annuncient. Nec superatis semel ab ægrotante *miliaribus*, major illi ab istis immunitas conciliatur; sed pluries adeo in multis hæc diversis in morbis retroverruntur, ut in quibusdam *habitualem* morbum, chronicamque cutis, fere solius, sine febre, affectionem constituisse viderimus.

§. 323. Cum non eundem semper morbum comitentur miliaria (§. 322.), hinc symptomata, tanta cum rerum confusione a multis exposita, atque variis sub epidemiis observata, ad ipsam magis febrem, quam ad miliarem ejusdem efflorescentiam revocanda sunt; nec ullum ex istis datur, ex quo, nisi jam Conditio miliar.

patente regnantis constitutionis charactere, ad futura miliaria sat tuto concludi queat. *Puerperas* quidem (§. 320.), teneræque cutis, sensiliores, ac sedentariæ vitæ, homines præ aliis frequentius hoc exanthema invadit: sed tamen, infantibus senibusque haud adeo commune, epidemico sub furore, nec robustioribus quidem ac plethoricis parcit; vernoque imprimis, rarius æstivo, sed nullo certe non tempore, tam ad valles ac loca humilia, quam ad alpinos tractus, sub quovis victus genere, & quavis conditione, ægrotantibus potiri observatur.

Invasio morbi.

Præcedunt in plurimis, nec tamen certe ubique, levis horror, aut intersecta calore volatili horripilatio, dolor capitis, interdum ingens, aut dentium, aurium, pectoris, dorsi maxime ac lumborum, rheumatici quasi, cruciatus, cum tussi ac symptomatum catarrhalium caterva; tristitia, metus, inquietudines, suspiria, pectoris oppressio, agrypnia, vel & somnus perturbatus, terrificus; virium languor, aut interdum lipothymia, urinæ aquosæ ac pallidæ, ac molestus mingendi nisus, singularis ad dorsum, crura, digitos pungens dolor, aut stupor, aut totum corpus pervadentes, subitanei ac involuntarii motus, aut surarum, manuum, digitorum crampus, vel & tendinum subsultus. Maxime vero molestus in plurimis sudor, qui vapidum quasi acetum olet, aut plurimum fœtet, continuo profunditur: qui tamen sudor nec in solis *miliaribus* acidum spirare odorem, nec in his quidem constanter manare, observatur. Pulsus non in omnibus æquales, utplurimum frequentes, contracti ac duri; sed & molles, intermittentes, aut vix non naturales. Sic ipsa quoque febris interdum ab initio sat parva, remittens, in aliis, præcipue cum inflammatoria est *miliarium* natura, sat fortis & continua. Cum ipsa *intermittente* febre

interdum junguntur, sub epidemiis, miliaria. In puerperis sub prima jam morbi invasione, lochiorum lactisque secretio effectu magis, quam causa morbi, utplurimum supprimitur. Interdum vero pulmonum aut visceris alterius inflammatio miliaria, prout vidimus, præcedit, comitatur, aut sequitur: quo in casu, vel & absente licet locali inflammatione, eductum sanguinem corio obtectum non raro conspeximus. Nonnunquam gastrica potissimum symptomata hanc febrem ordiuntur; atque sic nullum est, quod perpetuum, aut proprium dicatur, miliarium phœnomenon.

Ipsa demum istorum ad pellem eruptio (§§. 321. 322.) jam primis interdum diebus, aut tertia, quartave plerumque die, vel, ut frequenter vidimus, undecima, duodecima, decima quinta, aut tardiori quovis morbi tempore contingit; ac prævio sæpe molesto, ac fere pungente ad cutem, quasi anserinam, leviterque aliquando rubentem, pruritu, *miliaria* efflorescunt, primum utcunque pauciora, ad laterales colli partes, inter mammas, aut super his ipsis, atque ad internam præcipue brachii anterioris superficiem, — mox vero ac repetita explosione, ad dorsum, abdomen, universam corporis, nequidem digitorum excepto apice, superficiem, — rarius, sed visis & a nobis exemplis, ad faciem, — vesiculis circa basin rubello interdum circulo, sæpius vero nullo, circumseptis. Variæ magnitudinis hæ miliares phlyctænæ observantur, grano milii subinde minores atque tam exiguæ, ut visum, nisi cute oblique inspecta, tactumque rudiorem fugiant. Alias vero majores, & ex plurium, ut videtur, confluxu, in vesiculas fere variolosas, ac demum majores augentur. Manifesta satis phlogosi hæ papulæ sub initio ex cute prius rubella, tumente ac fere Eruptio.

anserina surgentes, rubent & opacæ comparent, aut forma primum *peticulis* fere similes prorumpunt; mox vero, ac interdum primo eruptionis momento, magis elevata, transparente ad apicem vesicula instructæ, seroso ac diaphano, ex albo flavescente, aut lacteo fere, vel & puriformi prorsus humore replentur; vel una eademque vesicula diversos hos colores paullatim assumit, ac tenui prius, dein turbata magis & purulenta quasi materia infarcitur, vel una eademque in cute diversi coloris & rubra & alba, & crystallina & purulenta miliaria florescunt. Ad ipsas adeo internas partes, ac ad viscera, miliformes interdum hydatulæ cadaverum sectione patuerunt.

Atqui cum tam copiosa in febribus ad cutem exanthematis depositio contingit, in quibusdam epidemiis, aut in certis saltem ægrotantibus, spasmodica & convulsiva moderantur symptomata; dyspnœa, anxietas disparent, urinæ flavescunt, sudores minuuntur, ac restituta puerperis lochia, vel aliquando vicaria his ipsis diarrhœa, observantur.

Sæpius interim a miliarium eruptione febris nec frangitur, nec aliter, quam temporis ac morbi progressus ratione augetur. Vel, quæ vix in conspectum prodierunt, exanthemata disparent, brevi mora subinde ad cutem proditura, quin ex eorum itu ac reditu res ipsæ mutentur.

Miliaria maligna.

In aliis, eruptionem aliqua, sed brevis admodum symptomatum insequitur remissio; mox vero tendinum subsultus, manuum pedumque stupor, insomnia terrifica, inquietudo, tristitia insignis, deliria, præcordiorum oppressio, cutis ardor ac dolor, lingua sicca & tremula, sudorum cessatio, vesicularum subsidentia, pulsus duri, celeres, contracti, urinæ copiosæ, tenues ac spasticæ, tandem vero convul-

siones, stertorque lethalis, aut coma funestum, observantur. Novus interim fœtidusque sudor interdum succedit, novumque in cute exanthema prorumpit; aut alvus liquida, fœtidissima deponitur, ac lento gressu periculo eripiuntur ægroti: quæ singula, sicut a retropressis interdum miliaribus, — sic ex præsentis violentia febris, ac ipsius, quæ exanthemata producit, causæ actione, contingunt.

Exsiccatio.

Fracto tandem febris impetu, vesiculæ miliares aut sponte disparent, aut resorpto quod continebant liquido, vacuæ reperiuntur, atque cum cæteris eodem adhuc repletis, cum insigni pruritu rumpuntur, arescunt, atque in tenuissimos furfures, -- aut, si confluens fuerit miliarium natura, in squamulas, interdum sat largas, secedunt. Atque sic totum exsiccationis opus, nisi nova hoc ipsum protrahatur eruptione, ad quartam, vel septimam in aliis, diem perficitur. Interim per multos certe dies, easdem, nisi ob insignem papularum copiam ac ob parvitatem exanthematis fallamur, vesiculas in cute floruisse, ac insensibili tandem modo sine manifesta desquamatione ex cute disparuisse, observavimus. Major interdum a miliaribus in cute sensibilitas, vel & stupor, relinquitur: nec primo in casu *anasarcæ* ac *hydropis*, quæ similis dispositio ut in *scarlatina*, post refrigerium, aut sponte inducit (§. 295.), miliaria insequentis, deficiunt exempla.

Causæ.

§. 324. Quod de cujusvis exanthematis *causa proxima* dictum est (§. 276.), hoc & de *miliarium* prima fateamur oportet origine. Obscura nempe singulorum natura est; ac licet macularum, pustularum theoriam hypothesibus fulcire difficile haud sit, in tam vasto tamen *possibilitatum* campo, explicationis subtilitatibus innixi, a vero facillime, nec sine ma-

gno scientiæ ac ægrotantium ipsorum damno, aberramus. Ipsam sudoris materiem acriorem sub epidermide retentam, aut inter hanc ipsam ac reticulum exstillatam, posse cuticulam innumeris in locis, quod applicitæ cantharides ad largiorem præstant superficiem, in vesiculas elevare, vel ex ipsa *sudaminum* ac *phlyctænarum* æstivis sub caloribus in cute, his non satis assueta, prorumpentium historia patet; ac ipsa demum lingua, cui interim hoc judicium ubique non competit, miliaris acredinem materiæ quibusdam in exemplis comprobavit. *Acidam* hujus materiæ naturam esse, ex contenti vesiculis liquoris sapore, ex sudoris odore, non ubivis certe, nec solis in miliaribus, obvio, præpostere concluditur; nec ex lactis, cujus a febre secretio arescit, apud puerperas in sanguinem refluxu, frequentiora in his ipsis miliaria derivamus. Sola nempe jam debilitas, evacuationes largiores, sanguinisque jactura, febricitantes ad hoc exanthema non parum disponunt; & quamvis in ipsis adeo inflammatoriis febribus, robustisque hominibus, miliaria occurrant; in genere tamen sensilior teneriorque corporis contextus, nisi major epidemiæ auctoritas id immutet, huic exanthemati frequentius subjicitur. Acidorum etiam in hoc ipso, nisi summa virium comitante jactura, utilitas, theoriæ de *acida* miliaris materiæ natura non parum contradicit. Quid de *putrido* in sanguine, accusato ab aliis, fomite cogitemus, jam satis alibi (§.92.) expositum habetur. Nec unam ac specificam miliarium causam esse, docet febrium, in quibus ista occurrunt, atque causarum, quæ his ipsis subsunt, diversitas. Nunc enim, ac sæpissime quidem, manifesta *miliarium*, ut *petechiarum*, ex primis viis ac saburra origo est (§§. 274.). Nunc cutis sudore maceratæ effectus (§. 274.) hæc esse videntur. Nunc nervosa protinus exanthe-

matis natura esse conspicitur: & quæ ex tendinum læsione, ex ossium fracturis, vulneribus exorta legimus, — hæc ex simplici tibiæ, post vulnus, exulceratione cum tetano observavimus miliaria; ac ipsa demum tristitia, & deprimentia animum pathemata, vel & singularis *intermittentis nervosæ* (§. 35.) habitus, ad illa nou parum certe contribuunt. Nunc fortior ad viscera inflammatio ac nimia cordis reactio, calidiori imprimis methodo adaucta, hæc cutis vitia producit.

Contagiosam miliarium epidemicorum naturam nec omnino negamus, nec tamen *propriam* in illis, ut in *variolis*, *morbillis*, agnoscimus, sed hæc ipsa, quotiescunque febris, cujus symptoma miliaria constituunt, ex contagio nascetur, locum habebit: quo in casu *febris* quidem *ex contagio*, — ob faventem vero exanthemati constitutionem, *cum contagio miliaria* propagantur. Quid vero, sub ista, huic magis exanthemati, quam petechiis, occasionem largiatur; -- quid constantem febris cum miliaribus tunc temporis societatem inducat: hoc intellectui humano nec patet, nec forte unquam patefiet mysterium. Sufficit interim, *sporadica* ex causis sæpe manifestis fabrefieri *miliaria*, atque nunc ex biliosis, verminosis aliisque saburris, aut rebus per idiosyncrasiam nocentibus, — nunc ex veneno, ut *arsenico*, aut *mercurio sublimato* assumptis, nunc ex cohibita *fluoris albi* apud fœminas excretione, hæc ipsa propululasse: ut non specificam pro hoc exanthemate, vel sub ipso epidemico furore, supponamus materiam. Cæterum nec *petechias* nec *miliaria* per *insitionem*, ut vocant, in alios propagari, docuit experientia: atque nullum huic exanthemati, quo erumpat, dispareat, tempus, — nec characterícum, quo ubique incedat, signum a natura sit concessum; cum in multis diversissimisque

inter se affectibus prorumpat, ac uno eodemque in morbo non una semper, sed repetita in multis expulsione hoc ipsum efflorescat: hinc satis patet, illius causam non in specifico quærendam esse viru, nec morbum sui generis, nec *febrem* sibi *propriam* generare miliaria. *Critica* miliarium quorundam natura (§. 323.) *idiopathicam* eorundem indolem non magis, quam aliarum quarumvis evacuationum utilitas, harum materiam *primariam* ægritudinem formasse, demonstrant; nec illud ipsum, quod sub *crisi* ejicitur, pro morbi superati fomite principali sat tuto ubique habetur (§. 7.).

Prognosis. §. 325. Miliarium hinc prognosis ex febris potissimum, aut morbi, cujus symptoma constituunt, natura, nec minus ex causarum concurrentium indole, complicatione, ex subjecti, ac tandem ex epidemicæ constitutionis habitu, repetenda est. Valent hinc singula de febre *nervosa* imprimis, nec non de *gastrica* vel & *inflammatoria complicata*, a nobis jam adducta (§§. 93. 108. 119.) prognosis momenta: quæ febres ex adjunctis sibi diversissimis miliarium causis (§. 324.) utplurimum majora, quam simplicior earundem natura ferret, pericula portendunt. Quo magis autem systema nervosum hoc sub exanthemate aut languet, aut perturbatur; — quo violentior est viscerum, partiumque vitalium affectio; — quo pallidior & aquosa magis urina, quo profusior ab exanthemate jam expulso sudor, aut quo major cutis calor est ac siccitas; — quo magis inquietudo, anxietas pectorisque oppressio post eruptionem continuant, vel ab exanthematis reversione divexant; — quo major in profusas hæmorrhagias propensio est, aut quo sæpius, in certis epidemiis, paucus ante eruptionem sanguis e naribus stillat;

— quo siccior ac tremula magis lingua; — quo profundior somnus in adultis est; deliria quo magis urgent ac desperatio; — quo profundius cuti miliaria vix conspicua insident, & quo facilius superficiem relinquunt: eo majora plerumque pericula ægrotantibus minantur. Ex uberiori, aut minori miliarium copia, nos quidem morbi metiri non potuimus discrimina. Nec promptior aut tardior phlyctænarum eruptio, nec diversus exanthematis color efficit, ut *miliare album* præ *rubro* graviorem semper ægrotantis statum designet. Interdum interim paucis ante mortem horis exanthemata contingunt, pluribusque talia jam mortuis in pelle florere observantur. Alvi fluxus moderatur in gastrica præprimis morbi natura & facta jam exanthematis eruptione eximie conducit. Fortior in febre *nervosa* cum miliaribus diarrhœa funesti pericula exitus adauget. Non pauca etiam ex morbo jam superato, imprimis *nervoso* aut maligno, timenda sunt salutis discrimina: quæ in metastasi ac abscessibus ad viscera, ad nervos, in sudoribus continuis, in memoriæ ac mentis imbecillitate, ac in hydrope interdum, potissime consistunt.

§. 526. Non aliter miliaria, quam ipsa, cui superaccedunt, febris, curantur. Hinc diversam contra hæc exanthemata methodum oportuit a diversis Scriptoribus laudari; atque sub majori, quam par est, ad solum hoc *symptoma* Medentium attentione, febris ipsa non raro ac princeps curæ prætermittitur momentum. Universalis quondam, febres acutas vix non omnes sudoribus pertractandi ratio (tempore, quo miliaria primum in Europa comparuisse creduntur, certe *anterior*, neque exhinc pro potissima illorum fautrice accusanda) quamplurimum certe ex Cura.

miliaribus origo fuit malorum; nec tamen ideo hæc ipsa methodus in quavis febre damnanda mox erit; ac si cum *nervosa* (§§. 80. — 88.), per *contagium* mortalibus funesta, incedant miliaria, valebunt hic regulæ (§. 94.) expositæ, ac sudores mox a susceptо contagio sanis cæterum corporibus, atque sub *nervosæ non complicatæ* principio, prolecti, hanc ipsam interdum, ac futura in eadem exanthemata mox in sua nativitate suffocabunt. Vix autem, cum radicem jam figerit contagium, ac febris jam infesta exarserit, sudorifera hæc methodus, in morbo sudoribus jam nimiis infami, sine majori noxa administrabitur; ac plures certe hic ipse ex præconcepta de sudorum necessitate opinione, quam ex propria febrium in miliaria propensione, ac istius malignitate, victimas agnovit. Quæ igitur in nervosa jam febre commendavimus, hæc & in ejusdem cum miliaribus complicatione commendamus, aeris temperiem ac puritatem, ipsius vero ægrotantis singularem in omnibus munditiem; nec sudor symptomatice prorumpens integumentis solito ponderosioribus, aut calore artificiali, atque sudoriferis pellendus est remediis. Sub majori interim vitalis caloris decremento, quæcunque ad excitandas vires, ac sistendas generis nervosi turbas, indicari monuimus (§. 94.) erigentia & diapnoica medicamenta, hæc & in *nervosa miliari*, non minus quam frigidioris auræ prudens moderamen, indicantur. Si cum febre *gastrica* (§§. 98. — 104.) miliaria nubantur, tunc methodus in hac ipsa commendata (§§. 109. — 112.) exanthematis eruptione nequidquam impeditur, ac emetica non minus, quam alvum purgantia medicamenta, sub medio licet efflorescentiæ statu, quotiescunque principalis necessitas morbi hæc exigat, requiruntur. Nec timendum hic erit, ne per talia

miliaris ex cute dispareat, atque cum damno ad interiora revertatur, eruptio. Cavendum interim hic est, ne forsitan nervosi generis ex latente exanthemate turbas, ac consensualem magis, quam ex sordibus oriundam, vomituritionem, pro fido istarum signo habeamus; ac ne collapsas jam naturæ vires, imprudenti evacuatione, imprimis alvina, cum certo ægrotantium damno, ulterius dissipemus. Quæ vero cum exanthemate miliari societatem contraxit *inflammatoria febris* (§§. 114. 117.); hæc, imprimis si *localis* simul visceris subesset *inflammatio*, venæsectionibus non minus, quam alia hujus generis, quæ exanthemata non haberet, febris (§. 120.), aut inflammatio (§. 133.), tractanda erit.

Nec tamen hic sanguis sine quovis ad exanthema respectu profundendus: sed cogitandum est, febrem, quæ cum illo incedit, *complicati* non raro morbi naturam habere; ac tantam quidem vitalis liquidi jacturam, quam si purior ægritudo foret, non ubique perferre.

Quare præcipua sub miliari constitutione attentio in exanthematis apud primos ægrotantes effectus ponenda; ac videndum est, num *symptomatice*, num *critice* miliaria propullulent. Primo in casu, prudens sudorum moderamen, ac atmosphæra frigidiuscula, tum causarum, quæ exanthemati subsunt, matura eliminatio, præter illa, quæ febrem ipsam, ac rectam in eadem diætam, respiciunt, præcipua curationis momenta constituent, ac ipsum sæpe exanthema cum bonis ægrotantis rebus præpedient. In *criticæ* naturæ, rariori certe, miliarium epidemicorum exemplo cogitandum est, morborum jam profunda radice susceptorum solutiones non immaturis, aut violenter expressis, excretionibus, sed blandiori naturæ opere, ac devicta jam morbi cruditate, obtineri. Hinc iterum sudoribus, qui sub morbi ini-

tiis præcipitanter prorumpunt, donec salutarem constituere evacuationem possint, limites ponendi, ac nimia vis vitæ, ambientis atmosphæræ, causarumque morbosarum moderamine inhibenda sunt.

Quod si exanthema, bono sub omine in cutem depositum, ad interiora repelli, ac visceribus perniciem inferre videatur: tunc, prout alibi (§. 290.) docuimus, *causæ* potissimum, ex qua repercussio pendet, ac symptomatum, quæ inde oriuntur, habenda est ratio. Hinc si grave animi pathema vel terror his præcesserit, antispasmodica, valerianæ infusum, moschus, opiumque ipsum; — si nova forte saburrarum collectio ad ventriculum, intestina, has turbas excitaverit, nec ab exanthemate retropulso hæ ipsæ oriantur, præter frequentem clysteris usum, emeticum, aut purgans alvum medicina; — si ab assumptis spirituosis, aut a lochiis suppressis forte novum in sanguine incendium prodatur, venæsectio, etiam repetita, aut sanguisugæ pudendis applicitæ; — si refrigerium ac suppressa transpiratio præiverit, infusa diapnoica, haustus salinus cum refractis tartari emetici, aut & camphoræ, ætheris vitriolici dosibus, balneumque tepidum; — si virium jactura compareat, sedata istius causa, nutrientia, excitantia externa, interna, frictiones cutis, sinapismi, vesicantia scilicet, vini portio generosi, alcali volatile, serpentariæ virginianæ infusum, corticisque decoctum, indicantur, &c.

Ipsius vero a miliaribus reconvalescentiæ cura, pro varia febris prægressæ, ac effectuum morbi natura, ad leges jam satis expositas suscipienda est.

Quæ *sine febre* incedunt *miliaria*, ea vix non ubique periculo carent, & eorum adinstar, quæ *chronicam* ostendunt indolem, pro causæ latentis, & morbi, quem comitantur, diversitate, tractanda sunt.

ORD. II. GEN. II.

VARIOLÆ.

§. 527. Ad funesti Mortalibus, ac solo jam aspectu horrendi morbi, *variolarum* scilicet, descriptionem pervenimus, quæ solæ, strages, quam pestes simul omnes, majores, ex quo semel Europam invasere, tam pridem ediderunt, quam edere hucusque continuant. Notio.

De cutaneæ hujus affectionis *antiquitate*, quamvis hanc eruisse tam magni vix intersit, quamplurimis disputatum fuit. Interim si quis lethalitatem variolarum, qua pars, ut videtur, non minor duodecima morientium hoc a morbo internecionem agnoscit, consideret; — si quis oculorum obcæcationes, ac venustatis humanæ per horrendas cicatrices devastationem rimetur; — si morborum fere omnium hoc ex uno, licet jam superato, propullulantium, animo quis numerum concipiat; — si quis denique sortem super omne nunc genus humanum extensam, ac universale, quod huic morbo persolvimus, tributum, sedulo perpendat: mirabitur is, doctos in arte viros, versatosque in Antiquorum lectione homines dubitasse, an morbus, de quo agimus, posterior sit tam fidis observatoribus, quibus nos imagines *popularium* affectionum, quotquot habemus, accuratissimas debemus, quibusve negligentiæ notam inurere eo ipso non verebantur, quod morbum inter omnes primum communissimumque tam oscitanter ab Antiquis observatum esse assererent: ut nos tandem, eo quod pictæ ab ipsis imagini morbi nomen non simul subscripserint, quid demum morborum depingere contenderint, jamjam haberemus inter nos litigandum. Certe primam variolarum descriptionem ma- Antiquitas.

gis, quam ipsam hanc pestem, *Arabibus* nos debere videmur; ac si hic ipse populus, undenam hoc malorum genus sibi adscitum esset, ignoraverit; nos certe tam antiquam originem eo minus eruemus, quod nec primum quidem hujus contagii in Europam ingressum, *Saracenorum* bellis, ut videtur, anteriorem sat tuto indicare valeamus. Variolarum igitur antiquitas certas ad regiones, quibus nullum cum Græcia, nullumque diu cum Europa commercium erat, restricta, a nemine in dubium est revocanda: sed ante prædictum tempus continuam fere variolarum pestem hac orbis in parte extitisse, aut Græcis adeo Romanisque Scriptoribus, quin solita, & quam parvis alias humani corporis affectibus adhibuere, industria medicis eandem fastis intulissent, jam cognitam fuisse, hoc gratis admodum a pluribus assumptum esse videtur; & Americæ totius, Siberiæ, insularum australis Oceani nuper detectarum, exempla de longa populorum hoc a flagello immunitate abunde testantur.

Extensio. Nullum interim, si *morbillosum* excipiamus, morborum semen, tam perennem in solo humano radicem, ac *variola*, fixit; & qua semel orbis in parte infelix hoc lolium germinare cœpit, in hac, æterna forsitan, nec ulli concessa toxico, fertilitate propagatur. Hoc scilicet, — nec tamen alio, aut ex ipsa corporis structura desumendo (§. 274.) argumento, necessariam, aut inevitabilem hominibus, mutua commerciorum necessitate devinctis, pestilentiam variolas dicamus. Sub hac nempe rerum conditione paucissimi hoc a morbo immunes extremam senectutem attingunt: & sicut matris ad sinum hoc infensum contagium penetrasse, fœtumque, ovo licet absconditum, inquinasse compertum est; ita caduci, ac naturali jam morti vicini senis hoc idem fata cru-

deliter præcipitat. Nemo hinc ante obitum beatus; nec homine, qui variolis immunes a vita excesserunt, vim contagii eluserunt magis, quam morte prævenerunt. Nonnulli jam materno in utero ab illo multati, aut paucis modo, nutricis attentionem fugientibus, abscessulis, nec reliqua ex iisdem cicatricula notati, immunitatem mentiuntur. Sunt forsitan, sed de paucis hoc asserendum credimus, qui, ob peculiarem, ut vocant, idiosyncrasiam, variolarum contagio resistant.

Secunda infectio.

Qui tributum semel huic morbo persolvit, hic metu liber medios inter variolosos tutissimus incedit: ac licet plurima secundæ infectionis exempla, quorum aliqua, nobis quidem haud conspecta, negare non contendimus, a multis adducantur; communis tamen & in vulgum nota, ex superato semel morbo, *securitas*, ad paucissimos illa ipsa casus, ac ad vix sensibiles a regula communi exceptiones restringit.

Definitio.

§. 528. Sunt autem *variolæ* contagiosum exanthematum primariorum genus, quod præviis plerumque febre, nausea, vomitu, dolore epigastrii, a compressione aucto, apud infantes sopore, convulsionibus, apud adultos sudore, tertio, quartove die, ad faciem potissimum, aliisque in locis ad cutem, sub macularum rubrarum, nodulo subduro in centro præditarum forma prorumpit, ac vel in pustulam phlegmonoideam, sensim suppurantem, aut in superficialem ac ichorosam ex plurium pustularum confluxu nascentem vesicam, crusta fœdi coloris mox obtectam, aut demum in pellucidas, vix suppurantes, phlyctænas, vel in duriores ac fere verrucosas eminentias assurgit, exsiccatur, ac reliqua in cute macula, in multis vero pertinacissima cicatrice ac foveola, in cru-

stas decidit, morbumque in alios, prædispositos, quacunque demum arte admotum, eundem propagat.

Divisio. §. 329. Tam variam hoc exanthema (§§. 327. 328.) faciem sub diversis epidemiis ac in ægrotis diversis assumit, atque tam contraria inter se offert symptomata, ut eundem vix morbum exhibere, cuivis istorum non satis experto videatur. Nunc enim ut *simplex* morbus variola incedit, nunc aliam pro socia affectionem agnoscit, aut cum exanthemate longe alio *complicata* efflorescit. Nunc *discretæ* ac distinctæ inter se pustulæ, tot solitarios in cute abscessulos constituunt; cum in aliis, aut majorem ob numerum in agmen collectæ, *corymbosæ*, aut ob majorem viciniam inter se *cobærentes*, aut, ob communionem pustularum ad amplioris vesicæ extensionem, *confluentes*, variolosum quasi ac impurum mare offerre cernuntur. Nunc magis adhuc abnormes, a consueta exanthematis figura abludunt, ac sub vario aspectu, periculo, illis fere, quas *spurias* vocarunt, consimiles apparent, atque nunc *serosa* & crystallina, loco puris, materia repletæ, aut *lymphatico*, ac interdum *sanguineo*, aut nullo humore refertæ, aut solidescentem ac *verrucosam* fere referentes naturam, efflorescunt, aut demum atro mox colore notatæ sensuque carentes, *sphacelosam* induere indolem reperiuntur.

Sed majus certe, quam quod ex contento his in pustulis liquido, vel earundem ex figura, numero, positione petitur, divisionis momentum, ex febre, quæ has omnes variolarum varietates, non species diversas, forte comitatur, hauriendum est. Nunc scilicet vix ulla febris symptomata exanthema hoc circumdant; nunc, pro varia constitutionis annuæ, subjecti, causarum concurrentium conditione, aut

nervosam malignamque variola, aut *gastricam*, aut *inflammatoriam*, sæpeque *mixtam*, agnoscit ex febre dominante indolem. Quas *spurias* dixere variolas, has, licet *veras* interdum præcedant ac annuntiare futuras videantur; licet ex insitione, cum pure varioloso ac optimo instituta, *spurias* provenisse referant variolas; ac licet ob similitudinem in multis cum variola legitima, tam communi, quam anomala seu abnormi, cum hac ipsa confundi facillime queant: ad aliud tamen morborum genus, utpote a variolis natura diversas, relegamus.

De variolis *internis*, quas plurimi negarunt, affirmarunt aliqui conspicui in arte viri: nos ex propria observatione, nihil quod has lites componat, habemus.

§. 330. Epidemice plerumque variolæ, inter infantes maxime, sed nulli hominis ætati aut temperamento parcentes, grassantur, plurimosque simul, non solius semper naturæ, sed & *artis incautæ* culpa, aggrediuntur. Sub certis, sed ignotis, atmosphæræ conditionibus, variolæ *sporadice* hinc inde propullulant, ac paucis contentæ victimis jam gressus sistunt, ac obtuso placantur contagio. *Endemicum* vix non morbum civitates hominum undecunque ad easdem concurrentium numero refertæ in variolis patiuntur. Decursus ratio.

Verno plerumque tempore hic morbus caput suum effert, æstivo in plurimos ac ferocius dominatur, autumno adventante mitescit, ac hiberno sub gelu extinguitur. Constans interim in his regula non datur; ac tempore fere quovis civitatem adoriens, vix natus, insidias sæpe struit; adultus placide decurrit, ac pristinas senescens rapitur in furias. Per multos interdum, — apud alios, per sex, septemve annos

civitatis exul, in novam, ex improviso comparens, progeniem invehitur, ac elapsi temporis in unum funera coacervat.

Nullo quidem de futuro variolarum ingressu, nisi vigentis jam in vicino epidemiæ, contagiique occasione, sat fido præmonemur indicio. Sed hac sub rerum conditione, in homine has necdum miserias experto, varia suscepti veneni signa produntur. Hæc vero tum pro ætatis, tum pro contagii aut sponte suscepti, aut per artem corpori *inserti*, ratione, tum denique pro varia febris conjunctæ natura, ac vel benigna, vel maligna morbi nascentis indole, valdopere tum loco, tum vehementia & tempore differunt. Totus autem variolarum decursus *quatuor* fere absolvitur *stadiis*: quorum primum, *invasionis* illud amplectens, ordine non modo, sed & significationis, & majoris in medendo opportunitatis, dignitate cæteris præcellit. Secundum ab *eruptione*, — a *suppuratione* tertium, & quartum denique *exsiccationis* ab opere, orditur.

Sympt. variol. inflamm. §. 331. A febris natura potissimum variolarum divisionem petentes (§. 329.), speciem illam, quæ cum *febre inflammatoria* vel parva, vel intensiori progreditur, eo quod hæc cum *phlegmonoideo* exanthemate præ aliis affinitatem alat, primo hic loco considerabimus. Quod si febris interdum omnis deesse videatur, non deest tamen localis in pelle, pustularum numero respondens, inflammatoria, pro quovis irritationis augmento in febrem prona, dispositio.

Stad. invas. A suscepto igitur variolarum contagio, non æquali semper in *artificiali*, quam in naturali, exanthemate celeritate, nec sat certo ubique primæ irritationis momento, lassitudo, morositas, inquietudo,

apud infantes pavor sub somno, naturalem superante, — horripilatio, frigus, calor huic succedens, faciei rubedo cum pallore alternans, gravedo, dolor capitis, præcipue occipitis, colli, dorsi, lumborum, axillarum, artuum, quasi rheumatici, ingratus ad ventriculum, a compressione dolentem, sensus, nausea, vomituritio, ipseque vomitus, scenam sæpe aperiunt. Crescente ad noctem calore, inquietudo, anxietas, apud infantes sopor, pavores augentur, & stridor dentium, ac convulsiones non raro accedunt. Apud adultos vigiliæ, sudores multi, jactatio, sitis, fauciumque siccitas, raucedo, ac dolor, comparent. Pulsus interea frequentes ac molles, in plethoricis pleniores, & duri. Matutino tempore aliqualis symptomatum remissio; sed mox, sub novo interdum horrore, aut extenso in horas majori frigore, augetur æstus; ac febris, sub lecti imprimis fotu noxio, cum sudoribus ac delirio increscit. Jam oculi rubescunt, fulgent, ac lachrymantur subinde. Extremos nunc capitis dolores, sanguinis e naribus effluxus persæpe moderatur, aut solitum menstrua tempus antevertunt. Alvus in quamplurimis obstructa, apud alios serosa, frequenter, ac interdum cum tormine, deponitur. Urina paulo post emissionem turbida, albescens, subflava, vel & furfuracea observatur. Peculiarem sæpe odorem, jam hoc sub stadio, spargit sudor, animaque infantibus fœtet; sed fallax & difficile in morbis de odoribus judicium est; nec a quovis illi, emunctæ licet naris homine, ubique percipiuntur. Hæc igitur, & alia, nec tamen pathognomonica variolis ac perpetua in omnibus signa, *invasionis* sub stadio occurrunt; ac per tres fere cum dimidia dies hac in specie extensa, continuo intenduntur. Nec tamen rarum est, solas in pueris con-

vulsiones instantem mox pustularum eruptionem præcedere ; aut, sub pauca febre, absentibus, etiam in adultis, ut novimus, tum nausea, vomituritione, tum quovis epigastrii dolore, variolas sine impetu licet multas, prodire. In paucis, hæ turbæ a suscepto contagio excitatæ, sub largiori ac olente sudore, vel suppuratione ad locum, quo contagii materies per artem cuti inserta fuit, sine quavis pustularum eruptione, felicissime sopiuntur ; ac *variolosa febris sine variolis*, hoc primo contenta stadio, in totum, ac in plenam ægrotantis securitatem, dispergitur omnis.

Stad. erupt. *Eruptionis* vero stadio ingruente, *primæ febris* symptomata corporisque incendium, inquietudo, anxietas, cutis pruritus ac tensio jam summum attigerunt fastigium. Nunc vero ad faciem plerumque, ad labium superius, nasique latera, circa mentum, ad collum, pectus, — alias vero, licet raro, tardius ad ista, atque ocyus ad artus, aut ad truncum maculæ rubicundæ, parvæ, circulares, petechiis non absimiles, sed in medio paullisper elevatæ, nodulo-que rubro, ad tactum subduro, instructæ, plures certe, quam quæ diutius subsistere, ac in suppurationem abire consuescant, comparent. Repetita sic exanthematis efflorescentia, cæteræ quoque partes sensim sensimque, interdum paucissimis, alias copiosis ac fere innumeris obsideri cernuntur pustulis : quæ singulæ, prima jam, vel secunda ab eruptione die, citius quo loco primum prodierunt, ad basin dilatatæ, pellucidam in apice vesiculam, seroso ac limpido, mox vero turbido, ex flavo albescente liquore repletam, in medio tamen foveola instructam ostendunt ; ac terminato sic, post duos fere dies, *eruptionis* opere, jam a quinta morbi, seu prima illius die, febris decrescit, ac ad secundæ finem pe-

nitus in pluribus evanescit. Hæc interim apud adultos sub continuis fere sudoribus contingunt, ac fauces magis magisque tum a vera illarum, jam prægressa eruptione, phlogosi, tum a variolis subinde ad fauces, palatum, linguam totumque oris cavum propullulantibus, ardent, tenduntur, ac dolent. Leviori sub morbo faucium affectio vix absoluta eruptione dissipatur.

Ipsi vero nunc cutis abscessuli, adhucdum immaturi, *inflammationis* decursum absolvunt, incendio tenentur, circa basin amœne rubent, ac pungentem singuli experiuntur dolorem. Si major illorum numerus superficiem obsideat, tunc febre vix in totum cessante, vel superaccedente nova, intermedia iisdem cutis simul tenditur, intumescit, ac rubet. Hæc ad faciem præcipue, ac si prior illinc eruptio fuerit, præ aliis partibus, ut in qua major plerumque pustularum copia florescit, contingunt. Atque septima sic, plerumque vero octava morbi die, jam palpebræ in multis œdematosæ ac rubentes turgescunt, conglutinantur, clauduntur; ipsum vero caput, nec capillata sui parte a variolis immune, in conspicuam sæpe molem inflatur, ac a naturali figura, profundo rubore splendens & quasi infarctum, aberrat, tenditur, ac in nullam, præ dolore, partem converti potest. Interea variolarum, quæ primæ eruperunt, materia has ipsas ad lentis, vel ervi magnitudinem, aut istis minorem, fere miliarem, aut herpeticam, vel piso fere ampliorem, extendit, ac opacam magis & puriformem assumit consistentiam. Quod si tamen pauca in facie exanthemata prorumpant, hæc ipsa in tumorem vix ullum elevatur, nec visus præpeditur; nec in cæteris partibus tam copiosa ex illis comparent.

Interim non semper hæc, benignioris licet natu-

ræ, aut febri inflammatoriæ juncta exanthemata ad *discretas* aut distincto ab aliis loco hærentes variolas pertinent; sed interdum pustula *cohæret* pustulæ; subinde jam plures, in sat largas nec elevatas multum, ac albas vesicas *confluere* incipiunt: quin febris igitur natura mutetur; ut *discretas*, hinc inde *malignas*, — & quæ *confluentes* timentur, has esse *benignas* jubeat.

Stad. suppur. Ab octava fere die morbi, manifesta in variolis *suppurationis* signa comparent, atque sub copioso abscessulorum apparatu, jam tertia, aut secundæ potius continuationem sistens, *suppuratoria* excitatur febris. Tumor nunc faciei continuo augetur, & quo variolæ efflorverant ordine, hoc partes, quas obsident, gradatim intumescunt. Universa jam cutis tenditur, rubet, ardet, ac dolet. Pulsus frequentia, duritie augentur; novus interdum horror, calor novus, dolor capitis, anxietas, dyspnœa, sitis, — interdum sopores, deliria, jactationes accedunt: atque plures hoc tempore sub comatoso stupore, apoplexia, aut suffocati perierunt. Urinæ nunc, & per reliquum fere morbi tempus, aut turbidæ, aut puriformem subinde materiam deponunt; alvus infantibus laxatur; sæpius vero apud adultos, apud infantes sat raro, sub faucium dolore ulceroso, raucedine, orisque fœtore, salivatio molesta & omnem quidem impediens somnum, sed multis cum emolumento, succedit. Interea, quæ foveam prius in vertice habebant, ac rubro ad basin halone cingebantur pustulæ, hæ sphæricam nunc atque hoc rubello ambitu privatam assumunt figuram, albescunt, & denso pure replentur: quod quidem illæ ad faciem fere primæ, ac ordine, quo adolescunt, ad manus, brachia, dein ad truncum, ac ultimo ad pedes faciunt. Hinc flavescente jam, ac ad summitatem variolæ, quæ ad fa-

ciem resident, spissescente, tenaci liquore; ea, quæ tardius ad pedem floruit, tenuiori ac seroso adhuc pure turget, ac lentius sub inflammatione tumoreque tardiori maturescit. Hoc vero suppurationis tum vix incipientis, tum jam provectæ sub opere, specificus variolarum odor atmosphæram replet, atque infesto hanc ipsam Mortalibus contagio inquinat. Ipsa vero hæc *suppuratoria* febris, quo illi, quæ variolarum maturationem absolvit, propior est, eo manifestius, sub graviori scilicet morbo, ad *inflammatorias* pertinere; — quo longius vero continuat, & quo major puris resorptio habuerit locum, eo facilius in febrem *nervosam* (§.86.) declinare consuevit, pluresque, nisi rectius curatos, hoc in stadio præcipitat. Sub pauciori abscessulorum numero febres, tam *secunda*, *maturatoria*, quam *tertia*, sive *suppuratoria*, observari vix queunt; ac sine turbis ad quartum morbi stadium, quod illud *exsiccationis* est, ægrotantes læti perveniunt.

Hoc ipsum vero, pro eruptionis variolosæ celeri- Stad. exsiccat.
tate, morbique totius impetu, nunc nona, decima, nunc undecima plerumque die, ad faciem primum, aut qua parte prius variolæ floruerant, sese manifestare incipit. In apice nempe variolarum obscurius nunc apparet punctum: quo loco epidermis rumpitur ac *lymphatico-purulenta* exstillat, mox in crustam ab attactu aeris convertenda materia. Hac a crusta variola vicinaque spatia obtecta mox novam subtus materiam suscipiunt: quæ, sub præmagno pruritu, aut priorem, jam bruneo atroque colore notatam, sublevat, novamque huic crustam substituit; aut ipsamet hæc repullulans materies induratur, tandemque decidit. Interea tumor ad cutem variolis arescentibus intermediam, nec non rubor, ac tensio, quæ immaturas adhuc alibi variolas circumdant, disparent; donec ad manus, tardius vero ple-

rumque ad pedes similia contingant, atque tunc febris, quæ arescentibus in facie variolis sæpe necdum desinit, in totum dissipetur, ac circa *decimam* & *quartam* morbi diem, hic ipse cursum penitus absolvat. Ad crura pedesque resorpto, quod continebant, liquido, plures hinc inde variolæ fere *vacuæ* cernuntur. Quo vero loco plures confluxerant pustulæ, ad nares imprimis & mentum, hoc amplior densiorque crusta separatur tardius; ac hic non minus, quam ad singulas variolas, in quibus per longum tempus tenuior acriorque, duro sub tegmine, delituit ichor, tristes exesæ pellis reliquiæ, ac foveæ, asperitates, deformi cicatrice consolidandæ, aut saltem macula sublivida, loco, quo variola resedit, diutius persistens, in conspectum veniunt.

Atque hæc est tum benignioris morbi mitissima facies, tum gravioris quidquam, atque cum febre vehementi quidem ac *inflammatoria*, sed minime *nervosa*, vel, ut ajunt, *maligna*, incedentis variolæ imago.

Sympt. var. nerv.

§. 352. Sed aliter longe res incedit, ubi vel epidemico influxu, vel ob alias rationes, febrem sibi pro comite *nervosam* adsociant variolæ: quod quidem a *confluentibus* sæpius, quam ab aliis, sed hinc inde a *discretis* admodum nec tam vicinis sibi pustulis fieri, experientia comprobavit.

Sub tam tristi rerum positione, in genere quidem descripta jam *febris nervosæ* tum *simplicis* (§§. 87. 88. 91.), tum *complicatæ* (§§. 89. 90.) symptomata potissimum dominantur urgentque pericula: sed quovis tamen sub stadio alia ex istis aliaque comparent; quorum brevis, sed succincta expositio variolas malignas tam prævidere futuras, quam præsentes dignoscere, docebit.

Stad. invas.

Quod vero febris majorem, quam ipsius exanthe-

matis auctoritatem maxime demonstrat, est: quod vel *discretæ* immineant, vel *confluentes* variolæ, si modo *malignæ* futuræ sint; symptomata non alia in una, quam altera in specie, sub ipso *invasionis stadio* compareant. Quamvis scilicet & benignæ interdum variolæ sub majoribus turbis, donec ad pellem erumpant, aggrediantur hominem, nec ex iisdem sat tuto & ubique ad confluentes aut malignas quasvis variolas concludi queat: est tamen his ipsis proprium ac fere perpetuum, ut a suscepto ac in actum deducto contagio, mox major in toto nervorum systemate perturbatio, viriumque sine causa manifesta major dejectio compareant. Hinc, sub majoris lassitudinis sensu, tum rigor molestus, tum, sub turbidis ac lachrymantibus oculis, vertigine, sub pulsu contracto, celeri, quandoque inæquali ac lento, plerumque sub majori febris intensitate, cute sicca, carotidum vibratione, capitis per universam vertebrarum columnam extensus, ac ad lumbos quasi defixus dolor atrox, comatosa aliorum, vel in deliria mox erumpens affectio, anxietas, ingestorum singulorum rejectio, epigastrium magis tensum ac attactu acutius dolens, apud infantes epileptica, frequentius repetita, ac interdum, priusquam eruptio insequatur, lethalis convulsio, sitis magna, urina flammea, alvus immoderata, vel quasi dysenterica, tremores, lipothymiæ, ac minor symptomatum, quæcunque demum fuerint, remissio, observantur. Breviori tempore hoc *invasionis* stadium in malignis plerumque; — in aliis quibusdam, ob gravioris atque exanthematis efflorescentiam præpedientis phœnomeni rationem, tardius, absolvitur: sic ut in paucis, jam prima, — in quibusdam, secunda, — in plurimis vero tertia invadentis morbi die, præcipiti hoc ipsum eruptione claudatur.

Stad. erupt. Atque nunc est, ubi, *erysipelacea* interdum efflorescentia partem corporis simul obtegente, vel unico quasi impetu, seu confestim ac tumultuarie, copiosissimæ, ad faciem imprimis, papulæ prorumpant; aut, sub febris *lentæ nervosæ* (§. 91.) symptomatibus, animo demisso, ac abjecto, pulsu debili, celeri & tremulo, urina cruda & tenui, siti pauca, calore vix ullo, tremore, languore universali, pauciores, interrupto impulsu, quasi cum difficultate expellantur, quæ diversam mox a *discretis* imaginem referunt, ad *abnormes*, seu *anomalas* referendæ. Qualiscunque vero exanthematis forma sit, febris tamen, ut in ea quæ *benigna* est (§. 330.), facta pustularum explosione, non sedatur; sed nunc impetu æquali, nunc parum moderato continuat.

In abnormib. Quod si igitur a communi tramite deflectunt variolæ, tunc varia sub forma variam observantur continere, infestam tamen ac specifica variolosi virus indole non destitutam, materiam.

Var. abnorm. Vesiculosæ. Nunc enim hæ pustulæ maturationis ac suppurationis gradum *vesiculosæ*, nunquam attingunt (§. 329.); sed superficiales, pallidæ, depressæ, in medio, *umbilici* in modum, fovea instructæ, ichore acri ac limpido replentur, *serosæ*, fere crystallinæ; aut densiori quidquam & ab igne coagulabili materia onustæ, *lymphaticæ* Auctoribus vocatæ. Nec multum, nisi forma, ab his distant *siliquosæ*, aut quæ, resorpto protinus contento liquore, fere vacuæ, ac *emphysematicæ* deteguntur. Aliquando cruento sero, aut sanguine fere puro, livido, vel atro, replentur hæ pustulæ, *sanguinearumque* sibi nomen adsciscunt: quæ tamen singulæ a solius contenti liquoris, quoad colorem, consistentiam, differentia desumptæ divisiones, majori, quam debuissent, subtilitate a multis explanatæ fuerunt. Sæpius hæ *abnormes* ac *vesiculares* va-

Serosæ.

Lymphaticæ.

Sanguineæ.

riolæ cum vicinis tandem confluere, ac amplas, nec elevatas, sed ichore infenso molliter turgentes, flaccidasque formare vesicas cernuntur.

Var. abnorm. solidescent.

Alias vero *solidescentem* magis consistentiam assumunt *abnormes* variolæ, atque duriora, vel *acuminata*, vel fere *verrucosa* phymata repræsentant: quæ, cum liquorem non contineant, cum vicinis confluere non possunt; sed *discretas*, licet sæpe *malignas*, variolas componunt.

In var. confluen. malign.

Plerumque vero *nervosa febris* (§§. 87. 88.) confluentium præfert societatem variolarum. Hæ igitur, postquam sub furiosorum, aut vitale systema maximopere affectum testantium caterva symptomatum, nec infracto febris impetu in cutem appulerunt, ad faciem imprimis, quasi arena injecta conspurcatam, comparent. Atqui cum singula hucusque celeriori cursu absolvi videbantur, quod reliquum est morbi, tardiori nunc gressu incedit. Quæ scilicet ad faciem primum eruperunt postulæ, hæ, licet illa maturius, quam sub inflammatoria febre, tumescat, lentissime volumen adaugent ac in altum exsurgunt. Ipse variolarum color aut pallidus, aut violaceus observatur, nec rubro illæ ad basin halone cinguntur. Citius quidem vesiculæ variolarum in apice comparent; sed a figura consueta hæ declinant, ac in latus dilatatæ, cum vicinis uno sub tegmine confluunt: ut una magis contegatur facies vesica, quam pluribus variolis, ac ut pergamena quasi charta vultus laxe velari videatur. Quod si etiam plures inter se non confluant pustulæ, ad superficiem tamen humiliores hærent, cutisque intermedia aut pallida est, & flaccescit, aut petechiis, maculisque lividis ac nigris, in multis obsidetur. Interea cum tam horrendo ad faciem variolarum aspectu, illæ, quæ ad manus, pedesque magis distinctæ erumpunt, volumine ple-

rumque augentur, quin igitur eandem, quam in benignis, maturitatem ac consistentiam acquirant. Nec minus cætera urgere continuant symptomata: capitis, lumborum dolor, febris intensa, deliria, convulsiones, sopor comatosus. Apud adultos salivatio plerumque, vel hoc jam in stadio, rarius, sed viso & nobis exemplo, apud infantes, occurrit; his interim communior diarrhœa est; interdum urina copiosior ab iisdem excernitur. In genere hic febris *nervosæ*, utriusque speciei, tum illius, quam (§. 87.) *versatilem*, — tum alterius, quam (§. 88.) *stupidam* vocavimus, sub eadem epidemia, in diversis ægrotantibus, se se manifestant symptomata: sub quibus ipsa variolarum maturitas in longum tempus, nisi hanc ipsam mors cita antevertat, protrahitur, aut prorsus impeditur.

Stad. suppur.

Quæ scilicet in variolis, quas (§. 331.) descripsimus, jam octava, aut nona fere die incipit suppuratio, hæc in malignis vix undecima morbi, ac interdum tardius, se prodit; atque tentamen magis ad suppurationem, quam suppuratio, in multis esse observatur: febris interim nova nunc incrementa sumit, ac non minus ab acerrimo ichore ad sanguinem resorpto, quam ex incrustata undique corporis superficie ac retenta transpirationis materia, maxime vero ex incompleta variolosæ materiæ ad abscesulos eliminatione, & ex insigni cutis per tot maligna ulcera undique erosæ irritatione ac spasmo, originem ducit. Sub hac rerum conditione, aut salivatio, sæpe cum bonis ægroti rebus, aut, apud infantes, transpirationem supplens diarrhœa, augentur; in aliis prima ex istis incipit diminui, viscidissima in faucibus saliva colligitur, & anxietatem auget, aut ipsam strangulationem minatur. Cum summo ægrotantium damno utraque ex istis in to-

tum supprimitur. Nunc plures jam pustulæ, aut pustularum lacus, vel scalpendo diffluunt, vel sponte rumpuntur, pestilensque ichor in tetras, ac brunei, nigrique coloris crustas coalescit; fœtor undique insignis spargitur in auras, ac urina, fæces, inscio sæpe misero in lectum emissa, indusia ac lintea cum ægrotantis cute, aut inter se ipsa conglutinata, intolerabilem omnibus, nisi dilectæ prolis lachrymabundæ matri, mephitim spirant. Interea delirans, ac stupidus, æger aperto siccoque oris antro infestum difficulter trahit atque reddit spiritum, tremula venatur floccos manu, ac trunco ad pedes ruente, divaricatis cruribus, succensis quasi ignibus tostus comparet. Interdum largus cruoris, nunc per renes, nunc per uterum, alvum, per nares, aut per quævis colatoria simul, fluxus accedit; vel evidens ad viscus, alluente ad hoc ipsum veneno, seu infensa metastasi, inflammatio orditur; aut maculis inter variolas comparentibus nigris, serosisque hinc inde vesiculis, prima ad gangrænam ponuntur principia.

Licet vero tenaces faciei crustæ jam exsiccari videantur, febris tamen ipsa vehementia crescit, ac noctis tempore imprimis augetur. Nunc manuum pedumque tumor conspicuus insurgit, sed inopinato interdum hic ipse disparet; ac sub maxima præcordiorum angustia, aut sub fluxu alvi quasi dysenterico, aut alio demum visceris a veneno correpti signo, vel ipsæ variolæ simul concidunt, pallescunt, vel mox indolem gangrænosam assumunt.

Atqui sub hac potissimum rerum conditione majora ægrotantibus instant pericula; atque nunc decima, undecima, nunc vero decima quarta, vel tardiori etiam die, aut comatosi, apoplectici, aut convulsi, aut demum suffocati, vita decedunt.

Stad. exsiccat. Qui sub meliori cura, aut singulari naturæ assistentia, hoc stadium superant, illis vel vigesima interdum die ad faciem crustæ adhuc tenaciter adhærent, ac a naso imprimis, & mento larvarum adinstar decedunt. Insignis ac purulentus ad frontem tumor a nobis in venusta quondam puella suppurationis sub stadio conspectus est: quem cum sectione maturius evacuari noluisset, collectus ichor per quatuor erosæ tandem cutis ostia effluxit: quo tempore exsiccata, atque in integrum simul delapsa, quæ omnem faciem simul obtexerat, crusta, crudæ ac undique erosæ carnis illa cruentam nobis imaginem obtulit. Sic, quo pridem ordine comparuerant variolæ, hoc, uti de benignis dictum est (§. 331.), nunc lente exsiccantur, ac tandem a cute male tractata & undique erosa separantur.

Sed nec hic quidem malorum est finis! Febris quidem, exsiccatis variolis, imminuitur; ast non raro nunc tum in benignis adeo, tum maxime in malignis, ad parotides, ad inguina, axillas, fœdi abscessus, junctura rum tumores, variolæ quasi secundariæ, ulcera maligna, ossibus cariem minantia, febris lenta, phthises purulentæ, œdemata, læsiones sensuum, cæcitates, ophthalmiæ chronicæ, surditates auriumque fluxus, paralyses, ac mille aliæ, quas enarrare difficile est, miseriæ succrescunt. Major hinc, quam apparet, variolarum est mortalitas, & longo ab istarum decursu temporis intervallo sequuntur mala, quæ aspectu quidem, sed origine a variolis non differunt, mortesque cæterorum catalogo morborum injuste adscriptas, quamplurimas, ac *variolosam* in multis *cachexiam*, vel per totius curriculum vitæ minime delendam, inducunt.

§. 333. Pro varia autem tum anni, tum ægrotantium constitutione, non tam *inflammatoria*, aut *nervosa*, quam *gastrica*, est febris variolosæ natura; aut saltem localis in cute pustularum inflammatio, cum inflammatoria vix febre, sed cum gastricæ potissimum symptomatibus incedit. Facilis quidem hic error subrepit, ac magna contagii in ventriculum actio, saburras, quæ non adsunt, mentitur; sed non raro vel ex totius febris decursu, vel ex istius benigno per alvum apud alios judicio, gastricarum character (§§. 98. — 105.) hoc in exanthemate eruitur, ac frequenter hic omnem malignitatis in se continet rationem. Sympt. variol. gastr.

§. 334. Frequentior interim *complicata* febris in variolis natura observatur, atque *inflammatoriæ* symptomatum (§. 116.) cum *gastricæ* illis (§§. 100. 101. 104.), aut febrium istarum, cum *nervosæ* phœnomenis (§§. 89. 90.) conjunctio occurrit, ac magnus in exanthematum eruptione, numero, progressu, turbarum inducitur exercitus. Nec ab aliorum causis, morborum immunes decurrunt variolæ; sed a dentitionis, a catarrhalium, rheumaticarum, verminosarum, quin ab exanthematicarum, aliarumque ægritudinum imperio non parum a simplicitate sua deflectere coguntur, ac istarum symptomata, cum propriis mirum in modum intricata, tuentibus offerunt. Feb. var. complic.

§. 335. Variolarum apud nos causa in *contagio* consistit, quod ex corpore alterius variolis correpti ægrotantis, vel atmosphæræ, ac rei cujusvis hoc veneno inquinatæ, actione, vel proximo contactu, sub certa, sed ignota, nec a frigore, nec ab æstu pendente aeris conditione, prædispositis hunc ad Causæ.

morbum hominibus communicatur. Oportet sane primum ex istis, qui ex alio infectionem repetere non potuit, sicut aliud quodcunque morborum contagium, in se ipso, sub infausta rerum positione, præparasse; sed istarum concursus, in aliis non rarus, quoad variolas, morbillosque in maxima terrarum parte tam inauditus appellari potest: ut hodierna quoque tempora nobis populos hoc a flagello *Europæorum* ante adventum necdum multatos ostendant. Hujus vero contagii indolem nec hariolando quidem attingimus; nec extremorum evolutio vasculorum, nec certum glandularum variolosi virus secretioni dicatarum systema nobis arridet; pejusque hypothesis de *putrida* illius natura, quam ex quo hæc derivatur, olet. Subtilem, aut fixam viscidamque hanc dicere nil juvat materiam. *Vehiculo*, quod ignoramus, sed in *aere* communi non semper contento aut præsente, ut, sine proximo contactu, aut insitione, in alios transvehatur, hæc indiget; ac ubique *dispositio*, cujus iterum nos conditio latet, in homine requiritur. Extrema lymphaticorum oscula, sub datis conditionibus, hoc, sicut aliud quodcunque contagiosum, virus, non æquali, nec certa satis celeritate, incauta recipiunt, conducunt; atque tum cutis externæ, tum oris, narium, pulmonumque amplissima superficies, atmosphæræ hoc ipso imprægnatæ, ac rei cuicunque eodem infectæ patet quidem, sed ad *secundæ* infectionis effectum vix unquam venenum perducit (§. 327.).

Quid variolarum sub certis constitutionibus nunc infrangat, nunc augeat pericula; hoc, nisi a *febris*, aut *dominantis* epidemiæ huic exanthemati conjunctæ natura, & a peculiari ægrotantis dispositione dirigatur, non minus, quam specificam contagii indolem, ignoramus. Hoc ipsum certe diversitatis tam

insignis in se rationem non continet; eademque variolarum, ex quacunque demum, aut maligna, aut benigna pustula desumpta, aliisque inserta materia, benignam huic, malignissimamque illi, ægritudinem communicat. Quid hominem adultum, quid certas personas, familias, ad graviorem ex variolis morbum disponat, id forte ex majori cutis aut resistentia, aut laxitate contraria subinde pendebit; sed aliorum certe exanthematum, metastasium, inflammationum ex hac pellis conditione non adeo diriguntur pericula; & quod tenerior cutis apud infantes constitutio explicare videtur mysterium, hoc sensibilitatis majoris in iisdem obfuscatur ratione. Nec major abscessulorum in cute numerus majorque istius inflammatio rem dirimit omnem. Benignæ sunt non raro, quæ confluunt, copiosissimæ licet, in cute non parum inflammata, variolæ; cum non multæ interdum, hinc dispersæ, ac solitariæ pustulæ vim artis eludant. Multæ interim, præter febrim dominantem, variolarum pericula augere possunt causæ, ac major irritabilitas, dentitio præsens, vermium copia, scrophulosa imprimis dispositio, cachexia, aliaque ægritudo quævis, instans pubertatis periodus, prægnationis, puerperii status, calor lecti, methodus sudorifera, aut & frigus incaute nimis admissum &c., suam hic symbolam conferunt; quin igitur vel perfectissima quemquam a periculo ubicunque munire queat sanitas, aut ratio vivendi.

§. 336. Ex ipsa variolarum descriptione (§§.331.—334.), quo demum ex fonte prognosis hoc in morbo haurienda sit, non difficulter eruitur: ut quæ pro ratione *epidemicæ constitutionis* aut *febris* conjunctæ, pro *ætatis*, *subjecti*, *symptomatum* ac *variolarum* ipsarum diversitate, quamplurimum differre observatur. —Prognosis.

Cavendum est interim, ne ex uno modo signo, si cætera non respondeant, conclusio ducatur; ac ipsa demum prognosis fundamenta non sine certo ad *causas signorum* respectu ponantur oportet.

Febris *nervosæ* in variolis quid portendat societas, vix opus est exponere, valentque jam adducta hac de febre (§. 93.) prognosis momenta. Sed & ipsa, si fortius quem invadat, *inflammatoria febris*, imprimis sub initio neglecta, non parva rerum inducit discrimina, ac in *tertio* variolarum stadio (§. 331.), vel sola jam ægrotantem suffocat (§§. 119. 331.); vel, in *nervosam* conversa (§. 119.), non inferiora hac ipsa pericula inducit. Similia de *gastricæ* opportunis auxiliis non curatæ febris complicatione sunt. A catarrhalis aut rheumaticæ materiæ cum variolis nexu, eruptio istarum præpediri, ac, præter multa oculorum, faucium, pectorisque incommoda, suppurationis opus labefactari, ac secretiones perturbari observantur. A dentitione, ac a vermibus, convulsiones multæ, aliaque non raro excitantur incommoda. Scrophulosa in variolosis dispositio, tum exanthematis efflorescentiæ, tum pustularum maturationi obest; ac funestas, morbo jam superato, metastases, obstructiones viscerum, articulorum, ossiumque vitia prædicit.

Quod *ætatem* attinet, excepta primæ nativitatis, ac dentitionis periodo, infantilis ac puerilis ætas, sensibiliori licet ac proniori in convulsiones nervo dotata, variolas tamen, alio nisi morbo correpta, præ adultis felicius superare observatur; magna ægrotulos materna ad ubera, nisi labiorum fauciumque variolæ obstent, solatia exspectant; ac cicatrices a variolis reliquæ facilius, quam in illis, delentur. Quo tempore pubertas, ac prima puellis menstrua imminent, majora plerumque a variolis peri-

cula timentur. Similia de cessantium apud mulieres menstruorum periodo dicenda sunt. Majora senes hoc a morbo pericula circumdant.

Ipse *ægrotantis habitus* ad benignam vel malignam variolarum indolem quamplurimum, sed ignotis sæpe legibus, contribuit. Sanissimos interdum homines, funesto hinc inde aut constitutionis propriæ, aut familiæ jure, ab hoc morbo magis, quam alios, & quovis quidem tempore, multari jam diximus. Major solidorum, imprimis vero cutis, laxitas, aut densitas, siccitas nimia, debilitas, robur magnum, plethora, sensibilitas, irritabilitas insolita, variolis sæpe contraria observantur. Scrophulosa imprimis, tum alia quævis morbosa, ut podagrica, rheumatica, scorbutica, ægrotantium dispositio, ad pejores non raro variolas, lege interim non ubique constante, nec sub funestioris epidemiæ periculis, inoculationis beneficio æquiparanda, conducunt. Non inaudita interim ex ipsis, naturalibus adeo, variolis salutis dubiæ aut vacillantis, vel & chronicarum affectionum, in meliorem habitum, ac in sanitatem florentem, permutatio est.

Sed sub tanta prædictionum medicarum ex proposito hominis ægrotaturi habitu, incertitudine, major *symptomatibus* conceditur auctoritas. Ex attenta hinc Medicorum observatione non pauca, quæ prognosin ex istis concernunt, habentur momenta. Quo diuturnius nempe stadium *invasionis* est, dummodo causa non in languore, ac præpediente efflorescentiam phœnomeno (§. 331.), consistat, eo mitiores, — quo brevius vero illud erit, eo pejores variolæ expectandæ sunt. Interim & in his subinde locum exceptio habebit, ac citius interdum benignæ, recto vero tempore, licet rarius, malignæ expelluntur. Fortiores hoc in stadio turbæ, lumborum ac epiga-

strii dolor magis intensus, malignas sæpe, aut confluentes saltem, plerumque, — sed certe non semper (§. 331.), ac minime cum ex saburris, aut plethora nascantur, variolas annunciant. De symptomatum, quæ *nervosam*, *inflammatoriam*, *gastricamque* febrem comitantur, significatione, jam præcipua retulimus. Convulsiones infantibus, nisi ex dentitionis opere, aut a vermibus nascantur, raro periculosæ, ac benignum sæpe morbum, si proxime expulsionem completam præcedant, & hac facta dissipentur, indicant. Diarrhœa invasionis sub stadio salutaris, nisi eruptionis tempore cesset, ægrotantes præcipitat. Sudores apud adultos fortiores, ac vix coercendi, graviorem in illis morbum prænunciant; ac quo citius salivatio ingruit, quo difficilius screatio ob tenacitatem absolvitur, aut quo citius illa supprimitur, eo major confluentium, ac, cæteris paribus, malignarum, metus est. Fortiora sub incipiente morbo deliria, nisi comparentibus pustulis dissipata, *encephalitidis* timorem incutiunt.

Ipsius vero *exanthematis* consideratio, illam symptomatum non parum illustrat. Quo magis enim, variolis ad cutem comparentibus, tum febris, tum alii dissipantur irritationis effectus; — quo minor simul ad faciem pustularum permanentium prorumpit numerus; — quo amœnius hæ florescunt, ac solitarios quasi in cute furunculos sistunt; — quo melius vesicula in apice istorum repletur & æqualiter magis distenditur; vel quo magis, sub confluentibus licet variolis, hæ ipsæ tamen communi sub tegmine assurgunt; — quo constantius ubique vis vitæ in expellendo ac maturando exanthemate occupatur; — quo evidentius apud adultos sudores moderantur, ac in morbo graviori, quo facilius salivatio apud illos succedit; — eo felicior rerum aspectus:

— & quo magis ab his receditur, eo pejor ægrotantis hoc secundo in stadio versantis positio esse censetur.

Majora vero *suppurationis* sub stadio ex habitu variolarum judicia feruntur. Quod si nempe abscessuli quotidie augentur, suoque cincti halone maturescunt, albescunt, flavent, ac tertia, quartave hujus decursus, — totius vero morbi undecima fere die rumpuntur: tunc naturali res ordine procedit, nec malignitatis symptomata succrescunt. Aliter eventus se habebit, cum aut *abnormes* magis (§.332.), non modo paucæ hinc inde, sed fere omnes, comparent variolæ; aut cum cruditatem liquor in pustulis contentus fere nunquam deponit; sed variola pallescit, aut livet, aut corrugatur, ac mollescens, indolensque fere protinus concidit; cum tumor partis intermedius disparet, nec ad manus, aut pedes redire observatur; cum, sub febre non inflammatoria, hæmorrhagia narium, imprimis *renum*, aut alia, copiosa, prorumpit; vel cum maculæ purpureæ, sublividæ, vibices, petechiæ variolis interspersæ, nec solo tam febris ab impetu, aut a gastricis saburris, ac vermibus derivandæ, — aut cum suppuratis quodammodo, malignis variolis, novæ pustulæ, furunculi, locis intermediis copiosius exsurgere cernuntur: tunc maximo ægrotans periculo exponitur. In genere, *octava* fere dies in *discretis* aut non malignis, — *undecima* vero in *confluentibus*, quæ cum *nervosa* incedunt, vitæ præ aliis minantur, & summa ex suppuratoria febre, ex facili ad nobiliora metastasi, & ex instante suffocatione, pericula agnoscunt: quæ interim vitæ discrimina in *malignis* ad vigesimam usque diem, ac ultra, extenduntur. Factam jam ad interiora metastasin inquietudo, anxietas, sopores, perviglia, deliria ferocia, dyspnœa,

raucedo magna cum dyspnœa fauciumque dolore summo ac spasmis indicabunt. Diarrhœa hoc in stadio infantibus, quemadmodum adultis salivatio, nisi vires illa exhauriat, vel inflammationis, aut intestinalis jam gangrænæ effectu prorumpat, sub confluentibus imprimis variolis, egregie conferre observatur.

Non minus a paucis, quam ab innumeris ad cutem pustulis, variolosa deletur dispositio. Sed a *discretis* adeo variolis non minus, quam ab infami *confluentium* dominio, si nervosæ febris illæ connubio inquinentur, longa & difficilis reconvalescentia exspectetur oportet. Superati jam morbi effectus tristesque in multis reliquias jam supra (§. 327.) recensuimus.

Cura prophylactica.

§. 337. Variolosi virus *specificum* ignoramus; & quæcunque in avertendo illius impetu laudata fuerunt *prophylactica*, *corrigentia*, hæc a benignissimarum, sine istis, quotidiano certe, variolarum exemplo, auctoritate spoliantur. Est quidem certa vivendi methodus, sunt certa artis auxilia, quæ, cognita ægrotantis, ac epidemici morbi natura, futuræ febris potentiæ opponi, ac infestos variolarum effectus quodammodo infringere valebunt: sed varia ac sibi contraria hæc erunt, pro diversa regnantis morbi indole, subsidia; atque ex iisdem, quæ aliis sub morbis conducunt, principiis petentur. Hinc sub inflammatorio vigentis epidemiæ charactere, a vino aliisque utiliter abstinemus irritantibus; aut in plethoricis venæsectionem ac vegetabilem imperamus diætam; sub gastrico morborum genio, illis, quæ saburris generandis favere possunt, valedicimus prudenter; sub nervosa dominantis ægritudinis indole, pathematum deprimentium, ac illorum, quæ vires exhauriunt, ac nervis insidiantur, cum successu fu-

gimus actionem ; verminosam, de qua constat, progeniem eliminare, debilitatem corroborantibus erigere, densiorem cutis texturam balneis relaxare studemus, &c. Sed *nemo sanior, quam sanus esse potest* ; ac sæpe, qui ad morbum se *præparat* futurum, hic victas huic manus cedit, ac ineptissimis in absentem, nec cognitum satis, hostem invehitur auxiliis.

Ex istis apparet, nos parum satis boni, multumque interdum mali, a quavis ad morbos *præparatione*, nisi ob præsentem jam aliam salutis læsionem suscepta, exspectare ; nec laudati a pluribus mercurii, nec antimonialium, aliorumque tum interius, tum quoque exterius variolis præmissorum virtutem nobis magis arridere. Persæpe quidem porrectis hujus naturæ remediis benigna successit variola ; sed et sponte hæc multis succedit, ac sub media malignarum epidemia, ægrotantium non pauci hoc a morbo, naturæ magis, quam artis beneficio, sat benigne tractantur. Sat obscuræ saltem in multis ad ejusmodi remediorum usum perducunt indicationes ; neque dissimulandum videtur, medicamenta, quæ agendi vim possident, nisi bonos, — vix non ubique malos producere effectus.

Vel præsentem jam morbum, immunis contagio phlegmonis adinstar, mox resolvere, suppurationis vero periculosum in multis decursum prævenire studuerunt alii. Ac ipsa quidem natura non omnes, quas ad faciem protrudit, pustulas in abscessulos maturare consuevit (§. 331.) ; suntque non pauci, quibus, inserto variolarum pure, modo febris atque solita variolarum symptomata, nec tamen ipsa variola, licet eandem, ac ab ista, securitatem sic acquisivisse viderentur (§. 231.), prorupit : ast vero desiderabilem hunc artis effectum necdum experientia confirmavit ; ac major variolosi virus in cu-

tem nisus videtur, quam ut alio, quam naturæ ipsius arcano, per hanc ipsam, sine abscessu eliminari, vel sine magno tanti conaminis periculo suffocari queat.

Majoris omnino momenti proposita ab aliis variolosi virus *exstirpatio* foret: atque cum ex contagio hoc ipsum originem aliunde trahat (§. 335.), ejusdem fontem exsiccari, ac omnem infectionis occasionem a civibus avertere, consuluerunt. Quod si vero cum de populo a quovis alio per naturam separato, nec ulla vel commercii vel aditus alieni ratione, cum infecta natione devincto loquamur, contradictionem non involvat propositio; fateamur tamen, pro hodierna Europæ constitutione, tam insigne a legibus beneficium vix posse amplius cum aliqua felicis eventus probabilitate exspectari.

Generalia de cura.

§. 338. Ad ipsius igitur jam præsentis morbi pertractationem nos accingimus; ac pro varia, quæ illum comitatur, febre variam esse medendi methodum, nemo est qui non intelligat. Summam hæc in regnantis morbi characterem, ac in ipsius ægrotantis constitutionem, a Medentibus attentionem sibi exposcit; quibus semel detectis, non tam exanthematis, quam febris, a qua hoc ipsum dirigitur, cura nobis assumenda est. In genere igitur hic omnes, quas in Libro *de febribus* tradidimus, artis regulæ valebunt, & a recta istarum observatione, dummodo primis jam morbi principiis opponantur, variolarum simul ipsarum medela, ac rerum summa dependet. Fatendum est interim, justam variolarum pertractationem non fere prius, quam cum introducto, ac ad majorem perfectionem evecto *inoculationis* opere, frigidioris auræ in variolosos beneficia melius innotescerent, fuisse rectius intellectam; ac æternas huic operationi, si vel tota aboleretur, ob hoc ipsu

grates deberi. Quamvis etenim acuti, cum caloris incremento incedentes, morbi vix non omnes temperato in aere facilius, quam in alio superentur, ac ipsorum pars magna exanthematum a calidiori exasperetur regimine: est tamen variolarum illi fere proprium, ut, vernalis quasi floris exemplo, qui sub nive virescit, ac sub majori solis incendio collabitur, exanthema illud frigidiori sub aura felicius florescat, & ab aucto quovis calore fatales ægrotis rapiatur in ignes.

Nec tamen igitur reticendum hic erit, hanc ipsam de auræ liberioris ac frigidæ in variolis beneficio observationem Medicos non paucos in contrarios primis errores præcipitasse, mortemque ex incauta debiliorum ac vitali calore non abundantium, aut forte malignis (§. 332.) variolis correptorum hominum expositione, ac impedito per admissum frigus transpirationis beneficio, non raro derivandam fuisse. Sæpius forte nunc, quam alio quovis fere tempore, catarrhalium, rheumaticorumque symptomatum variolis miscetur caterva: quæ certe ex rigidioris ac delicatulis insolitæ auræ frigidioris & humidæ admissione originem frequenter repetit. Sub febris impetu in primo hujus morbi stadio majori, calor utique nocet; sed expulso semel exanthemate, ac nequidquam excedente naturæ vigore, hunc ipsum incauto sub frigore extinguendo, aliud certe non facimus, quam quod depositum jam in cutem venenum ad viscera repellamus, atque tum debitam pustularum præpediamus suppurationem; tum ad futuras a morbo metastases viam sternamus, atque, pro leviori forte morbo, millenis subjectam incommodis vitam ægrotantibus præparemus. Verum est, per calidam rusticorum in variolis methodum infantes non paucos quotannis mactari: sed quæ *plebis consensu* gaudet in

morbis popularibus ratio medendi, hæc non tam vano ubique, quam plures contendant, nititur fundamento, ac sub certis epidemicæ constitutionis positionibus, oportet hanc ipsam se plurimorum in oculis felicioris eventu potiorem ostendisse. Atqui eodem, ex quo mortem nunc bibunt, ex poculo, sub alia febris conditione (§. 94.), vitam plurimi cum vino hauserunt, ac nemo prudens, cum *cordialia*, ut vocant, interdum indicari fatetur, tepidiorem purissimamque hic auram præ frigida profuturam negabit. Similia de *victus* ratione, non ubique certe eodem cum rigore dictanda, dicenda sunt (§. 94.).

Cura var. inflamm.

§. 339. Cum igitur ex febris potissimum natura consilia petenda sint; illi primum, quæ vel epidemiæ ex genio, vel ægrotantis ob indolem, *inflammatoriam* constituit, attentionem concedamus.

Levioris.

Ac ea quidem variola, quæ benigna, & sine febre conspicua incedit, non alium, quam in ipsa natura, ducem requirit. Vix lectum cum hac petunt rusticorum proles; & in aere liberiori ac frigidiusculo versantes, vim morbi eludunt: cui, sub solicita nimis parentum cura, & intempestivo conamine artis, ex ditioribus non pauci succumbunt. Hic igitur a lecto puer, donec variolæ prorumpant, arcendus; ludisque ætati propriis, liberiori sub cœlo, aut in amplo sanoque cubili, recreandus est. A carnium, rerum calefacientium digestuque difficilium, usu nunc abstinendum; — quo vero tempore exanthemata efflorescunt, a gelidiori saltem aere, & a pluviis ægrotantes defendendi; ac si quædam nunc debilitas id jubeat, vespertino imprimis tempore, lectulo maturius committendi, nec tamen stragulis hic obruendi, sed concesso uberiori, acidulo, gratoque potu reficiendi, ac matutino iterum tempore sibi ipsis

committendi sunt: donec, absoluto suppurationis stadio, imprimis si plures paulo variolæ cutem defœdaverint, leviter purgans ex manna remedium, quo metastases prævenimus, facta jam *exsiccatione* hinc inde, si videatur, repetendum, præscribamus. Interdum vix morbum sistunt variolæ, ac medicam hinc opem nec ullam quidem sibi exigunt.

Gravioris.

Quod si vero cum *inflammatoriæ* febris evidentibus satis variolæ incedant symptomatibus (§. 116.), tunc singulæ, quas in eadem pertractanda jam exposuimus, regulæ (§. 120.), vel quovis sub stadio observandæ sunt.

Sub stad. inv.

Comparentibus hinc *primi stadii* variolosæ hujus febris symptomatibus (§. 331.), omni molimine interdiu a lecto arcendi, aerique libero, frigidiusculo, ac sicco, committendi sunt ægrotantes: qua quidem methodo, cum debita interim cura, *ne quid nimis*, ac ne insueto, sensibilique frigori, aut sub mediis sudoribus gelidiori vento exponantur, administranda, non raro mittendi sanguinis necessitatem prævenimus, ac nimios in adultis sudores moderamus. Ubi vis major morbi ægrotum extra lectulum versari non concedit, tunc erecto illum corporis in situ, capite nudatum, minimeque tegumentis obrutum, teneri oportet.

Quod si vero de plethorico, juvenili, robusto agatur homine; si pulsus pleni, celeres, ac duri; si respiratio cita, laboriosa, facies rubra valde ac tumescens, oculi turgescentes, rubicundi, cephalalgia, calor ad tactum ardens, — aut visceris inflammati jam signa adesse deprehendantur: tunc sanguinis emissio, sine insigni ægrotantis damno, differri nec per horam potest; sed pro violenta symptomatum habituque ægroti repetenda erit. Utplurimum densa mox crusta obtegitur cruor; ac tantum hic abest, ut e-

rupionis a venæsectione prudenter ac pro virium ratione instituta præpediatur opus, ut certius ista, pro evolvendis in superficie variolis, ac pro moderando pustularum numero, non habeatur remedium. Infantes quidem aut sopore, aut convulsione, correpti venæsectionem ubique non adeo perferre observantur: sed sub magno arteriarum motu, ac evidenti inflammatoriorum symptomatum apparatu, nec in his quidem sanguini parcendum; sed hirudinibus ad aures, nuchamque positis, ejusdem portio ætati respondens educenda, ac in convulsionum casu, ob insignem in parvulis sensibilitatem, ad æquam opii dosin mox descendendum est. Alia vero simul antiphlogistica hac in febre in subsidium mox vocabimus, atque potus, oxymele, citrique succo & nitro remixtos, in pauca simul quantitate, sed eo frequentius, ægrotis offeremus.

Imprimis vero quæ obstructam forte alvum blande solvant, hic eximie conducunt remedia; ac non modo clyster emolliens, antiphlogisticus, sed cum forte saburræ abdomine latuerint (§. 340.), & serum lactis tamarindorum pulpa remixtum in multis indicantur. Nec tamen ideo diarrhœam hac variolarum in specie sine ratione excitare, viresque vitæ in cutem directas, ad intestina divertere conveniet: sed sub morbo simpliciori, nec *gastrico-inflammatorio*, clystere alvum quotidie eluisse sufficiet. Quæ infantes hoc sub stadio diarrhœa sæpe corripit, ea, nisi vires nimia prosternat, quo in casu opium cum emulsione Arabica (N. XV.), vel & lac vaccinum cum infusione radicis petroselini remixtum, quam optime conducit, cohibenda non erit.

Fomentationibus emollientibus ac pediluviis extremitates inferiores hoc in stadio fovere, laudarunt, itidemque vituperarunt eximii in arte medendi viri.

Primi quidem, hoc genere auxilii cutem a facie longinquam emolliri, sanguinis ad pedes impetum revelli, ac majorem variolarum numerum ad hos ipsos magis invitari, contendunt; alteri, proprias variolis leges esse, ac ad partes, quæ humescunt, hoc exanthema difficilius efflorescere, observarunt. Ipsa certe facies, ac manus, quæ auræ frigidæ a juventute adsueverunt, præ aliis corporis partibus obsidentur variolis: at si frigus moderatum, ac aliquam in cute resistentiam, variolarum eruptioni non tam obesse, quam eandem promovere observemus; videri posset, ex fotu partium, variolarum ad has ipsas expulsionem arceri magis, quam in cæterarum beneficium invitari. Hæc tamen si ita essent, adultorum variolæ, quod suspicati sumus (§. 335.), ex causa longe alia, quam ex majori cutis densitate, periculum acciperent; & ex hoc ipso, balneorum tepidorum, a nobis ipsis ad præparandam tenaciorem apud adultos cutem commemoratorum, laberetur auctoritas. Attentior hanc in rem Medicorum animus has lites componet, nec tantus certe pediluviorum vel aliis in morbis observatur effectus, ut certam iisdem de frigoris in variolis inflammatoriis utilitate observationem, incerto ex revulsionis lege fructui postponere debeamus. Fatemur interim, nos tam insigni in exanthematibus remedio, ac *balnea* sub certis rerum conditionibus nobis offerunt, ob facilem his in experimentis ambiguitatem, non posse penitus ac ubique renunciare; ac licet hæc ipsa in variolis cum inflammatoria febre junctis rarius indicari credamus, est tamen, ubi fomentationum tepidique balnei tum ratione, tum experientia confirmetur usus; nec certe in atmosphæra pluviis licet continuis referta, malignam illæ undique naturam assumunt; nec ad linguam, nec ad oris cavum, quæ

continuo rore *madescunt*, variolarum idcirco minor, quam ad loca corporis *sicciora*, proventus observatur.

Majora hoc in stadio ex *rubefacientibus*, *vesicantibus* ad suras positis exspectarunt beneficia, quam nos in variolis *inflammatoriis* ab irritante hoc auxilio, & ab incerta nimis revulsionis hoc ipso obtinendæ lege, promittere audeamus.

Nimium hoc variolæ *inflammatoriæ* in stadio, & ex specifica variolosi virus irritatione, non ex saburris, pendentem *vomitum*, apud adultos plethoricosque homines venæsectio sopit: quæ, si locum habere non videatur, haustus antemeticus, clysteres, fomentatio emolliens ac anodyna epigastrio imponenda vel ipsum subinde opium, indicantur.

Convulsiones, pro varia causarum, quæ easdem producunt, conditione, adaptata istis, interdum plane nulla, requirunt remedia. *Faucium* vero *dolor* linctu mucilaginoso, humectantibus, cataplasmate emolliente, sanguisugis, — aut, si febris sic jubeat, venæsectione aliisque in cynanche commendatis (§. 178.) moderatur auxiliis. In plurimis, hic, facta variolarum explosione, vel sponte imminuitur. Cætera hujus stadii symptomata ad easdem, ex causis & febris natura petendas, leges pertractentur oportet. Superaccedens ægrotanti narium hæmorrhagia, nisi viribus minetur, supprimenda non est.

Sub stad. erupt. Nisi, absoluta jam variolarum ad cutem expulsione, febris ipsa & graviora illius symptomata remittant (§. 331.), sed manifesta inflammatoriæ febris, aut localis adeo inflammationis phœnomena compareant: tunc venæsectio, pro virium ratione ac symptomatum ferocia repetenda, in isto non minus, quam primo in stadio, cum antiphlogisticis remediis, clysteribus &c., indicatur. Ipse pustularum

vel in facie præsentium, sic numerus ad pauciores ac perfectas magis variolas reducitur. Hoc rerum sub stadio frigidiuscula iterum ægrotantibus aura, ac erectus corporis extra lectum situs conveniunt. Quæ alvum copiosius hic laxant, nisi complicata sub morbi natura (§§. 340. 341.), indicari non queunt remedia; solusque clyster, quo intestina quotidie eluantur, sufficiet. Si ex majori cutis irritatione, inflammatoriis nervosa superaddantur symptomata, inquietudo, vigiliæ: tunc, depleto jam quodammodo venæsectione, sanguisugis, vasorum systemate, sub confluentibus imprimis, inflammatoriæ licet naturæ, variolis, ad æquas *opii* doses recurrendum, nec tamen alvi per clysteres evacuatio negligenda est. Vesicantium applicationi nec hoc in stadio, ob dictas jam rationes, favemus. Eximia sunt potus acidiusculi, copia tamen non gravantis, sed sæpius repetiti, beneficia. Acida mineralia hoc saltem in stadio necdum indicari putamus.

Sub periculoso *suppurantium* variolarum stadio, major in singula Medicorum attentio, ac cita medela requiritur. Virium vitæ hic ratio habenda est quidem; nec, sine aliquo naturæ impetu, copiosi imprimis abscessuli ad maturitatem perveniunt: quod si vero major, quam par est, febris hic urgeat, pulsusque, quos tamen existens ad carpum tumor facile mentitur minores, tam pleniores, quam duri ac vibrantes tanguntur; -- vel si inflammationis localis ad fauces, cerebrum, pulmones, aliaque ad viscera, symptomata compareant; tunc, sine temporis jactura, ad venæsectionem recurrere, eamque, pro illorum vehementia, repetere oportet. Ubi copiosæ & pure jam maturo ac subflavo turgentes variolæ tensionem augent, ad hanc ipsam moderandam non minus, quam ad præpediendam subjectæ cutis

Sub stad. suppur.

erosionem, ac ut resorbendi puris avertamus pericula, ad apicem variolas frequentius aperire, ac effluentem spongia, lacte tepido & aqua madefacta, abstergere materiam, licet hæc a pluribus non approbentur consilia, & nos solemus. Nascentes forte, easque duriores, irritantes variolarum crustas emolliente fotu obtegimus; nec tamen unguentis, quæ ad variolarum exulceratarum, ne fœdam cicatricem inducant, pertractationem, ex pinguium classe, commendantur a multis, tam facile fidimus: sed frequens ulceris cum tepido lacte & aqua abstersio, quod ab arte pendet, auxilium præstabit.

Non sola tamen hujus stadii turbas venæsectio interdum sedabit; sed insignis ex tam copiosis abscessulis in cute irritatio, inquietudinem, dolores, ac vigilias continuo augere, ac incommoda, quæ sine divino *opii* auxilio sedari non queunt, excitare consuevit. Hoc igitur sub rerum statu, qui non paucos ad nonam, undecimam, vel tardiorem morbi diem, per spasmos, convulsiones, ac alia, quæ ex his pendent, symptomata, præcipitat, unicum fere ex *opio*, sat magnas ad doses porrecto, auxilium habetur: quod certe remedium, licet sudores febremque ipsam augere, salivationem, ac alvum cohibere accusetur; sub angustissimis ægrotantium rebus, sacram Medicorum anchoram omnino constituit, & ad noctem imprimis, vel frequentius interdum, sub repetito clysterum usu, porrectum, ex orci faucibus non paucos eripuit.

Quo vero tempore jam crustis obtegi variolæ incipiunt: hoc, & sub clausa forte per opium alvo, ingens evacuantium blandiorum, ex tamarindis, manna, in sero lactis solutis, vel refractis tartari emetici dosibus haustu salino susceptis, petetur subsidium. In leviori quidem morbo, ac sensibili virium

vitalium defectu, hæc ipsa non indicantur remedia, ac excitatam forte a vi morbi diarrhœam nimiam ac viribus inimicam, opiatis hanc, aut lacte moderari oportet; sed sub gravioris *suppuratoriæ* febris impetu, ac majori a metastasi iniqua timore, confirmatum ab experientia auxilium purgantia, ac lenia diuretica nobis offerunt, atque ea potissimum indicantur, ubi salivatio in adultis suppressa est, ac faciei manuumque tumor cum febris augmento subsedit.

Cum ex suppressa salivatione, vel spissiori muco in faucibus collecto, istarum oppletio, deglutitio difficilis, ac suffocationis forte metus instat; tunc, si ex inflammatione hæc ipsa succedant, venæsectio, hirudines ad collum, ac demum vesicans sub mento applicandum, conducunt. Si vero tenacior pituitæ in gutture collectæ natura hæc pericula inducat, tunc præter institutas in fauces ac nares ex infuso sambuci aut salviæ cum oxymelle remixto injectiones, ac resolvens pituitam collutorium, refractæ kermes mineralis, aut tartari emetici doses, aut, si ex mora discrimina instent, haustus, aut pulvis emeticus, cum fructu porriguntur.

Interdum vero sub hac ipsa variolarum suppuratione, febris, naturam, quam *inflammatoriam* huc usque ostendit, in aliam, seu ex ista & *nervosa* complicatam, commutat: hoc in casu, nec depressa nimis vitali irritabilitate, mineralia imprimis, aqua multa diluta, ac syrupo edulcorata conducunt acida (Num. XXXVI.). Sub majori in febrem *nervosam* dispositione conveniunt remedia inferius (§. 342.) commemoranda: peruvianus præ aliis cortex, qui tamen inflammata morbi prædominante adhuc indole vix sine damno præscribi potest.

Quod ad palpebras hoc sub stadio frequenter occlusas attinet, has quidem, nisi dolorem simul ægro-

tus ac ingentem in oculis ardorem accuset, committimus naturæ: hoc vero ultimo in casu, cum decocto malvæ, aut lacte tepido fovere oculos, ac, separatis sine impetu palpebris, paucas istius, aut materni lactis guttulas instillare, aut per syphonem subtilem injicere, acresque sic lacrymas eluere conducet.

Vel nulla interim hoc etiam sub stadio remedia juvabunt, nisi summæ tum atmosphæræ, tum rerum, quæ ægrotos circumdant, puritati studeatur. Hinc tum lintea hic sæpius, tum apertis fenestris aer ipse, mutanda sunt; ac licet hujus torrenti ægrotans exponi sine damno non possit, necesse tamen est, ut calor omnis ab isto arceatur, ac ut, si modo vires permittant, non frigidiori quidem, sed frigidiusculo in aere per horas, ac erectus teneatur. Aceti vapor per cubile expansus, & quæcunque aeris corruptioni resistunt, hic in opem vocentur oportet.

Quæ hoc sub stadio metastases contingunt, has, perspecta atque correcta hujus phœnomeni causa, methodo jam pro aliis exanthematum speciebus ex pelle ad interiora repulsis exposita (§§. 290. 326.), ac pro morbi, qui ex metastasi generatur, diversitate, pertractari conveniet. Quæ cultro patent ad externa depositiones, hæ cataplasmate, quo citius possunt, maturatæ, mox, antequam vicinia corrodant, aperiendæ sunt.

Cura var. gastr.

§. 340. Si *gastricam* febris variolas concomitans naturam exserat (§§. 100. 333.), quod magis ex dominantis genio, ex ægrotantis ante morbum statu, ex aliorum ab hoc ipso jam reconvalescentium historia, quam ex æquivocis variolarum symptomatibus, eruemus: tunc methodus huic febri opposita (§. 109.) eo usque, donec ad simplicem morbus i-

pse reductus sit naturam, adhibenda mox erit. Hinc aut sub primis jam variolarum initiis, emeticum, cauta tamen, ac ob præsentem jam in ventriculo stimulum, moderata dosi, exhibendum est; aut, si tenacior videatur, quam ut ejici mox possit materia, præmissis pulveribus (N. II.), ac decocto (N. I.) resolventibus, ad tertiam ab invasione diem emeticum differatur. Solutio emetica (N. IV.), quæ alvum simul evacuat, hic aliis præferri meretur, ac toto fere morbi decursu, cum aqua diluta, hæc ipsa, aut haustus salinus cum refractis tartari emetici dosibus, nec non serum lactis cum tamarindis coctum, cum fructu porrigentur. Sic quovis non morbi variolosi, cum *gastrica* febre incedentis, stadio, evacuantia ac repetitum adeo subinde emeticum indicari, eorumque usum felici coronari effectu videmus. Non tamen sine omni, ut asserunt, exanthematis respectu hac in methodo procedendum est: atque sub illo, ex evacuatione quidquam fortiori, majora sane, quam in simplici *gastrica*, incommoda rerumque oriuntur discrimina. Hinc ejecto per vomitum saburrali fomite, ac intestinis cum sale medio, aut potione laxante antiphlogistica (N. XXI.), evacuatis; ex refractis tartari emetici cum haustu salino portionibus, ex seri lacti tamarindinati pro potu porrecti, atque ex repetito clysterum usu, potissima obtinentur hoc in morbo auxilia. Cessante symptomatum gastricorum apparatu, quæ ex morbo sunt reliqua: hæc, ubi simplex ille fuerit, ut talis, — vel, ubi complicatio latuerit, habito ad istam respectu (§§. 111. 112. 341.), solicite pertractentur.

§. 341. Ex dictis (§§. 329. 334. 340.) apparet, variolas non tam simplicem ubique, sed *complicatam* in multis naturam habere; ac inter omnes certe

Cura var. compl.

frequentior illis cum febre, quam *inflammatorio-gastricam* vocavimus (§. 112.), — sub pejori vero rerum statu, cum *gastrico-nervosa* (§§. 89. 103.), aut cum *inflammatorio-nervosa* (§. 90.) societas esse consuevit. Nec raras esse variolarum cum catarrhalibus, rheumaticisque affectibus, aut cum aliis demum aut morborum causis, aut morbis ipsis, complicationes, jam satis monuimus: ut & febris intermittentis cum variolis combinatæ non desiderentur exempla. Quid vero sub tot ejusdem ægritudinis mutationibus faciendum supersit, hoc ex aliis hujus operis capitibus, ac imprimis ex illis, quæ de febrium complicationibus a nobis dicta fuere (§§. 95. 96. 111. 112.), repetenda sunt.

Cura feb. variol. nervos.

§. 342. Si febris *nervosa* in variolas dominetur (§. 332.), ac infelici hoc connubio vel incipientis, vel demum adulti (§. 339.) jam morbi pericula increscant: tunc pro febris aut simplicis (§§. 87. 88. 91.), aut complicatæ (§§. 89. 90.) ratione, methodus cuivis ex istis adaptata (§§. 94. 95. 96. 111.) eligatur oportet. Nemo quidem in *simplicissima* licet *nervosa* variolis commixta, istarum contagium per sudores difflare, quod in aliis quandoque contagiosis licebit (§. 94.), contendet: sed, quæ in variolis, *inflammatoria*, aut *gastrico-inflammatoria* febre stipatis adeo laudavimus, methodum antiphlogisticam, frigidamque atmosphæræ ægrotantem ambientis conditionem: hæc certe, sub tanta virium in *malignis*, iisque vel discretis, anomalis, vel confluentibus variolis prostratione, — nisi forsitan sub initio, ob latentem cum *inflammatoria* aut *gastrica* complicationem, non sine manifesto adhibentur ægrotantis detrimento. Ipsa quidem aeris summa ubique puritas requiritur, sed caloris alia hic est ratio: nec certe,

qui expellendis, maturandis vix sufficit abscessulis, hunc in debiliori, nec æstuante, sed tremulo, frigescente, languidoque ægroto, — ac vitæ pabulum cum illo, extinguemus.

Interdum non tam maligna videtur exanthematis natura; sed, sub febris *lentæ nervosæ* symptomatibus (§§. 91. 332.), modo vires in illo expellendo, maturando, apud inertes, inedia, hæmorrhagiis, evacuationibus forte aliis exhaustos, laxos, pituitososque homines, deficere observantur: atque tum primum, tum alia, quæ hoc ipsum sequuntur, stadia lentissime ac vix non sine febre, aut siti absolvi, — gravissima vero ex contagio internis partibus tam tenaciter inhærente pericula, vix tamen terrifica aspectu symptomata derivare cernuntur. Hoc certe rerum sub statu tum aliquis atmosphæræ, cæterum purioris, tepor, tum jura carnium, ac vinum, nec non balnea quidquam calida, vesicantia, rubefacientia, cortex peruvianus, cinnamomum, contrajervæ, serpentariæ virginianæ radix, & excitantia in genere remedia indicantur.

Alias in delicatulis, timidioribus, mobilissimisque hominibus, in teneris ac de venustate propria solicitis puellis, eruptio variolarum progreditur tardius; ac ad pellem hæ devectæ, in eadem hærere, nec satis elevari, nec febris, nec consueta symptomata ab eruptione facta sedari, sed anxie in lecto jactari, spirituque dejecto turbari cernuntur. Hoc quoque in casu a generosa satis vini portione, a sereno Medentis vultu, ex applicito cantharidum emplastro, brevi tempore malignitatis idea disparet, morbusque communem reducitur in tramitem.

Quotiescunque vero, sub ipsa jam *invasione* ac *eruptione* variolarum, vis vitæ deficiens, ac singula *febris nervosæ* aut *versatilis* (§. 87.), aut *stupidæ* (§. 88)

observantur symptomata: tunc deposita tum sanguinis mittendi, tum evacuationis alvinæ copiosioris indicatione, ad illa, quæ labescentem machinam erigere, & ad sepulti in visceribus infensi virus expulsionem ac maturationem excitare valeant, properandum erit. Ne tamen traditæ jam sæpius de *fallaciis signorum* doctrinæ obliviscamur! atque summopere caveamus oportet, ne a corrupta, aut verminosa abdominis colluvie, vel ab ipsa cruoris copia *apparens* modo subsit, non vera, *debilitas*: quo certe in *oppressæ* potius, quam *depressæ* vitalis potentiæ casu, excitantia periculum augerent.

Sub stad. invas. Cognita interim epidemiæ regnantis, præcedentium causarum ac subjecti ipsius constitutione, quamprimum funestæ febris symptomata (§§. 87. 88. 332.) ingruunt: mox lecto ægrotantem committimus, ac in puriori quidem, sed frigore non contraria atmosphæra, majoribus a suscepto veneno turbis, ac languenti vitalis principii reactioni succurrimus solerter. Hinc fortiori mox extremitatum frigori tum frictionibus, tum calidis istarum, atque tam siccis, quam aromaticis cum vino fomentationibus resistimus; insequentes forte lipothymias potu tepido, aromatico, ac repetitis vini generosi, aut alcali volatilis, ætheris vitriolici cum aqua cinnamomi remixtis portionibus, dissipamus. Vomitum effrenem summosque ventriculi, lumborum cruciatus, diarrhœam immoderatam, indicata jam (§. 339.) methodo, ac injecto clystere compescimus. Si tremores, subsultus tendinum, aut veræ tandem ac præmaturæ, sæpiusque redeuntes apud infantes præcipue convulsiones hic terreant: tunc *zinci* flores, puerulis unius, triumque annorum ad *grana duo*, — a tertio vero ætatis anno usque ad decimum, ad *grana quatuor* omni bihorio porrigendi, ab experto nuper laudati sunt vi-

o; nec minus opium sub nimio convulsionis impe-
u, ac sub pulsu exili, sed duro, inæquali, sub tre-
ıore ac tendinum subsultu, moschus, adhiberi me-
entur.

Quod si vero debilitas, ac stupor sensuum magis, uam istorum perversitas, ac impetuosæ nervosi sy-tematis turbæ observentur: tunc ad corticem mox eruvianum tum ore, tum apud infantes morosos no ingerendum descendimus. Nec minora ex vesi-antium, sinapismorum applicatione, & ex campho-æ vinique usu, subsidia impetrantur.

Ad secundum sic morbi stadium aut citissime, ut tardius interdum pervenitur. Eædem hic & ex ebris natura petendæ indicationes manent. Quod si iempe, ob vim vitæ deficientem, variolæ in cute epultæ vix prodeant, ac lividum mox colorem, aut inereum fere aspectum assumant: tunc largis peru-iani corticis dosibus, serpentariæ virginianæ radix ut camphora superadditur; ac vini portio, non exi-gua nimis, conceditur assuetis. Simplex interdum croci infusum, aut saturatior illius tinctura eximie conducit. Si ob vigentem cutis forte spasmum vario-æ retardent, tunc pulvis *Dovveri*, flores zinci, opiumque ipsum, in opem vocentur. Si diarrhœa hoc in stadio vires ultro consumat, tunc emulsione Arabica cum opio remixta, radice columbo, aut la-cte succurrimus tepido. Nec in solo diarrhœæ casu, *ictis* in attollendis variolis usus hac in specie com-mendari meretur: ut quem, jam multos ante annos, puero altiori loco oriundo, ac ob pejorem variola-rum, jam protinus collapsarum, aspectum morti vi-cino, anili consilio vitam evidentissime servasse no-vimus, quam expertior licet Medicus servari posse admodum dubitaverit. Sub stad. erupt.

Sub tam lento maturationis opere, ichor magis, Sub stad. suppur.

quam pus bonum, in variolis tum discretis, ac ano-
malis vesiculosis, tum præcipue confluentibus, ner-
vosa febre stipatis, præparatur; ac ab istius demum
actione (§. 332.) *suppuratoria* illa, ob millenas jam
mortes infamis, nascitur, vel potius continuatur
augetur febris. Hoc igitur in casu, si major forte
æstus insurgat, acidum vitriolicum vel in potu (§§
339.), vel cum cortice nuptum, — si vero majo
jam debilitas ac vis minor vitæ illud prohibeat, idem
cum camphora, aut, quod aliis placet, cum arni-
ca, cortex sat largiter præscribatur oportet. Zinc
hic iterum flores, quod ipsimet nos experiri necdum
hoc in morbo potuimus remedium, eximie laudantur
Sed, quod experientia diuturna confirmavit, ex *opi*
iterum hic sæpe est auxilium: sub cujus nempe
atque continuati corticis prudenti usu, tum variola
jam protinus collapsæ, nigrescentes, tum quævi
maligna, ex nervosa ut videtur irritatione oriunda
sæpe extemplo disparent symptomata. Nec vesican
tia hoc in stadio, plenæ licet pustulis, superficie
superimponi non convenit; atque his ipsis nimia &
symptomatica interdum diarrhœa felicissime fuit di
spulsa. Camphoræ quoque, magnis in dosibus *exte*
rius adhibitæ, atque tum linteis susceptæ, tum li
nimenti sub forma (N. XXXVII.) variolis illitæ
virtus eventu confirmatur.

Salivationem difficilem gutturisque mala, eadem
hic, quam alibi (§. 33[illegible].), pertractamus solvimus
que methodo. Hæmorrhagias hoc periculoso rerum
sub statu tum cortex chinæ, tum, si depressæ cor
dis vires non obstent, acidum vitriolicum, tum de
nique alumen, subinde compescunt.

Si gangrenæ forte signa in cute comparent, tuno
cortex eidem ad leges jam traditas opponatur. Si
vero major in parte dolor gangrænam aut præcedat

aut comitetur, tunc opio, vel et simul moscho conceditur locus (§. 136.)

Infantibus, qui ob glandularum lymphaticarum infarctus hoc sub stadio periclitabantur, præter dicta remedia, unguentum mercuriale ad pisi magnitudinem, per tres modo aut quatuor fere dies illitum, quin salivatio sequeretur, profuisse est visum.

In quavis vero specie variolarum, quæ ad plantas pedum vix non corneas nascebantur, atque nunc a pure formato extendi, dilatari non queunt pustulæ: hæ extremos hoc sub stadio dolores, noctesque insomnes, convulsiones inducunt. Hoc in casu cataplasma ex lacte cum pane, vapor tepidus, ac matura abscessulorum sectio, symptomata lenire sueverunt.

Si forte *intermittens legitima* cum variolis coire observetur: tunc, quavis istarum sub specie, ex cortice peruviano, nisi manifestior variolosæ febris pro illa imponat remissio, subsidium habebitur. Sub stad. exsiccat.

Sed in longum sic protracto malignæ suppurationis opere, *exsiccatio* pustularum, quo dictum est modo (§. 332.) succedens, ægrotantem a periculo immunem necdum esse sinit (§§. 331. 332.). Potissimum hinc curæ in promovenda crustarum separatione ponitur momentum, ac præter indicatos jam fotus (§. 339.), balnea quoque tepida ex lacte cum aqua egregie huc conferunt.

Collectas forte sub pelle materias purulentas, ossibus imprimis, articulis, vasis majoribus, viscerumque caveis, vicinis, quam citissime id liceat, sectione aut caustico remedio educere; -- continuato vero corticis usu meliorem suppurationem inducere, urinarum imprimis secretionem promovere, ac febris lentæ, metastasis iniquæ, pericula avertere contendimus.

Recon-valesc. cura.

§. 343. Non tamen hæc semper, ac in quavis variolarum specie iisdem obtinentur beneficia auxiliis; ac diversa in *reconvalescentibus*, pro febris prægressæ, ac morbosorum effectuum differentia, ad redimendam salutem requiritur methodus. Nec enim laudata toties post superatas jam variolas alvum evacuantia remedia, sub majori debilitate quamplurimis damnosa: — sed cum lenta quidem, inflammatoriæ tamen indolis ægrotantem consumat febris, instituta hinc inde venæsectio, continuatus antiphlogisticorum usus; — si gastrica forte febris comitaverit, ac ejusdem signa in longum protrahantur, — aut si vires non deficiant, ac alvo morbi reliquiæ, per artificialem quasi crisin, educi posse videantur, repetita laxantia; — si major virium prostratio, cortex chinæ cum lacte ac blandis nutrientibus; — si vero manifestus ex latente acredine in metastases nisus prodatur, diapnoica & antimonialia, vel & mercurialia, cum opio interdum commiscenda remedia, decoctum sarsaparillæ, guajaci, cum lacte &c., tum imprimis balnea, vesicantia, setacea, indicantur. Omnibus vero purus, ac rusticanus aer, amicorum consortia, & longa mentis a curis domesticis quies, corporisque, non superiora viribus, exercitia conducunt.

Inocul. variol.

§. 344. Ut tantis, quas hucusque exposuimus, calamitatibus se defenderent mortales, præter variaa jam enumerata (§. 337.) tentamina, ad illud tandem se reductos viderunt, ut victas huic pesti manus traderent; & sic quasi dæmoni, quo sibi esset propitior, sacrificarent. Cum scilicet benignas nunc admodum, nunc vero malignissimas, ac dire cuivis necessitate imminentes, — unica tamen invasione contentas, populi conspicerent variolas; longo jam

antequam *inserendi* contagii innotesceret beneficium, tempore, properarunt parentes, ut sub mitioris epidemiæ adventu, dilectam mox prolem huic ipsi offerrent, ac minori sic periculo commissam, majori alias committendam, discrimini subtraherent. His curis, ut in rebus humanis solet, mox se admiscuit superstitio, ac *emi variolas* dixerunt: cum misso ad ægrotantis lectum infante, hic pro certo *obolorum* numero tot sibi variolas, quot nummos pustuloso mercatori offerebat, expeteret. Quod si hæc pro suscipiendo morbi contagio non sufficeret methodus, eodem quoque lecto sanum cum ægroto cubare jubebant; ac nemo tunc, *num hæc licerent*, quæstionem movebat.

Tam peregrina hinc nunquam apud Europeos *acquisita per artem variola* fuit; sed regnantis modo epidemiæ occasione illam excitare, ac integram contagio superficiem offerre solebant, donec feliciori nobis, ex Asia advecta, methodo, variolosum in pyxide virus coercere per annos, ac morbum, qua tandem ætate, quo vitæ momento luberet, evocare addisceremus.

Hæc satis jam nota, atque tam facilis, — nec igitur longis hic argumentis, quod ab aliis jam factum est, exponenda methodus, matrum illinc opus, — in Europa mysteriosæ quasi artis sub specie tractata, in ipsa, ex qua originem ducebat, parentum in proles pietate, obstacula invenit: quæ doctis non modo, sed ex religione, ut videbatur, desumptis adaucta argumentis, vix cognitam Europa expellere operationem minabantur. Sed novæ mox pestis devastationes, ac millena uno ex morbo funera, reluctantes civium novitatibus animos ad nova hac super re experimenta coegerunt: quibus ad arithmeticum hæc res calculum reducta, ac insi-

gnis in quavis Republica *inoculationis* utilitas evicta est.

Cur vero *artificialis* variola minori hominem, quam *spontanea*, periculo subjiciat, hoc variis dilucidare rationibus eruditi contendunt. Nos aliam, quam ex actione, quam venenum vulnere susceptum diversam inducit, non sat bene perspicimus. Hæc & aliis propria est venenis agendi diversitas; nec major inspiratæ, aut deglutitæ materiæ copia, aut volatilis, aut corrupta magis istius natura, difficilem hunc solvere nodum videntur. *Maligna* licet desumptum ex pustula virus, sub media funestæ indolis constitutione, *benignam* tamen, cum vulnere inseritur, plerumque ægritudinem inducit; ac unica contagiosæ materiæ guttula non minus, quam major ejusdem portio, effectus exserere æquales videntur. Cautior illorum, quibus hic morbus inseritur, delectus, — junioris, qua hoc opus suscipitur, ratio ætatis, — tempus ac cæteræ conditiones, huic morbo opportuna magis, — ipsa demum inficiendorum præparatio (§. 337.), insertas hominibus variolas mitiores interdum producent: sed urgente malignioris epidemiæ periculo, tum adulti, tum senes, gravidæ non minus mulieres, quam valetudinarii, ac morbo chronico detenti homines, sine quavis fere, aut cum brevi saltem ad morbum epidemicum præparatione, inoculationis se experimento submiserunt; ac sæpe ex eadem variolas, quas vel sanissimis epidemia *malignas* inferebat, retulerunt *benignas*. In ipso hinc vulnusculo, quo virus idem suscipitur, ac in modo, quo natura hoc ad illud evolvit, ab eo, quo cute integra, per pulmonum stomachique vias, susceptum digerit virus, diverso, benignitatis majoris beneficium nobis quidem latere, nec tamen ideo ex cognitis naturæ legibus explicari posse videtur.

Non tamen ideo vel ex insertis variolis *benigna* semper prædici ægritudo potest; nec mortis inde vel illis ipsis insecutæ exempla desunt. Sed nec ipsi quidem inoculationis adversarii majorem longe ex *naturalibus*, quam ex *insertis* variolis mortalitatem diffitentur; ac si certas forte familias funus unum aut alterum ex istis, rariori certe, absterruit infortunio; ipsa tamen Respublica, ex capto *in magnis* experimento, insignem omnino hac ex operatione fructum percepit. Sæpius hinc, cum a nobis parentes, num proli inserere variolas conveniret, quæsivissent, consilium quidem inserendi non dedimus; sed propriis hunc morbum filiis inseruimus, & exemplo non minus, quam verbis, proficuam Reipublicæ, licet omni periculo non semper immunem, matrum licet voto non ubique respondentem, operationem laudavimus.

Nec idcirco sine quovis legum imperio hanc ipsam in civitatibus, quo lubet loco ac tempore, exercendam esse docet ratio, ac continuata in alios per inoculationem infectionis pericula abunde docent.

Ipsa variolarum *inoculatio*, quæ modo cuivis fere genti diverso instituitur; optime tamen recenti vel saltem non corrupta, aut nimis vetusta pustularum maturarum, ac læte benigneque florentium materia suscipitur. Si temporis ac subjecti pro hoc morbo eligendi concedatur occasio, tunc verno imprimis, ac autumnali tempore, in personis alio morbo nequaquam affectis instituenda est operatio. Infantiæ periodus, si forte primum a nativitate mensem, dentitionisque epocham excipiamus, opportunius huic operi temporis momentum offert. Pubertatis in utroque sexu terminum, menstruationis, graviditatis, ac puerperii statum, prudenter evitamus; atque his demum in subjectis *præparatione*, ut vocant, nulla in-

digemus ; nec in victu mutatio , quæ toties salutem disturbat , nisi paucis ante eruptionem diebus , major facienda erit . Qui ob præsentis alterius morbi incommoda , ob plethoram , vermes , imi ventris saburras , ob cacheticum forte habitum , debilitatem , laxitatem , rigiditatem nimiam &c. , præparatione indigent , his opportuna cuivis ex istis auxilia mature offeruntur . Sub periculosæ epidemiæ ingressu paucissimæ locum exceptiones invenient .

Sub ipso vero *inoculationis* opere naturalis vel spontaneæ infectionis , quamvis id tanti ab aliis non factum sit , fugiatur nihilominus occasio . Cuspide hinc lanceolæ aut acus, — vel, sub puris recentis defectu, filo molli ac laneo , aut sericeo suscepta variolarum materies ad brachium , melius utrunque , quo loco in aliis fonticuli ponuntur , — aut ad manus , pollicem inter digitumque indicem , sub epidermide introducitur ; ac , sine subjectæ cutis læsione , cum imposito cuticulæ digito , vel lanceola , vel acus probe abstergitur , aut filus sub illa per nychthemerum firmatur . Nec emplastra, nec fasciæ tam insonti vulnusculo imponi merentur ; nec pinguia sine damno vel quavis a cute feruntur . Qui vesicante epidermidem elevant , aut incisæ filum cuti imponunt , hi , oborta , ut solet , his in locis phlogosi , an ex susceptо variolarum viru , an ex cutis læsæ ac irritatæ effectu hæc fiat , ignorant ; ac majorem ulceribus hac in parte nonnunquam futuris occasionem largiuntur . Nec enim amplior hunc ad locum suppuratio , variolarum facile quid detrahit vehementiæ aut numero , vel talis , ut rite procedant , requiritur excretio . Frigida lavare partem , qua virus sepultum hæret , aut inutile , aut interdum damnosum dicimus ; sed subsequenti fortiori hoc in loco phlogosi eandem cum fructu imponimus .

Multiplex quidem ad plagam, cui virus commissum est, signorum apparatus observatur: sed communis istorum decursus, si modo contagium, quod non ubique contingit, suscipitur, breviter hic exponendus est. In genere *quatuor* fere hic *stadia* inserti veneni cernuntur. Primum, quo sine manifesta ad locum inoculationis irritatione sepultum jacet, ac Medicum futuræ actionis incertum esse sinit, venenum; secundum, cum localis in parte illa se prodit irritatio, ac eventum operationis probabilem jam reddit; tertium, quo totum jam corporis systema in consensum vocatur, ac *invasionis* (§. 337.) comparet periodus; quartum, quod interdum deesse observatur, quo variola ad partem a vulnere distantem prorumpit.

Jam *altera* post peractam inoculationem die rubrorum vestigia punctorum, mox vero macula dilute rubra, aut subflava, in multis conspiciuntur; in aliis post plures modo dies hæc ipsa comparent. Stad. irritat. locum.

Tertia, circa locum affectum pruritus, levis tensio, ac durities occurrit.

Quarta fere die, rubedo, pruritus, ac durities augentur, minimæque, nec oculo nudo detegendæ vesiculæ, variolarum *matrum* rudimenta, hoc loco comparent.

Quinta, in multis vero tardiori die, plurium jam pustularum acervus, ambitu rubro, ampliori cinctus, elevatur; axillæ, vel & inguina dolent, lassitudo, osteocopus dolor, horripilatio, cui calor intercurrit, faciei color nunc roseus, nunc pallescens, cephalalgia, vertigo, morositas, anorexia, aut cibi desiderium, ac brevis & insolita hilaritas, succedunt. Stad. irritat. univ.

Die *sexta*, axillæ dolor continuat, ac brachii sub motu augetur; lympha tenuis in pustula majori, halone rubro circumsepta, augetur; plures acuminatæ, ac supra cutem elevatæ, cum ardore ac pruri- Stad. invas.

eu exsurgunt papulæ ; fœtor oris ac sordes ad linguam produntur , turbantur oculi ; ad vesperas horripilatio calorque alternant , ac in genere primæ *invasionis* symptomata (§.331.) vel jam elapsa, vel hac demum die, manifestantur, morositas increscit , dolores abdominis , lumborum , hinc inde sentiuntur ; vacillant pedes , nec auram petere liberiorem ægrotantes desiderant .

Septima , increscunt magis ac spissescente materia molliter turgere incipiunt majores vesiculæ ; rubor easdem ambiens augetur , magisque diffusus apparet. Ad vesperas cephalalgia , horripilatio, calor auctus , somnolentia , ac pulsuum frequentia occurrunt.

Octava , febris symptomata , ad noctem somnolentia , inquietudo , calor increscunt ; pavores sub somno , stridor dentium , nausea , epigastrii dolor accedunt. Purulentus jam humor vesiculas distendit.

Die *nona* , augetur febris ; nauseæ, vomituritio , lassitudo ac somnolentia continuant. Interdum nunc oculorum distorsiones , tremores , convulsio occurrunt ; vel anxietas , palpitatio cordis , aut siccitas faucium ac dolor accusantur.

Decima vero , ac *undecima* fere die , subinde tardius , variolæ , nisi paucæ illæ , quæ ad locum , cui morbus insertus est , jam sufficiant ; ad cæteri quoque corporis superficiem , — plerumque perpaucæ , sed veræ , & ex quibus aliis communicari contagium non minus , quam a naturalibus potest , — interdum tamen plures , rarius copiosissimæ , ac rarissimo certe in casu , ob rationes non ubique manifestas , sat malignæ prorumpunt ; atque , pro hac ipsa rerum differentia , febris plerumque nunc sedatur , aut plurimum mitescit , ac singula nunc modo , quo dictum est (§. 337.) , maturationis , ac suppurationis sub stadio decurrunt .

Magna sic apud plures symptomatum diversitas occurrit, atque febris aut fere nulla, aut pauca, aut sat violens eruptionem præcedit; ac diversam, ut in naturalibus variolis, naturam, vix tamen non ubique benignam, assumit.

Sub tam felici igitur rerum successu, præter auræ purioris, siccioris, ac frigidiusculæ, jam commendata satis (§. 338.) beneficia, debitumque in victu regimen, alio ægrotantes vix indigent consilio: ac tempore eodem, quo alii, hoc a viru inopinate, ac epidemico furore infecti, dira cum morte luctantur; mediis illi sub lusibus, vix lectulo interdiu adstricti, ac sine venustatis plerumque jactura, hanc pestem læti absolvunt.

Si gravior forte morbus *inoculationem* sequatur, iisdem hic, quæ pro *naturali* variola tradidimus, præceptis, ac, pro varia subjecti febrisque indole, aliter aliterque tractandus erit.

ORD. II. GEN. III.

MORBILLI.

§. 345. Diversam longe a variolis (§. 328.), ac male quondam in Scholis cum iisdem confusam, *Morbilli* ægritudinem sistunt. Eandem fere hæc ipsa cum illis in Europa ætatem, eandemque fere descriptionis ab Arabibus originem agnoscit. Nec minus hoc exanthema, ac illud, *communem* mortalibus, sed *unica* forte minus, quam variolæ, *invasione* contentum, nec tamen ideo redeuntem tam facile, morbum nobis exhibet. Infantes quoque, variolarum adinstar, frequentius quam adultos, morbilli corri- Nat. morbilli.

piunt : sed nec istis, nec senectuti parcunt; ac rarius *sporadice*, vix non ubique *epidemice*, vel quovis anni tempore, hiemis tamen sub fine frequentius, *contagioso* afflatu in populos dominantur. Sub eadem, qua variolæ grassantur, constitutione, morbilli subinde comparent, aut illas præcedunt, sequuntur; aut eundem simul, quod rarius est, hominem obsidere cernuntur.

Definitio. §. 346. Contagiosum igitur ac primarium exanthema morbilli constituunt, quod, præviis plerumque symptomatibus catarrhalibus, tussi sicca, sternutatione, oculorum pruritu, rubedine, lacrymatione calida, aut & faucium dolore, ac tandem febre; sub finem tertiæ, vel principium quartæ diei, tardius interdum, plerumque sine ullo symptomatum decremento, vel & cum istorum evidenti exacerbatione, ad cutem, præcipue faciei, sub forma papularum, aut macularum, punctulorum rubrorum, seminum lini figuram referentium, — mox vero in pectore, ventre, ac artubus, sub illa macularum rubrarum, pulicum fere morsibus similium, vix tamen perfecte circularium, variolis latiorum, plerumque confluentium, nonnihil asperarum, ac supra cutem prominentium, efflorescit; per suppurationem non terminatur; sed sexta fere die, tardius interdum, exsiccari, ac plerumque per squamulas furfuraceas decidere observatur.

Divisio. §. 347. Prout cætera exanthemata, sic & *morbilli* ex febre sibi conjuncta potissimum divisionis momentum agnoscunt. Ipsum quidem hoc exanthema *inflammatoriæ* potissimum indoli favere consuescit: sed & *gastricam* non raro febrem, ac subinde *nervosam* pro socia admittit; & illic sat *benignam*, licet for-

tem aliquando, — hic vero *malignam*, rariorem quidem, sed variolarum tunc periculis minime cedentem, naturam ostendit. Nec tam *simplicem* morbilli ubique ægritudinem, sed cum aliis quandoque exanthematibus, cum miliaribus, petechiis, ipsisque demum, ut diximus, variolis, — aut cum locali inflammatione, aliisque affectibus *complicatum* hinc inde morbum constituunt. Quæ *morbillos* inter & *rubeolas* ab expertis cæterum in arte viris tradita nuper fuit differentia, hanc nos ex *scarlatinæ miliformis*, aut *pustulosæ* (§. 295.) cum morbillis facili confusione exortam arbitramur; ac cynanche faucium sic dictis *rubeolis* conjuncta, purulentus humor in pustulis contentus, catarrhalium defectus symptomatum, incerta exanthematis eruptio, & cutis hydrops hanc ipsam insecutus, propriam nobis opinionem confirmare videntur. *Spurios*, quos alii viderunt, morbillos conspeximus nunquam.

Quatuor hoc in morbo, ut in variolarum illo, *stadia* observantur: quorum primum, *invasionis* seu suscepti contagii; secundum, *eruptionis*; tertium, *florescentiæ*; quartum vero illud *desquamationis* appellamus.

§. 348. Parva satis interdum febris morbillos comitatur: sed cum hæc major subintrat, inflammatoriam plerumque naturam ostendit. Morbil. inflam.

In benigniori quidem morbo, præter levem coryzam, narium obstructionem, tussim siccam, quæ interdum jam per hebdomadam continuaverant, præter aliquem oculorum pruritum, ruborem, ac aliqualem demum lassitudinem, horripilationem caloremque intercurrentem, aut & somnolentiam, capitisque dolorem, cum pauca siti & anorexia aut levi nausea, vix multa accusat, nec lecto adstrin- Sympt. benign.

gitur ægrotans. Quavis tunc die ad noctem hæc symptomata increscunt, pulsus frequentiores, sed vix pleni aut duri redduntur; ac ad eruptionem usque sine impetu hæc continuant.

Sympt. inflam. grav.

Sub morbo quidquam graviori, atque inflammatoria cum febre manifeste conjuncto, præcedunt fere semper sub majori mentis irritabilitate, symptomata catarrhalia: tussis aspera, sicca, fere continua, cum dyspnœa, raucedo, coryza, sub qua e naribus tenuis, lacrymis fere similis, & acredinem prodens, humor excernitur, sternutatio, emunctio nasi frequens, lassitudo artuum, dolorque lumborum.

Rarius hæc præcedit, frequentius post plures jam dies sequitur frigus cum calore alternans, inappetentia, ciborum aversio, nausea, conatus vomendi, vel interdum vomitus, capitis gravedo ac dolor, oculorum rubor, pruritus, calida ardensque lacrymatio; apud infantes potissimum somnolentia, pavores sub somno; inquietudo, anxietas, palpitatio cordis, cum pulsu frequenti, pleno, aut contracto & duro; sitis multa, ac subinde aliquis in faucibus sub deglutiendo dolor. Sæpius vero diarrhœa, qua præsens forte vomitus plerumque lenitur. Febris interea ad noctem exacerbatur, atque deliria interdum accedunt. Aliqua ad horas matutinas remissio, sed continuante tussi, nisi nares copiose fluant, ferociori; oculi, dolorem licet vix percipiant, a luce tamen, sensiliores, offenduntur, ac lacrymis innatantes scintillant. Similem interim in variolis, ac in ipsis morbillis, oculorum aliquando observavimus conditionem. Ad vesperas denuo caloris incrementum, oppressio pectoris, ac respirationis sub perpetua tussi, difficultas, & vel continuus sopor, vel molestæ vigiliæ occurrunt. Largus etiam ptyalismus ægrotantes accessisse est visus. Multis vero cruor ex naribus, vel

ino, aut mulieribus ex utero, cum levamine symptomatum, — alias tamen nimius, erumpit. Sudor aliquando levis, nec certe tantus, ac apud adultos in variolis, exprimitur; urina fit turbida, albescens; æstus interni, sitis magna, ventris alios tormina divexant. Tertiæ vero diei sub finem, prægressa iterum in quibusdam horripilatione, incendio majori, inquietudine, — vel apud infantes hinc inde, ut in variolis, convulsione, exanthematis eruptio jam succedit, aut ad quartæ principium, — rarius, ac lethali interdum effectu, ad quintam, aut sextam, differtur.

Quam alii *morbillosam sine morbillis febrem* observasse sibi videntur, hanc, licet idem de *variolis* jam constet (§. 331.), nos ipsi conspicere necdum potuimus; ac dubiam, nisi per inoculationem his in subjectis tentatam confirmetur, observationem autamus.

Stad. erupt. Morbillosum scilicet exanthema (§. 346.) nunc in vultu, ad frontem præcipue, ac paucarum intervallo horarum cumulatim efflorescit; brevi vero tempore & ad collum, pectus, abdomen, & artus, maxime ad dorsum, nec tamen, qua parte copiosior est transpiratio, copiosius prorumpit. In facie quidem in racemos, seu corymbos colliguntur papulæ rubentes, ac, digito magis, quam oculo judice, prominentes; ad truncum vero & artus, latiores, ac super cutem minus elatæ, tactu tamen quodammodo asperæ, efferuntur: atque sic paucarum horarum, vel noctis unius spatio, eruptionis hoc stadium obsolvitur.

Stad. floresc. Atque nunc quidem in benigniori morbo symptomata, saltem aliqua, in sat multis remittunt; tussis tamen ac raucedo continuant, nec tam perfecta, ut in benignis variolis, subsequitur remissio.

In graviori vero morbillorum statu, non modo nulla in symptomatibus, nisi brevis forte, aut solius vomitus, anxietatis, remissio observatur; sed tussis ferocitas in plerisque augetur; febris ipsa, dyspnœa, increscunt; defluxio in oculos, somnolentia, intendi; ac sudores interdum olentes, aut diarrhœa, aut, a quo ægrotus aliquantum sublevatur, vomitus biliosus, interdum ischuria, accedunt. Hoc demum sub stadio, quo maculæ ad truncum & artus, ac morbillorum in facie corymbi intense satis rubent & calent, cutis quidem universa quidquam tenditur, inflatur; sed in facie imprimis tumore, in plurimis non tam magno, in aliis tamen conspicuo elevatur, palpebræque tument, ac interdum clauduntur. Ad ipsam subinde linguam morbilli cernuntur hærere.

Per duos, aut tres fere dies hoc in *florescentiæ* statu morbillorum perseverat exanthema; & ad sextam, octavam usque, febris intensa, ac irritationis, inflammationis, catarrhi violentioris symptomata ægrotantem divexant.

Stad. exsiccat. Tandem, quo loco primum erupit, exanthema, ad frontem, genas, labia, & mentum, pallescere hoc ipsum observatur; ac, reliquis adhuc intense rubris in corpore morbillis, facies tamen ipsa jam subsidet ac epidermis exasperatur. Idem sic ordo in cæteris quoque partibus observatur; ac sub insigni nonnunquam pruritu, cuticula in squamulas ac furfures delabitur, & nona fere die, vel, longiori sub morbo, undecima, ex morbillis nil amplius in cute conspicitur. In quibusdam interim subjectis hæc ipsa, quod & nobis conspectum est, sine manifesta epidermidis desquamatione evanescunt exanthemata.

Eodem vero tempore, in ipsis adeo benignis in-

terdum, potissimum tamen in gravioribus morbillis, sæpius non moderantur adeo, quam augentur febris & tussis; dyspnœa increscit, & periculosæ frequenter pluribusque lethalis peripneumoniæ occurrunt symptomata. In aliis diarrhœa succedit, ac per quasdam aliquando hebdomadas extenditur; quæ, si moderate fluat, *criticam* interdum naturam habere; — si vero cum impetu continuet, in perniciem ægroti decurrere observatur. Sic & per sudores, per sputa copiosa, brunoi coloris, & viscida, per urinas abundantes, pallidas, aut sedimento munitas, vel demum per narium hæmorrhagiam, symptomata in multis sedantur; sed impetuosa nonnunquam hæmorrhagia in aliis succedit, ac liberatum jam exanthemate ægrotum exanimat. In pluribus, ac post benignos adeo morbillos, funesta ac phthisin minitans diutissime continuat, aut ex lenta pulmonis inflammatione & exulceratione deducitur tussis, qua plures ab hoc morbo, quam ab ipsis variolis, utplurimum neglecti, consumuntur, trucidantur ægroti. Rarior ab hoc morbo, sed aliquando observatus, est anasarca hydrops. Magna interim, cum hic succedit, *scarlatinæ*, non morbillosi exanthematis, prægressæ suspicio manet.

§. 349. Frequenter satis morbilli sub constitutione *gastrica* exorti febrem, quæ ex hac nomen suum assumit (§§. 98. 99.), ut variolæ (§. 333.) cæteraque exanthemata faciunt, pro socia sibi eligunt, ac ejusdem legibus subjecti illa ipsa symptomata, quæ *gastricas* constituunt (§. 98. — 105.), offerre consuescunt. Ipsa quidem ab exanthemate excitata super nervis irritatio, Medicis & hic non raro imponit; sed attentus in dominantem ægritudinem, in illa, quæ morbum præcesserunt, comitantur, & Morbill. gastr.

quæ in aliis ab hoc ipso jam liberatis contigerunt, observatur, a falsis vera non difficulter separabit; ac frequenter in morbillis, si vel solum excipiatur exanthema, gastricam præter febrem, nil morbi inveniet.

Morbill. cum feb. nerv.

§. 350. Similia de febre *nervosa*, morbillis, licet rarius, ac in variolis, hinc inde tamen conjuncta, dicantur oportet. Insignem vero tunc morbus lethalitatem habuisse, ac integras interdum provincias devastasse est visus; & quamvis tam infensæ mortalibus febris symptomata ex dictis (§. 87.—91.) jam pateant abunde, ipsa tamen rei, quam pertractamus, auctoritas, ut brevem maligni hujus morbi ac succinctam tradamus ideam, exposcit. Sub ipsis quidem morbillis, qui *inflammatoriam* graviorem (§. 348.), aut qui *gastricam* (§. 349.) sibi adsociarunt febrem, aut neglectis, aut methodo perversa tractatis, sub fine non raro *nervosæ* superaccedunt symptomata: sub lethali peripneumonia, sub diarrhœa profusa, exanthemata livescunt, nigrescunt, hæmorrhagiæ irremediabiles, ac alia, quæ maligna dicuntur, observantur phœnomena; sed de morbo jam ipso principio malignitatem prodente hic sermo nobis est, ac in isto sequentia imprimis observanda occurrunt.

Stad. invas.

Catarrhalibus & hic symptomatibus orditur morbus, quæ ipsa jam majori ferocitate, aut sub ferinæ, convulsivæ tussis phœnomenis, pectori sat diu insidiantur, antequam funesti virus in homine se prodant indicia. Tunc vero singularis mox, nec a plethora, nec a gastricis saburris, aut evidenti alia ex causa pendens prostratio virium, tristitia, mœror, timidique, aut de salute desperantis animi dejectio, observantur. Horror diuturnus, aut ossa con-

cutiens frigus ægrotantem invadit, aut insecuto jam febris calori superadditur novum. Calor nunc & æstus internorum augetur, capitis gravedo, aut summus dolor, vertigines, oculorum rubor, lacrymatio, inquietudo, anxietas, lipothymia, somnolentia, accedunt. Multos nunc aut vomitus continui, cardialgiæ, aut diarrhœa, cum fœtidissimis, aut cruentis dejectionibus, & cum molestissimo tenesmo, invadunt. Alios orthopnœæ, ac peripneumoniæ malignæ (§. 190.), — cynanchis alios, & quidem nervosæ, ulcerosæ (§§. 175. 296.) symptomata divexant. Hos impetuosa mox narium, pulmonum, stomachi, vel & ani, uterique hæmorrhagia, — illos deliria phrenitica, taciturna, tremor artuum, tendinum subsultus, vigiliæ continuæ, aut sopor comatosus, aphonia, aggrediuntur. Altera hæc die augentur, si possunt, symptomata; atque hac ipsa jam, -- aut si febris vix non deesse videatur, & extrema virium vitalium dejectio sic jubeat, nonnisi quinta, aut sexta, aut tardiori die, *invasionis* hoc stadium, interdum cum morte, terminatur.

Secunda igitur quamplurimum die, hac in maligna morbillorum specie, exanthematis, sub convulsionibus interdum, contingit eruptio, ac ad omnes hoc partes cum impetu exploditur. Nec tamen igitur symptomata vel quidquam remittunt; cardialgia, vomitusque continuant; rubent magis scintillantque oculi; tussis sicca, dyspnœa augetur; calor, oppressio, anxietas increscit; cutis est arida & ignea; siccantur, ac livescunt cum siti insigni fauces, lingua impuro obtegitur muco, aut protinus siccescit; celeriter nunc pulsant, sed debiles, tremulæ ac inæquales, arteriæ; maxima simul virium prostratio se prodit, exanthemata mox livescere, petechiis maculisque commisceri, aut omnia a cute di- Stad. erupt.

sparere cernuntur; quo facto, deliria, convulsiones, alvi fluxus dysenterici succedunt; urina pallescit, sopores, subsultus tendinum, peripneumonia, faucium orisque ulcera oriuntur.

Stad. floresc.

Quo igitur morbillos stadio florere oporteret, hoc diræ ægrotum premunt angustiæ; febris nervosæ symptomata continuant, ac momento quovis exacerbari cernuntur. Hinc plures *exsiccationis* nec attingunt quidem stadium: sed gangræna partium, oris, buccarum, pharyngis, pudendorum, vel convulsi, syderati, suffocati occumbunt.

Stad. exsiccat.

Nec minora ab exanthematis desquamatione ægrotantem circumdant pericula. Quod enim sub inflammatorio illius statu tam frequens est symptomatum augmentum (§. 349.), hoc, sub maligno morbillorum habitu, immaniter increscit. Post quatuor nempe vel sex lividioris florescentiæ dies, calor quidem ac sitis, hac ipsa disparente, mitigantur, ac oculi siccescunt; sed pectoris oppressio, anxietas, difficultas spirandi, inquietudo, tussisque molesta, inanis, continuant, augentur. Pulsus debiliores inordinati redduntur, profusa sæpius diarrhœa, quod virium superest, prosternit; ac superaddita his miseriis deliria instantem jam mortem annunciant. Interea nunc furfures, nunc integra epidermidis frusta a cute separantur; ac in plerisque exanthemata tam profunda in cute vestigia relinquunt, ut ad cicatricum, quas variolæ inducunt, similitudinem accedant.

Feliciorem his sub angustiis exitum speramus, si cutis madescat, si dyspnœa, anxietas, inquietudo decrescant, si tussis moderetur, ac viscida, copiosa materia per sputa reddatur, si plures ad labra pustulæ efflorescant; aut si copiosum albumque in urinis non paucis deponatur sedimentum. Sed mul-

ti, qui morbum superasse creduntur, sat longo ab hoc ipso tempore ex phthisi pulmonum, aut tabe, diarrhœa, aut infelici metastasi, succumbunt.

§. 351. Alias vero ipsa morbillorum febris aut cum gastricis, aut cum nervosis mox *complicatur* symptomatibus, variisque sic ansa porrigitur a consueto hujus morbi decursu aberrationibus, *Inflammatoriæ* sic febris cum *nervosis* affectibus intricatæ memorabile exemplum in nobilissimo non ita pridem conspeximus juvene. Quo scilicet tempore variolæ morbillique simul in hac Insubria, permultis lethales, sub rheumatica constitutione grassabantur, robustus hic, sed pedum nocturnis hinc inde spasmis seu *crampo* subjectus adolescens, die 28 Januarii 1790 lassitudinem persentit, perhorrescit. Hæc ad alteram usque continuant diem: sequitur calor cum horrore alternans, oculi parum rubescunt, aliqua sternutatio, nariumque obstructio; pulsus pleni, sed molles, paulo frequentes. Ad noctem sudor sat magnus. Die tertia, febris non remittit; tussis nunc parva & sicca exsurgit; oculi subrubent, hinc inde sternutat: sed capite non dolet, nec difficulter respirat, nec oris ulla accusatur amarities, nec nausea, nec sordes in lingua comparent; ad noctem febris augetur. Quarta, hæc minor est hesterna; paucæ ac rubræ ad mentum pustulæ, — sub vesperis latiores ad thoracem maculæ, comparent. Sequitur diarrhœa, & ad noctem sanguinis e naribus fere libra sub tussi ac inquietudine effluxit, nec in insulam concrevit. Quinta, blande transpirat, febris moderata, tussis adaucta, plures in pectore nunc maculæ prodierunt; cessat diarrhœa; sed cruor iterum e naribus, cum aquæ calidæ per caput decurrentis sensu, atque aliqua in lipothymiam propensione, destillat. Ad vesperas fe- Morbill. compl.

bris increscit, sed tussis moderatur. Sub nocte calor augetur, gulæ dolor accedit: sed somno fruitur ægrotus. Die sexta, sanguis iterum ad libram e naribus prorumpit, ac in vase susceptus concrescit. Pulsus nunc pleni, sed molles, frequentes; dolor nullus ad caput, vix ullus ad fauces; respiratio, si tussim excipiamus sat multam, liberrima. Morbillorum nunc plura in cute observantur exanthemata, oculi prurientes, ac rubri. Ad vesperas horripilatio succedit, augetur calor, arteriæ pleniores, ac frequentius pulsant; facilis respiratio. Augetur morbillorum ad thoracem, ac nova comparet ad brachia eruptio. Rarior quidem tussis, sed magna nunc pectoris oppressio, difficultas spirandi succedit. Tunditur hinc vena, sanguinisque educitur libra. Aliqua post hoc lipothymia, cum jactatione, difficultate spirandi, ac pulsu parvo, inæquali insequitur; mox vomitus accedit, a quo pulsus insurgunt, ac minus frequentes, pleniores redduntur. Sanguis tenui mox corio obducitur. Sub optimo, ut videbatur, ægrotantis statu, novæ mox ac prioribus graviores lipothymiæ inopinato ordiuntur; sed insecuto demum quatuor horarum somno, hæ turbæ sedantur. Die septima, tussis minor, respiratio facillima, sternutatio, licet perviæ nunc & liberæ existant nares, frequentior; pulsus molles, pleniusculi. Sed hac etiam vix elapsa nocte, copiosa morbillorum, ad faciem iterum & brachia, sed & ad tibias & crura, contigerat eruptio. Versus meridiem denuo satis gravis respirandi ægrotantem difficultas, post horæ interim quadrantem cessans, invadit. Solvitur jam alvus, vomitusque cum emolumento subsequitur amarus; sed redit mox suspiriosa ac difficilis, mox iterum in facilem commutata, respiratio. Pulsus nunc pleniores, frequentiores, calor major, ac dolor ad oculum, va-

riolis quondam sat male tractatum, comparent; facies rubra, non tensa, ac tussis moderata, sed tendinum subsultus observantur. Post meridiem, suspiriosa iterum ac difficilis in facilem, naturalem, & mox ex hac in illam, convertitur respiratio: sed post quatuor modo horas jactatio magna, binique amaræ materiæ sequuntur vomitus. Remittunt nunc iterum symptomata, & alvus sponte excernitur; post paucas vero horas, convulsio spastica tum faciem totam, tum manus pedesque invadit, ac altos exprimit ægroto clamores. Sequitur hæc tertius nunc vomitus, alvumque denuo exonerat ægrotus. Porrigitur liquoris anodyni, laudanique liquidi, quadrihorio quovis repetenda, portio: sub quorum usu pacantur symptomata, ac levi manuum prægresso frigore, morbillorum rursus in superficie augetur copia. Ad noctem oritur molestus in ore non sicco siccitatis sensus, ac hauriendi potus sine siti necessitas: quam novæ mox inquietudines, respiratio suspiriosa, defectionis sensatio, brachiorum, manuum, genuumque convulsio ac spasmus, excipiunt. Pulsus, nec fortes, nec debiles, centum in primo minuto ictus vix superant; nec ulla nunc tussis ægrotantem divexat. Post horam somnus & facilis respiratio: sed insomnio, ac amissi sanguinis fallaci idea excitatus, debilitatem accusat, ac lipothymias futuras veretur. Has tamen nec pulsus, nec alia prædicunt symptomata. Morbilli ad faciem copiosi, adhucdum rubent; in thorace aliqui pallescere videntur. Desideratus tandem ab opio inducitur somnus. Die octava, urina turbida, jumentosa, cutis subhumida, calorque minor, respiratio libera; sed tussis sicca recrudescit aliqua. Morbillorum jam imminuitur rubor, & paucas post horas tum sudor universalis, copiosus fœtidusque insequitur; tum puriforme ac multum in urinis præ-

cipitatur sedimentum. Ab his mox febris fere omnis disparet, ac viscida quædam per tussim sputa screantur. Pruritus nunc major, quam ipsa sub exanthematis eruptione, in cute sentitur. Arescunt plures in facie morbilli; ad noctem somnus, &, quæ per totum hunc morbum paucissimæ fuerunt urinæ, hæ magna satis minguntur in copia, ac die nona sedimentum leve ac furfuraceum deponunt. Hac die, sub febre vix ulla, tussis iterum augetur, nec sputa sequuntur. Ad faciem nunc tandem desquamatio succedit, simul dolor in aure dextra acutissimus insurgit. Hunc interim decem horarum somnus sopivit, ac decima sequente die sudor iterum sat magnus prorupit; quo pectoris artuumque morbilli sine ulla epidermidis desquamatione evanescunt, ac sub largo urinarum fluxu, nocturnoque sudore, salus integra tandem, post paucos a morbo dies, restituit ægroto.

Hoc igitur pacto morbilli cum varia tum febre, tum aliis nonnunquam *complicantur* affectibus; ac magnam certe Medentis in causas istorum & effectus attentionem sibi exigunt.

Causæ. §. 352. Tam communis inter homines, ac ipsæ sunt variolæ, ægritudinis rationem, non minus, quam de istis fatebamur (§. 335.), ignoramus. Proprium hic iterum contagium ex ægrotante in sanum, ad certas distantias, favente tum aere, tum necessaria hoc ad virus suscipiendum dispositione, translatum subesse, sat clare perspicimus: sed acredinis naturam ac primam originem, nisi vanæ cui sufficiant hypotheses, indicare nequimus. Summam quidem hoc virus, *catarrhalis* adinstar materiæ, cum membrana mucosa tam narium ac faucium, quam asperæ arteriæ, ac bronchiorum, affinitatem ostendit: nec tantum a *scarlatinæ*, cum morbillis ab Au-

doribus sat diu confusæ, exanthemate, effectu distare observatur; sed utriusque acredinis diversa certe in multis natura est; & sicut *catarrhalis* quocunque non tempore eundem sibi hominem frequentius submittit, nec in cutis superficiem operatur materia, sic *scarlatinæ* illa tam fixis ad cutem diebus nec unquam erumpit; tum habitu externo distinctam, longeque pectori infensam minus, nec tam extensam inter omnes, ac sunt morbilli, sed faventem magis *anasarcæ* ægritudinem repræsentat. Cum *scrophuloso*, quod alii putarunt, acri, nos quidem morbillis affinitatem non lubenter concedimus.

§. 353. In genere morbum plerumque leviorem morbilli sistunt, ac sæpe sine quovis artis auxilio apud plebejos in salutem terminantur. Interim, quod de *scarlatina* datum est (§§. 295. 298.), hoc & de *morbillis*, feliciter licet jam superatis, valebit monitum: reliquias scilicet istorum magis, quam exanthema ipsum, ægrotantibus esse timendas. Quæ nempe cutis hydrops in illa, — hoc copiosa in istis tubercula, vomicæ pulmonum, peripneumoniæ, ac phthises, hæmorrhagiæ, sudores colliquativi, diarrhœæ chronicæ, gutta serena, ophthalmiæ, corneæ obscuratio ac ulcera, vel aliæ metastases, glandularum infarctus, atrophia, caries, ac interdum gangrænæ, inducunt pericula. Rarius hæc a morbo leviori, — sed post malignum frequenter occurrunt; nec in illo morbi partem spernendam *reconvalescentia* constituit. Tam præceps, quam tarda nimis exanthematis eruptio, graviores indicare morbillos consuevit; sed vel simplicissimam ægritudinem tum calor nimius, tum frigus incaute admissum, in perniciosam convertunt. Ab eruptione febrem moderari ac tussim: hoc, sicut perrarum, — sic salutarem

Prognosis.

ægrotantibus exitum promittit. Sed quovis sub exanthematis decursu febris ipsa rem decidit. Quam scilicet, variolis licet rarius, *nervosam* sibi morbilli, favente huic cœlo, adsociant (§. 350.); hæc strages, quas illæ vix edunt, ac funera centena *maligna* sibi parat. Ex ipsa jam, quam dedimus, istorum descriptione, hæc satis discrimina patent. Sed *inflammatoriæ* interdum febris huic acredini junctæ, ac forte neglectæ, aut calidioribus irritatæ effectus, infensos morbillis exitus præparare cernuntur. Summus ad cutem calor, nimiusque exanthematis, oculorum rubor, dyspnœa major, tussisque ferina, deliria, coma somnolentum, ac impetuosa cordis ac carotidum pulsatio, hos magis confirmant. Tumidus ægroti aspectus, morbilli pallidi, subflavi, lividi, aut atri, — vel intermixtæ his ipsis petechiæ, ac maculæ sanguineæ, faucium, ut in *scarlatina* (§.296.), gangræna, copiosus ac vi morbi expressus sudor, aut hæmorrhagia effrenis, diarrhœa profusa, aut dysentericus alvi fluxus, extremitatum frigus, — si plura ex istis concurrant, vicina mortis pericula prædicunt. Plures ad nonam fere morbi diem, — tardius non pauci hoc a morbo necantur. Majora in adultis, & quas spirituosi potus delectant, discrimina occurrunt. Præceps morbillorum ad interiora reversio innumera ægrotantibus damna inferre consuevit. Diarrhœa moderata, aut abundans urinæ fluxus, hæc ipsa prævertunt. Biliosus ab eruptione jam absoluta vomitus quamplurimis conducit; tussis ex sicca in humidam, — nisi tarda, & suspecta, conversio, ac vaporosus in cute mador lætiora prædicunt.

C. morb. benign. §. 354. Vix aliam morbilli, qui benigne incedunt, quam levior scarlatinæ morbus (§. 299.), medelam

exspectant; nec atmosphæræ hic frigus, in variolis tam proficuum, ægrotantibus conducit. Sed & nimius hic calor obest, & ab exæstuante regimine, a præpostero corporis vix desquamati refrigerio, a neglecta in reconvalescentibus tussi, quamplurima in illis, quos sponte sanasset natura, discrimina resultant.

Sub mitioris hinc morbi aspectu, frigida sibi caveat ægrotus ab aura, ac majorem transpirationis, quam in variolis, curam solicite assumat. Extremus simul vitetur calor: leviter coopertus in lectulo quiete decumbat, oculosque a luce defendat ægrotus. Pro potu, lac aqua remixtum, infusum sambuci cum lacte, istius serum, decoctum hordei cum oxymelle, aut tenuis emulsio, — leviora pro victu, conducunt.

Sub *inflammatoria* morbillos comitante febre (§.349.), jam in primo illorum stadio, atque in tenerioribus adeo infantibus, unicum in venæsectione remedium ponatur oportet. Hac enim non impeditur, sed promovetur exanthematis eruptio; & profusæ nimis, quas natura hinc inde excitat, præcaventur hæmorrhagiæ. Major istius erit necessitas, cum, sub tussi violenta & arida, quasi pleuriticus thoracis dolor, ponderis in pectore sensus, cum gravi dyspnœa, ac potioribus peripneumoniæ signis (§. 186.) occurrant: quo certe in casu, venæsectio, pro ætatis, virium, ac vehementiæ febrilis ratione, repetenda, & quæ alibi docuimus (§. 198.), auxilia sat prompte, non tamen sine quovis ad exanthematicam ægritudinis naturam respectu, subministranda sunt. Tenellis ac primæ ætatis infantibus sanguisugæ post aures positæ interdum sufficient; sub gravior i tamen malo, nec in istis venæsectio præteriri sine damno potest, ac sanguis hoc in stadio emissus, ab illo, quem fundere peripneumonici solent, non observatur diversus. Morbill. inflam.

Tepidus aquæ vapor, decoctum antiphlogisticum, emulsio Arabica cum nitro, collutorium emolliens, ac faucium ariditatem & spasmum demulcens linctus, clyster, præcipua hic constituunt remedia. Quod si, factis jam venæsectionibus, effrenis ad noctem tussis urgere continuet, tunc emulsio Arabica cum haustus narcotici (N. XXXVII.) uncia, aut cum opii grano unico, remixta conducet.

Quocunque vero morbillorum sub stadio inflammatoria ægrotantem divexant symptomata, & vel facta jam exanthematis in cutem depositione, vel ejusdem ad interiora reversione, vel sub media epidermidis desquamatione, mox ad venæsectionem, & ad prædicta recurrendum est auxilia: nec ob tussim aridiorem, & sputorum visciditatem, aut defectum, ad irritantia, ut vocant, pectoralia, ad kermem mineralem, oxymel scilliticum, sine damno recurritur; sed illa, quæ relaxant, demulcent, ac inflammationi resistunt, potissimum indicantur.

Facta jam cutis desquamatione, aut disperso sine ista exanthemate, leve interdum evacuans, ex manna sero lactis soluta, conducet.

C. morb. gastr. Si cum *gastricæ* febris symptomatibus (§§. 100. — 102.) morbilli jungantur, tunc probe distinguendum est, num hæc ipsa, quod frequenter contingit, ex sola nervorum per contagiosam materiam irritatione, vel a consensu dependeant. Insignem hoc in casu ab emeticis ac purgantibus noxam patientur ægroti; sed sub anni constitutione biliosa, sub evidenti signorum ex saburris apparatu, lene, incipiente vix morbo porrectum, emeticum, ac blanda intestinorum ope mannæ, vel olei non rancidi evacuatio, potissimam curæ partem constituunt, ac difficiles sub morbi fine diarrhæas, ipsasque hæmorrhagias potenter avertere, exanthematis in cutem depositio-

nem promovere observantur. Sub quovis hæc remedia indicari possunt morbillorum stadio, ac febris hic major, quam exanthematis, quod de variolis jam dictum est, habenda est ratio.

Hinc & sub *nervosæ* febris cum morbillis ingressu (§. 350.), in istam quævis ponenda est attentio, ac ea ipsa fere, quam in malignis consuluimus variolis (§. 342.), adhibenda est methodus. A venæsectione igitur & ab antiphlogisticis hic protinus abstineatur remediis, ac quovis sub stadio, nisi pectoris forte summa oppressio ac spirandi difficultas absterreat, ad Peruvianum confugiendum est corticem. Sub majori dyspnœa tussique arida, in succiplenis subjectis, ad cucurbitulas, inter scapulas applicandas, — in aliis, ad vesicantia, sinapismos, ad serpentariæ virginianæ, senekæ radicum infusa, ad pulveres ex kermete cum camphora, ad vapores ore hauriendos, recurramus oportet. Sub virium dejectione majori, præter sat generosas laudati corticis doses, vinum imprimis cordiale, camphora, arnica, contrajervæ radix, vesicantia in auxilium trahantur. Sub majoribus nervosi systematis turbis, a moscho, ab æthere vitriolico, ac ipso demum ab opio, — in genere vero ex illis, quæ in *nervosæ* febris cura laudavimus (§. 94.), subsidia petantur. C. morb. malign.

§. 355. Fortioribus, quæ hoc in morbo occurrunt, symptomatibus, ex eorundem indole ac origine cognitis, opportuna cuivis opponantur remedia. Summa hic oculorum imprimis habenda est ratio, ac positis in loco obscuro ægrotis, si forte major ad illos pruritus ac dolor observentur: aut infusi aquæ sambuci vapor, aut tepida ex lacte ac malvæ decocto fomentatio, conducent. Sub majori forte oculorum phlogosi, ac sub deliriis, inflammationem encephali Sympt. cura.

hoc sub signo facile minantibus, tum hirudinum ad tempora, tum cucurbitularum post aures scarificatarum, ac aliorum, quæ febris natura indicabit, requiritur usus. Sub graviori faucium affectione, demulcens linctus (N. XXXVIII.), aut collutorium, ac frequens vaporis aquosi inspiratio, hirudines, linimentum volatile, cataplasma emolliens, vel & rubefaciens remedium ad collum, indicantur. Vehementiori ac somnum omnem dispellenti tussi, nisi latens in pulmone id vetet inflammatio, haustus narcoticus cum emulsione Arabica porrectus medetur. Sub effræni ac fere continuo vomitu, nisi ab exanthematis eruptione moderetur, similia, ac imposita epigastrio theriaca, conducunt. Diarrhœam profusam lac vaccinum, ut de variolis jam dictum est (§§. 339. 342.), porrectum, vel & opium, cohibebunt. Nimiam forte in morbillis hæmorrhagiam, quemadmodum jam alibi (§§. 97. 342.) docuimus, sed caute, compescimus. Si forte ex intestinorum phlogosi hic fluxus derivetur, tunc unicum venæsectio subministrabit remedium; ac abdominis fomentatio, clyster emolliens, dolores moderabunt. Quæ vero diarrhœa nec vires deprimit, nec fere aliam, quam ex saburris originem agnoscit, hæc nullis sedetur oportet remediis. Si morbilli ex cute evanescant, ac grave quoddam ab istis symptoma succedat: tunc habita causæ, quæ exanthematis reversioni subest, atque effectuum ratione (§. 290.), nunc venæsectio, nunc balneum, nunc vesicantia, nunc alia indicantur remedia.

Sic &, facta jam cuticulæ desquamatione, pro varia febris prægressæ ratione, nunc, præter majorem transpirationis curam, vel nulla, — vel contraria sibi protinus, ut venæsectio, evacuantia, diuretica, roborantia &c., prout de scarlatina jam mo-

nuimus (§. 305.), requiruntur remedia. Similia de tussi, ac lenta febre ex morbillis reliqua, dicantur oportet: in qua nunc parvæ, sæpiusque repetitæ venæsectiones, evacuantia, antiphlogistica, vel & opium, nunc cortex, setacea, nunc lichenis Islandici, nunc lactis cum aqua selterana remixti usus, conducunt.

§. 356. Cum vero tam fatalem hominibus morbilli, quam ipsæ variolæ, hinc inde morbum offerrent, iisdem timoris inducti principiis hunc sibi quidam, ut variolas innumeri solent, per artem communicari, ac se *inoculationi morbillorum*, quin ideo multi hoc felicioris licet exitus exemplo ad ausus similes excitarentur, submitti voluerunt. Sanguinem nempe ex cutis, quam confluentes morbillorum maculæ obsidebant, vulnusculo susceptum, ægrotantis salivam, aut lacrymas, aut desquamatæ epidermidis furfures, gossypio suscepta, sani hominis aut læsæ, aut etiam integræ cuti admovendo, infricando, morbillosum huic virus inserere, ac mitiores hoc ipso morbillos, quos præsens forte maligna epidemia non daret, communicare valemus. Sed cum rariores longe morbilli, quam variolæ, strages edere consuescant, hinc nova operatio, a pluribus neglecta, augmentum non cepit, nec vigente indolis benignæ morbillorum constitutione, aut contagio a civitatibus exule, ut majoris res ponderis commendari meretur. Aliud vero, quotiescunque *maligni* apud vicinos grassantur morbilli, dicendum erit; ac non minora tunc istorum, quam variolarum, inoculatio, mortalibus promittit beneficia. Inocul. morb.

ORD. II. GEN. IV.

PEMPHYGUS.

Definitio. §. 357. Exanthema, quod a Recentioribus *Pemphinx*, aut *Pemphygus*, vel & *febris bullosa*, *vesicularis*, appellatur, in febre nunc ista, nunc illa, rarius sine manifesto ejusdem indicio, sub forma vesicularum pellucidarum, serosarum, flavescentium, variolarum, nucis avellanæ, aut ampliori extensione elatarum, in cute nunc universa, nunc partis modo unius aut alterius, efflorescit, brevique tempore aut in duram ac verrucosam substantiam corrugatur; aut ruptum, & seroso lymphaticoque liquore liberatum, maculas ex rubro lividas, vel atras, crustis varii coloris hinc inde cinctas, nec nisi raris in casibus foveolas, aut cicatrices, relinquit: — hoc nobis exanthema *Pemphygi* sub nomine venit.

Divisio. §. 358. Huic igitur generi exanthematum (§. 357) non minus vix cognitum veteribus, posteris sat raro, & nobis ipsis nonnisi bis conspectum morbum, — quam *variolas*, quas *spurias* nominare placuit auctoribus (§. 329.), atque sic rariorem sane, nec facile epidemicam ejusdem morbi speciem, Recentiorum *pemphygum*, — & frequentiorem alteram, variolis nec quidquam, nisi habita externo ac nomine inepto affinem, subjugamus; primamque speciem *pemphygum ampliorem*, — secundam vero *pemphygum variolodem*, eamque aut *vesicularem* (variola spuria emphysematica, aut crystallina, aquosa, varicella auctorum), aut *solidescentem* (variola spuria verrucosa, acuminata, sicca, dura, ovalis Auct.) appellari vellemus. Illam quidem, plerumque ut symptomaticam, ac febris utplurimum vel

gastricæ, vel *nervosæ* effectu progenitam, atque hinc vel ut *benignam*, vel *malignam* agnoscimus; ultimam vero speciem (P. variolodes) propria fere cutis, ac contagii specifici, sed a variolarum illo distincti, actione generari opinamur. Ipse, quem *ampliorem* vocavimus, pemphygus, nunc sine febris interdum ac morbi alterius manifesti connubio, nec tamen ideo semper insons, sed interdum malignus, efflorescit; nunc, casu certe rarissimo (§. 359.), *hystericam* habere indolem observatur. Quem *Helveticum* alii dixerunt pemphygum, hic ad *scarlatinæ* speciem *ulcerosæ* (§. 296.) pertinere videtur.

§. 359. Qui igitur ex febre propullulat pemphygus, ille, miliarium, petechiarum adinstar, vel *inflammatoriæ*, vel *gastricæ*, vel *nervosæ* adipiscitur naturam, ac incertis sane morbi principalis diebus, sub malignorum, vel, ut semel nobis se obtulit, sub non tam gravium symptomatum *gastrico-nervosorum* cohorte, bullarum aut hydatidum sub forma in cute sine manifesto emolumento, ac interdum cum morbi ipsius augmento, erumpit. Hoc ipso tamen, quo typis præsentem de pemphygo articulum committimus, vir robustus triginta annorum, gravi morbo affectus, in *clinico*, cui præsumus, *Instituto* decumbit. Tertia hic ægritudinis die, secta jam semel in nosocomio vena, a nobis eligitur curandus. Gravem ægrotus in hepatis regione dolorem, ab attactu adauctum, cum febre vehementi, pulsu durissimo, pleno ac frequenti, nobis offert. In dextro hypochondrio non parva tensio, sed tussis nulla, nec major, licet sub inspiratione ad hepar dolor increscat, respirandi difficultas, nec scapulæ aut claviculæ consueti in hepatide cruciatus occurrunt. Mox sanguinem sat copiosum e vena

Pemph. ampl. febrilis.

profundimus, qui corio brevi tempore obductus coagulatur. Jam dolor ad hepar disparet, ac insigne ad thoracem pondus cum tussi, ac singulis peripneumoniæ vehementioris symptomatibus, comparet: hinc continuante sic morbo, & crescente in dies discrimine, ad duodecimam usque pervenimus venæsectionem. Sed decima tertia rebellis ægritudinis die; manuum tremores tendinumque continui subsultus, cum summo ægroti pallore, ac magna debilitate, observandi occurrunt. Hæc interim, cum eadem in pulsu durities, eademque respirandi difficultas urgerent, non adeo curamus symptomata; & ad decimam quartam usque morbi diem ter iterum venam aperimus: quo tempore calor ac dyspnœa quodammodo imminui, ac sputa tenacia facilius prodire, videbantur. Decima sexta vero morbi non parum jam declinantis die, *pemphygus* ad dorsum, quo forsitan loco jam heri efflоruerat, nobis tandem se prodit, atque copiosæ, solitariæ ex albo flavescentes, tenui sub epidermide fluctuantes, ac levi cutis rubore sat late circumseptæ pustulæ, avellanæ magnitudinem habentes, non pellucidæ, sed subalbo, puriformi liquore repletæ, a media fere spina ad os sacrum usque utroque ex latere prorumpunt, ac corporis in dorso decumbentis pondere hinc inde compressæ flaccescunt. Ad noctem nova iterum, ad coxas extensa, pustularum minorum, variolis maturis fere similium, ardentium, jam dicto humore puriformi plenarum, contingit eruptio. Quas heri conspeximus hydatides, hæ jam fere omnes conciderunt, ac tenui, flavescente crusta obtectæ, vix ullam in cute ambiente rubedinem ostendunt. Sputa simul ægrotus multa puriformia cum facilitate ejecit, ac febris vix non omnis evanuit. Hic igitur ægrotus *pemphygi*

vere *critici* rarissimum, ut opinamur, exemplum offert, ac ad nullam hoc exanthema febrem restringi confirmat.

Varia autem humoris in phlyctæna contenti, nec tamen vere purulenta, conditio observatur; ac ad basin vesicæ nunc rubor, nunc nulla in cute comparet mutatio, sed ardor ac dolor plerumque sentiuntur. Post paucos vero dies contentus in vesica humor aut resorbetur, ac epidermis quasi combusta arescit, in crustam contrahitur, & in squamas demum aut furfures fatiscit: quo in casu infelix visceribus metastasis perniciem subinde minatur; — aut, rupta hydatide, humor idem exstillat, ac similes, quam in erysipelate pustuloso (§. 282.), mox crustas producit, ab ichore vero subtus latente cutis ipsa hinc inde corroditur; aut inflammatam saltem lividamque, decidentibus crustis, superficiem ostendit.

Rarior sine febre pemphynx existit, atque tunc vel benignum, vel in casu, quo febris deesse *videbatur*, malignum, ac paucos post dies lethalem fuisse, observationes testantur. Pemph. apyr.

In sacra virgine, convulsionibus hystericis a multis jam retro annis vehementer vexata, hoc ipso, quo hæc scribimus, tempore, in urbe vicina, sanitate, ut videbatur, restituta, jam sæpius in parte nunc ista, nunc illa, dolor ac ardor tam insignis excitatur, ut ægrota *vivum sibi ignem hanc corporis ad plagam applicari*, per horas modo sex, modo decem, & ultra exclamet, ac præ dolorum vehementia in ejulatus continuos rapiatur, ac furiat. Ad attactum pars ipsa, ardoris sedes, præ aliis calere observatur; sed quæcunque aut frigida, aut alia applicantur remedia, ardor idem dolorque continuant; donec, quo loco hæ præcipuæ urgebant, vesica nunc minor, nunc ovi magnitudinem adæquans, sero Pemph. hyst.

limpido ac flavo repleta, e cute exsurgat: quo facto, mox ardor disparet, ac evacuato humore, tam cita, quam a vesica per cantharides inducta, cutis ac sanitatis recuperatur integritas.

Pemph. variolodes.

Quas *spurias* appellant, *variolæ*, seu *pemphygi variolodes* pustulæ, hæ, imprimis *vesiculosæ*, cum variolis aspectu conspirant; & cum eodem, quo istæ, tempore regnare consuescant, incautis pro hoc morbo, aut pro *secundis* variolis frequenter imponunt: sed, sub febre mitiori, secunda jam die, utplurimum in dorso, apud alios in facie, nunc simul, nunc impetu diviso, discretæ erumpunt, & ad pisi magnitudinem, late circa marginem rubræ, citissime excrescunt. Post nychthemeri fere spatium, jam seroso replentur ac turgent liquore, nunc pellucido, aquoso, nunc flavo, nunc puriformi; quarta, aut quinta fere die rumpuntur, tenuique crusta obtectæ, hanc ipsam tam cito objiciunt, ut vix unius hebdomadis, aut minori intervallo, jam omnis, — non præservans interim a variolis, ægritudo terminetur; nec foveas, nisi raro, in cute relinquat. Quas *solidescentes* vocavimus ejusdem speciei varietates (§. 358.), illæ quidem tum verrucosæ, tum acuminatæ, & ovales, ob liquidæ materiæ defectum, a pemphygo excludendæ viderentur: sed æqualis cum *vesicularibus* decursus, consueta cum istis societas, ac cita, non sine prævia ubique exulceratione, exsiccatio, easdem a pemphygo separari non sinunt.

Causæ.

§. 360. Non aliæ *pemphygi amplioris* ac *febrilis* causæ, quam illæ miliarium (§. 324.), & febris, ex qua ille scaturit, subesse videntur; ac istius non minus, quam *non febrilis* speciei, ad primas non raro vias origo hærebit. Nervorum interim imperio

non pauca debentur exanthemata (§. 276.); atque pemphygi exemplum *hysterici* (§. 359.), ac observata sine febre hujus morbi malignitas hoc ultro confirmant. Quam *pemphygus variolodes* agnoscat genesin, hoc obscuris involvitur tenebris; sed quamvis hunc variolarum non raro delectet societas, vix tamen illum ex degenerato istarum semine derivare licebit.

§. 361. Ex ipsa morbi, de quo loquimur, exposi- Prognosis
tione (§§. 358. 359.) ejusdem jam satis eruitur significatio. Frequentius pemphygo cum febribus *nervosis*, quam cum aliis, connubium videtur: & hinc major exanthematis in quibusdam jam satis intelligitur lethalitas. Qui febre caret, hic raro cum discrimine pemphinx incedet. Nulla certe *pemphygum varioloden* circumdant pericula: sed ne cum *abnormi variola* (§. 332.), a qua minus, ac ab alia, abludit, confundatur cavendum est.

§. 362. Experientiæ propriæ parum in *pemphygo* Cura.
ampliori curando offerendum habemus. Quos cum *gastrico-nervosa*, & cum *inflammatoria* incessisse conspeximus, hos remediis, quibus febri succurritur, non aliis curavimus & ipsos; & sic morbo principali major, quam exanthemati, attentio vix non ubique concedenda videtur. Si forte vehemens ad cutem irritatio compareret, aut gangræna huic ipsi accederet: tunc methodum in pustuloso erysipelate commendatam (§. 290.), & quæ in grangræna laudavimus (§. 136.), remedia, ex analogia profutura crederemus. Insignes *aceti bezoartici* in epidemia, quæ *Pragæ* quondam grassabatur, observatos effectus miramur quidem: sed hos explicare non magis, quam negare non audemus. In *pemphygo hysterico*

(§. 359.), præter alia, ab experto jam medico porrecta antispasmodica, opium proposuimus cum moscho: sed num recto id fecerimus consilio, hoc tempus docebit. *Pemphygus variolodes*, nisi cum alio forte morbo complicatus, vix alium sibi, quam naturam, pro medico exposcit: ac victu moderato, potu diapnoico ex infuso sambuci ac lacte parato, vel & haustu salino, ac blando interdum purgante, superatur.

ORD. II. GEN. V.

APHTHÆ.

Natura et diversitas.

§. 363. *Aphtharum*, ut *symptomatis febrilis*, alibi jam frequens injecta est mentio; & nisi tales, aut nisi aliorum forte morborum, ut syphilidis, scorbuti, dysenteriæ effectu, in *adultis* hæ ipsæ perraro comparent. Sed alia hujus affectionis apud *neonatos* est ratio: ut in quibus hæc ipsa, febre non raro anterior observatur, ac *idiopathicam* in multis naturam ostendit. Quæ vero in illis aphthæ febrem ut symptoma sequuntur, hæ vix non *endemicam* sub cœlo humidiori ac frigido manifestant indolem; ac meridionales apud populos sat raro, nec viso nobis a septem nunc annis in *Italia* exemplo, occurrunt. Infantum aphthæ in orphanotrophiis, corotrophiis, hoc sub cœlo non minus, quam sub alio occurrunt. *Epidemicam* certe & aphthæ febrium sequuntur naturam, atque sub certis anni constitutionibus, quod de petechiis, miliaribus, jam diximus, evitari per artem vix queunt. *Nervosæ* interim, atque *gastricæ*, maxime vero *pituitosæ febris* (§. 101.), societatem hæ quærunt, ac neglecta in illis saburræ abdomina-

lis evacuatione matura, vel exhaustis a morbo viribus, lubenter occurrunt. Num vero recto aphtas ad exanthemata revocemus consilio; de hoc, eo quod suam in pelle externa sedem vix figant, dubitare quis posset: ast forte unicum hoc, de quo satis constet, *exanthema internum* appellari meretur: ac præter oris, labiorum, gingivarum, buccarum, palati, linguæ totius, ac pharyngis superficiem, — in œsophago, ventriculo, intestinorum tubo, ad ani demum confinia, ac ad ipsa genitalia, effloruisse, experientia confirmat.

§. 364. Hinc *aphthæ* symptomaticum in adultis, apud infantes primarium plerumque *exanthema internum*, ad oris præcipue antrum incerto tempore prorumpens nobis offerunt: cujus natura in papulis subalbis, cinericiis, sub epidermide elevatis, subrotundis, lenticularibus, vel minimis, glutinoso ac puriformi liquore repletis, nunc solitariis, nunc in pellis figuram coalescentibus, mox in crustulas deciduis, moxque renovandis, consistit, & cujus effectu ciborum in ore subactio, aut lactis suctus, deglutitio, difficulter & non sine dolore absolvi queunt. Definitio.

§. 365. Aphtharum non eandem ubique sunt symptomata: sed pro morbi aut *primarii*, aut *secundarii* natura, ac pro febris, quam aphthæ sequuntur, indole, diversa observantur. Symptomata.

Infantes, imprimis neonati, quos hic morbus invadit, aspectu quidem sani, mox somnolenti, aut prorsus insomnes, ac inquieti, arreptam vix labris calentibus dilectam alias mammæ papillam fastidiunt, atque ploratu dolorem, difficilemque lactis suctum, deglutitionem significant. Interea copiosior in multis urinæ excretio contingit, ac alvus minus, quam an- Aphth. primar.

tehac, respondet. Augentur anxietas, inquietudo, ejulatus; sitimque majorem uberum frequenti amplexu, — sed simul obstacula sugendi, toties repetita mammarum repulsa, exprimit misellus. Calorem oris, buccarum, vel ipsa matris persentit papilla, digitusque huic cavo commissus siccescentem linguam, ac aridos salivæ fontes offendit. Alias vix haustum, urgente siti, jam vomitu restituunt, lac grumosum; aut bilem sinceram oris cavo expellunt, ac febris interna urentis symptomata produnt. Post tres, quatuorve jam dies, paucæ hinc inde ad labia, gingivas, ad linguam, aphthæ prorumpunt; ac sub continuo symptomatum augmento, sub privati alimentis ac somno corpusculi tabescentis ac pallidi effectibus, sub imminuta tandem urinæ, nunc acrioris, ac lixiviosæ fluxu, sub diarrhœa viridisque ac fœtentis alvi excretione, sub pertinaci singultu, voce rauca, clamores suffocante, copiosiores in ore siccissimo erumpunt, decidunt, iterumque renovantur, se mutuo tangunt, in pergamenam quasi chartam confluunt, faucesque obducunt ac claudere minantur pustulæ, primum quidem albæ, ac margaritarum fere referentes nitorem; tandem verò flavæ, cinerescentes, fere bruneæ, aut lividæ, excoriatæ, cruentæ, fœtentes, ac, mortem lentam prædicentes, atræ.

Aphth. sympt. Quæ in adultis, aut in tenera etiam ætate, sub febribus diversis, imprimis gastricis, pituitosis, aut gastrico-nervosis, sub dysenteria, diarrhœa chronica, prorumpunt aphthæ: hæ tempore incerto, ac sub vario principalis morbi apparatu, citius tardiusque in conspectum prodeunt. Sæpius, priusquam hoc fiat, singularem ægrotus in epigastrio oppressionem, aut rei in œsophago hærentis sensationem accusat, singultum experitur frequentem, ac tandem de fau-

tium dolore ac impedito ciborum potusque transitu conquestus, in his ipsis, depressa lingua, *ascendentem* ex profunda pharynge aphtharum cohortem ostendit; ac imæ primum fauces, linguæ radix, mox velum pendulum, uvula, palati fornix, gingivæ, ac totum sic oris antrum, crusta alba, densa, splendente, subjectis partibus nunc laxe, nunc tenaciter adhærente, obducuntur. Alias ipso in oris cavo principium morbi manifestatur, ac aphthæ, primum discretæ, sensim sensimque confluere, ad fauces dilatari, ac, docentibus id partium sensu molesto, ardore, dysphagia, dein nausea, epigastrii oppressione, singultu, per œsophagum ad ventriculum *descendere* videntur. Insignem non modo aphtharum copiam quotidie per alvum excretam, sed & aphthas a morte his partibus, intestinis tenaciter adhærentes, observarunt alii; & præsens in multis aphtharum ad anum numerus, ac summa intestinorum ex iisdem deciduis sensibilitas, facilisque a levi purgante hypercatharsis, obsessam aphthis, & excoriatam, horum viscerum superficiem testantur abunde. Post breve interdum tempus, oris hæ pustulæ jam sedem suam, ac illæsam, ut videtur, nitidamque linguæ, orisque substantiam, vel sponte, vel linteo abstersæ, sub copiosa in multis salivatione, relinquunt; sed paucis ab horis, bis, terve in dies renatas, cum aliis has ipsas conspeximus; ac per multas sic dies decidunt, redeuntque, vel fixe his partibus adhærent: donec aphtharum colore ex albo in cinereum, obscurum, vel & atrum mutato, ac siccissima, nigraque oris antrum obtegente crusta, sub voce deleta, tussi sicca, respiratione difficili, ac brevi, sub continuo fere, ac suffocationem minitante singultu, interdum sub tenacissimæ pituitæ, aut bilis porraceæ vomitu, sub abdominis meteorismo, ac fœtidis-

sima diarrhœa, facie pallida, cadaverica, lentam properetur ad mortem; ac oris, faucium, œsophagi, ventriculi, intestinorumque, gangræna, desideratum ægrotis vitæ miserabilis imponat terminum.

Causæ. §. 366. Aphtharum febrilium causæ ab illis febrium, sub quibus occurrunt, & a miliarium, petechiarum rationibus (§§. 317. 324.) vix differunt. Utplurimum neglecta sub morbi initio saburrarum evacuatio, aut incognita constitutionis annuæ natura, huic phænomeno ut causæ subsunt; ac frequenter ex præpostero adstringentium opiique in dysenteriis usu hæc mala ad fauces nascuntur. Hinc specifica in producendo hoc exanthemate non requiritur materia; ac in ipsis adeo intermittentibus, in febre lenta & hectica, sub mercurialium usu, scorbuto, sub morbillis ac variolis frequenter hæ pustulæ diverso ab acri oriuntur.

In pueris neonatis meconium, tenui ac blandè evacuante matris colostro, aut medicamento opportuno non satis expulsum; lac pingue, aut nimium, stomachoque grave, aut mala qualitate infensum; tenacia, teneroque puerorum ventriculo non subigenda alimenta; præmaturum lactis in ore pueri ad ubera obdormientis coagulum, neglecta oris, totius corpusculi, velamentorum, linteorum, atmosphæræ ipsius mundities, transpiratio suppressa, facileque pedum in pueris refrigerium &c., ut aphtharum causæ adduci merentur. In genere hic morbus in orphanotrophiis, paidocomiis, hominumque miserorum, immundorumque familiis frequenter, rarius vero apud infantes, quibus ora, corporisque superficies quotidie purgantur, occurrit.

Prognosis. §. 367. Magna mortalitatis apud neonatos ratio in aphthis habetur, ac endemicum fere istæ in pai-

docomiis ægritudinem sistunt. Quo vicinior partui ægrotulorum est ætas, eo majora ex aphthis pericula his imminent. Sat levis interim in multis hic morbus observatur; ac sub recta cura, hic sæpe duarum, triumve, spatio hebdomadum non difficulter superatur. Ex ore sugentis infirmo, in uberum papillas, & ex istis in sanæ prolis fauces, non raro aphthæ transire observantur. Sine proximo contactu communicari hunc morbum, non facile concedimus. Febrilium aphtharum, ex illa morborum, quibus istæ accedunt, petenda est prognosis: & cum raro, si unquam, hæ *crisin* efforment; quæ in febribus aphthæ comparent, majora sane istarum pericula significant. Sub quavis interim aphtharum specie, quo partibus profundius inhærent, — quo plures simul ex istis propullulant, — quo propius sibi cohærent, ac magis imas obtegere fauces, & ex œsophago ad ventriculum, intestina descendere, aut ex istis ad pharyngem ascendere videntur, — quo tenacius palato adhærent, — quo sæpius revertuntur, & quo major ab illis ardor, dolor, aut tussis, difficultas spirandi, sugendi, deglutiendi occurrit, — quo siccior oris sub aphthis est conditio, — color istarum quo magis ab albo recedit, — quo major oris excoriatio ac fœtor insequitur, — quo fortior illas diarrhœa circumdat, corporisque vires quo magis labescere videntur: eo majora hoc ab exanthemate ægrotantibus pericula instant, eoque certior ægrotantium per tabem lentam, per convulsiones, aut per ipsam gangrænam prævidetur interitus.

§. 368. Aphthas infantum primarias prudenti prævenire consilio, medicorum est. Potissima hinc in causis (§. 366.) evitandis, prophylaxeos momenta ponuntur: ut quæ in matura evacuatione meconii, Cura.

in lactatione materna, aut in nutricis non adultæ, sanioris, ac sobriæ, non iracundæ delectu, in recta alimenti pusionis ætati, constitutioni, analogi distributione, in summa tum oris, tum corpusculi totius linteorum, atmosphæræ munditie ac puritate, quærantur oportet. Plebejas nos sæpe matres cum fructu ora prolium linteis, lotiò non acri istarum madefactis, abstersisse conspeximus: sed simplex ac purior hic jam sufficit frigida; vel, cum oris jam calor major, aut mucositas hoc exigat, tunc præmisso uno alterove enemate, ac balneo, præter lene emeticum, post hoc vero mitissimum ex cichorei syrupo cum rheo, aut ex manna, evacuans, cum sacchari pauxillo in aqua soluto, aut cum raphani hortensis acrioris succo his ipsis aut melle remixto, oris cavum lavari ac frequenter abstergi conducet.

Præsentibus vero jam aphthis, tum interna, tum externa indicantur in pueris auxilia. Ab irritantibus certe hoc rerum sub statu abstinendum est. Emulsio Arabica (N. XV.) sacchato, aut syrupo althææ edulcorata, pro medicina, — ac, si qua diluatur, pro potu infantibus peraccommodato & nutriente inservit. A medicamentis nutrici, nisi hæc ipsa ægrotet, porrectis, pro pusione nil boni expectamus. Si aphthæ per œsophagum cum interioribus communicare, ac ventriculum, intestina obsidere, videantur: tunc *dauci carotæ*, aut *rapæ sativæ* succus, aut radicis salep, seminum lini contusorum decocta aquosa cum melle remixta conducunt. Si tormina, diarrhœa, vel convulsio infantem divexent: tunc abdominis fomentatio, ac haustus narcotici (N. XXXVIII.) emulsioni Arabicæ superaddita portio indicantur.

Externa pro aphthis remedia apud infantes non sine discrimine, quod singula deglutiant, adhibentur. Mel despumatum, aut cum rosis, ut solent, deco-

ctum, vel & syrupus mororum, cerasorum, cum acido vitrioli, ad gratum saporem, remixta, atque ter quaterve in die aphtharum superficiei illita, egregie conducunt. Vitriolum album ad grana decem, in aquæ tepidæ unciis octo solutum, si aphthæ aliquoties in die cum eodem abluantur, similia præstabit. Confirmatæ in aphthis virtutis est *borax* cum melle remixtus: hujus igitur ad scrupulos fere duos cum uncia mellis remixti, pluries in die infantis linguæ superimponitur portio; aut idem remedium in aqua solutum, superaddito melle, oris cavo sæpius illinitur. Parva quoque ejusdem remedii dosis ad stomachum hincinde deducta utilitatem habebit.

A quovis interim fauces aut stomachum irritante remedio, sub prima aphtharum efflorescentia, si dolor ac rubor has ipsas circumdet, abstineatur oportet. Similia de morbi, quo aphthæ deciderunt, monenda sunt stadio: sub quo scilicet, ob sensilissimam nudæ fere cutis naturam, tum novam in oris cavo phlogosin, tum indomabilem ad intestina hypercatharsin, irritantia excitarent. Ad mucilaginem hinc Arabicam, radicis salep, seminum cydoniorum, aqua tepida solutam, ac melle edulcoratam, aut si vomitus, vel diarrhœa jam urgeant, ad emulsionem Arabicam cum opio, seu haustu narcotico combinatam, recurrimus solerter.

Quæ cum febre incedunt, aut ex eadem apud adultos, infantes, oriuntur aphthæ, hæ, præter localia, quæ vix adduximus, variis, pro natura illius, tractandæ sunt remediis. Si febris, quæ tamen rarior est, *inflammatoria* hoc exanthema comitetur: tunc venæsectionis, hirudinum, ob aphthas, non excluditur beneficium. Sub *gastrica* symptomatum natura, major emeticorum, blandorumque purgantium, sub ægritudinis principio, observatur efficacia. Si

nervosæ febris, quod frequenter contingit, cum aphthis est connubium, ac si livescentem istæ, aut subatrum jam ostendunt colorem: tunc Peruviano majus a cortice tum interius porrecto, tum vero exterius cum acido vitrioli aut salis atque melle admoto, exspectetur subsidium; atque singula, quæ his febribus conveniunt, auxilia quærantur.

FORMULÆ MEDICÆ

IN §§. PRÆCEDENTIBUS CITATÆ.

N. XXXIII.

Spec. *pro foment. sicca.*

Recipe flor. sambuc.
Chamomill. ana Manip. duos,
Camphoræ rasæ drachmas duas.
Misce.

N. XXXIV.

Decoct. Cort. Peruv.

℞. Cort. Peruv. elect. unciam unam, coqu.
Cum aqu. commun. libra una.
Col. unciarum octo, adde
Syrup. Cort. ejusdem unciam unam.
M.

N. XXXV.

Decoct. Cort. saturatum.

℞. Decoct. Cort. Peruv. uncias octo,
Extract. Cort. ejusd. unc. dimidiam,
Syrup. Cort. ejusd. unciam unam.
M.

N. XXXVI.

Syrupus acido-mineralis.

℞. Acidi vitriolici tenuis unciam unam,
Syrupi violarum uncias quatuor.
M.

N. XXXVII.

Linimentum Camphor.

℞. Camphoræ rasæ unc. dimidiam,
Solve in
Ol. amygdal. recenter expressi unciis duabus.
M.

N. XXXVIII.

Haustus narcoticus.

℞. Opii puri granum unum
Solve in
Aquæ destillatæ uncia una.
M.

Finis Libri III. et Tomi III.

DE
CURANDIS HOMINUM MORBIS
EPITOME
PRÆLECTIONIBUS ACADEMICIS DICATA

AUCTORE

JOANNE PETRO FRANK.

TOMUS QUARTUS.

VENETIIS

1816

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI MOLINARI.

DE
CURANDIS IMPETIGINIBUS

LIBER IV.

CLASSIS QUARTA.

IMPETIGINES.

GENERALIA DE IMPETIGINIBUS.

§. 369. Magnam efflorescentiæ, quas *exanthemata* sub nomine hucusque (Lib. III.) delineavimus, cum cæteris affectionibus, quæ humanæ cutis lævitatem, nitorem, integritatem deturpant, similitudinem ostendunt; & hanc ob rationem mox ab illis, istarum non incongruens nobis videtur consideratio. Sed cum exanthemata febrium plerumque castra sequantur, atque harum devicto furore plerumque dissipentur & ipsa; vel saltem, dum sine febris auxilio ad cutem illa proruperunt, breviori hic mora divagentur, nec primariam facile in pelle ægritudinem constituant: hinc ad aliam certe morborum classem hos *diuturnos* cutis humanæ affectus referri oportet; & cum nomen desit, quod illam satis exprimat, & ab exanthematum familia distinguat; *Impetiginum* illud hunc ad finem potissimum, atque cuivis tum generi, tum speciei adaptatum esse censemus. Ad *cachexias* hæc classis morborum a Nosologis, ut nos quidem opinamur, sine fundamento demandatur; nec enim morbi cutanei tam evidenter ex *malo corporis*, ut ajunt, *habitu* originem ubique sumunt, ut non *localem* sæpe, atque cum nullo humorum vitio sociatam offerre ægritudinem cernantur; ac manifesta in multis cachexia, color cutis fœdus atque a naturali quamplurimum recedens, immunem ac intactam prorsus in multis pellem esse sinit. Notio gener.

Definitio. §. 370. Hinc per *impetigines* propriam nos morborum classem intelligimus, quæ cum cachectico, ut vocant, habitu frequenter quidem, — sed & sine hoc non raro incedit, ac in diuturnis plerumque cutis aut maculis, aut aspredine, papulis, vesiculis, squamis, fissuris, crustis, aut demum in spontanea integumentorum exulceratione, vel & variis excrescentiis consistit, ac febrem, nisi *secundariam*, pro comite sat raro agnoscit.

Ipsa certe exanthemata, cum *chronicam* induere naturam observantur (§. 275.), ad *impetigines* revocari nil impedit; atque non raro illa, dum, flore vix non perenni, sine febre, in cute persistunt; in istius magis contextu, quam fluidorum in vitio, originem agnoscunt. Plures quidem morbi cutanei, exanthematum in modum, febrium hinc inde *crisin* efformare, atque evidentem cum istis affinitatem ostendere videntur: sed præter illud, quod *impetigines* ad interiora repulsæ febribus non paucis occasionem largiantur, atque, dum naturæ, vel artis auxilio ad superficiem revehuntur, non criticum exanthema, sed ægritudinis cutaneæ, seu causæ febrilis, ad antiquam, ex qua depulsa fuerat, sedem repristinatæ nobis specimen exhibeant; diuturna hujus efflorescentiæ in cute perseveratio lentusque sine febre progressus, impetiginum ab exanthemate quovis differentiam abunde manifestant.

Doctrinæ obscuritas. §. 371. Cum vero sat claram *exanthematum* imaginem quotidiana eorum in febribus observatio, ac major circa has ipsas Medicorum industria nobis offerant, fateamur oportet, *impetiginum* illam tam densa oculis hucusque caligine nascondi: ut major eorum, qui de his diffusius egerunt, verborum profusio, difficultatem rerum auxisse magis, quam solvisse videa-

tur. Ardui scilicet laboris opus est, morborum tam inconstantium, tam longorum, tamque diversis sub formis in cute luxuriantium, fidelis descriptio; atque huic rectius tradendæ, pictorum potius penicilli, quam, cui colores desunt, scriptorum calamus, pares esse videntur. Quæ non immaturi adhuc in cute morbi ab eo, qui pleno jam flore hanc occupat, aut in eadem jamjam marcescit & exsiccatur, diversitas observatur! . . . . Quam varius non unius ejusdemque morbosi seminis hoc in agro progerminantis aspectus est! . . . . Aut quam sibi similes non causarum, indole sua diversissimarum, in corporis superficiem furientium, effectus in hac ipsa occurrunt! . . . Atqui in hoc ipso tam inconstanti ægrotantis naturæ sermone latet morborum, qui cuti adscribantur, & causarum, quæ illos inducant, inexhausta apud scriptores multiplicatio; rerumque unius ejusdemque penitus originis atque indolis, pro diversissimis inter se affectionibus, prolixa Nosologorum enumeratio, ac indigesta prorsus nominum confusio.

§. 372. Interim, cum simpliciori *impetiginum* expositioni nos ipsi studemus, non minor nobis causarum, ex quibus illæ pendent, obscuritas ac incertitudo obest, atque ea nos potissimum difficultas premit: quod cutaneorum pars magna morborum, aliarum potius affectionum *symptoma*, quam idiopathicam hujus organi ægritudinem constituant. Illæ tamen *impetigines secundariæ*, exanthematum symptomaticorum vix non observantes naturam, cum primariis cutis affectibus confundi non debent; atque sic integumentorum maculæ, ecchymoses, vesiculæ, ac ulcera, quæ ex ictero, scorbuto, viscerum infarctu, ex luis venereæ viru, ex scrophuloso, aut rheumatico acri, aut alio ex morbo, *secundarie* gi- I. Diversitas.

gnuntur, licet cutem insigniter deformdent, ad istum tamen magis, quam ad *impetiginem primariam*, revocanda erunt; ac methodo non alia, quam quæ morbo, ex quo pendent, conducat, superantur. Hinc minor longe, ac a Nosologis recenseatur, *cutaneorum* morborum est numerus, atque pars major istorum calido sub cœlo delectatur, ac *endemicam* sæpius naturam in istis observat. *Contagiosam* non paucæ impetigines, quo solo potissimum dominantur, indolem ostendunt: sed in aliud transvectæ, mutata rerum quæ novo incolæ favebant, positione, contagium deponunt, atque vel a causis plerumque obscuris eodem sub cœlo, sine illo, foventur ac persistunt; aut temporis successu exstinguuntur in totum. Aliæ tamen impetigines, licet multis eodem in loco communes, ex causis tamen similibus oriundæ, contagio observantur expertes: atque aliæ *universam*, quo late patet, cutem adoriuntur; aliæ nonnisi partem istius *locales* invadunt, atque vel fixa ad pellem potiuntur sede, vel ex una in alteram incertæ divagantur. *Internas* quoque dari impetigines, ex chronicarum inflammationum, quæ viscerum superficiem vix penetrant, — ex macularum, phlyctænarum, papularum, ulcerum superficialium, -- ex epidermidis, materiæ puriformis, ichorosæ, per trachæam, nares, intestina, per urethram, copiose excretorum, -- ex aphtharum, acuti licet morbi, historia, & ex retropressæ, ac redeuntis impetiginis externæ effectibus, conjicimus. Non rarum est, impetigines certis anni temporibus redire; ac in genere tum vere, tum æstate potissimum recurrentibus, cutaneorum abundantior est seges morborum. Alii ex istis, qui tamen vix non ubique ad symptomaticos spectant, *periodice* prorumpunt, ac menstruorum, hæmorrhoidumque naturalem aut consuetum

typum, *habituales*, fere sequuntur. Quod ad divisionem ex causis petendam spectat, paucæ quidem impetigines *primariæ* prævium sibi humorum vitium, licet adultæ hoc ipsum valeant inducere, necessario exposcunt; ac illarum hinc cura *internis* sollicite nimis tentata remediis, plerumqne successu frustratur. De *secundaria* aliud dicendum est impetigine: atque licet hæc ipsa in *primariam*, longiorem post moram, abire & possit, & soleat; nihilominus princeps in hac *complicata* impetigine pertractanda consideratio medentibus incumbit; atque illa, quæ efflorescentiam repellunt, aut exsiccant, sine damno administrari vix queunt. *Hæreditariæ* impetiginis exempla nobis non pauca occurrerunt: atque plurimæ ex istis, solidorum, seu cutis ex vitio deriventur oportet.

Ipsa vero, quam impetigines in cute sibi eligunt, sedes non ineptum his in rebus exponendis ordinem nobis suggerit. Aliæ nempe ex istis, superficiem quasi lambentes, vix ultra *reticuli mucosi* confines descendunt; aliæ, profundius demersæ, pellem ipsam exedunt, consumunt. Quod si utrumque a quavis, aut neglecta aut mala methodo exasperata, impetigine perpetretur subinde: est tamen manifestus cuivis ex istis a natura concessus character, quo limites sibi ipsis plerumque ponant, atque nunc modo cutem *maculare*, nunc pellem *depasci*, cribrare, ac in ipsa corii humani substantia pertinaciter nidulari observantur.

Alibi scilicet cutis modo aspectus & nitor a naturali abludunt, ac sine magno tumore, vel aspredine, in eadem *maculæ* coloris albi, rubiginosi, lutei, flavi, castanei, cuprei, rubri, bruni, lividi, nigri, aut variegati, comparent; alibi epidermis induratur & callet, aut informis luxuriat; vel aspe-

ratur, siccescit, finditur, ac in furfures, in squamas, aut majora in frusta secedit, ac affines huic pili, vel ungues canescunt, finduntur, complicantur, crassescunt, emoriuntur & cadunt. Nunc pellem inter & cuticulam, in ipso retis mucosi contextu expansus humor hydatidulas, vesiculas, vel acri tenuique, vel puriformi materia prægnantes, inducit; aut vasculorum glomeres atque glandulæ sebaceæ incenduntur, ac in papulas, pustulas, tubercula, abscessulos, mutantur. Nunc demum cutis ipsa, cum subjecta huic adiposa, inflammatur, intumescit, tenditur, distrahitur ac dolet: secretionis hoc in organo pervertitur, depravatur opus, atque rancidum & infestum huic ipsi virus præparatur: quo hæc tot fibris, nervis, vasisque tam mirifice contexta tela cribri in modum exeditur, perforatur, ac in fœtidissimum, malignissimumque ichorem colliquescit.

Interim non singulos hos cutis affectus, peculiari quemvis tractatu, hic nobis considerandos assumimus: sed qui ex illis, ut *calli*, *verrucæ*, *clavi*, *condylomata*, *excrescentiæ cæteræ*, *ungues vitiosi*, *ulcera antiqua*, *ad Chirurgiam* magis pertinent, hos ista vobis jam satis exposuit eximia scientia. De *Trichomate*, singulari, ac *Poloniæ* imprimis endemico, pilorum morbo, nobis necdum ipsis conspecto, quæ alii dixerunt, hic modo repetere, consultum non ducimus; atque sic omnis *impetiginum* materia duos modo in ordines divisa hoc volumine circumscribetur.

Causæ. §. 373. Quæ de origine, rationibus, ac differentia *exanthematum* a nobis dicta fuerunt (§§. 274. 275. 276.), ea, si diuturniorem, seu chronicam causarum in peripheriam corporis actionem, vel prima-

riam, vel secundariam, superaddamus, *impetiginum* generationem ac modum in multis illustrant. Multa, interim, quæ vitiorum cutaneorum naturam respiciunt, hic attentius considerabimus; plurima nos latent, ac futuri solertiam sæculi, -- utinam non inanem! exspectant. Illorum forte, quæ in cæteris animalibus, ac in ipsis plantarum cortice ac foliis contingunt, attentior consideratio non parum quondam hic lucis accendet. Ex animalibus minora non pauca vel ipsam quotannis pellem aut testam sub manifesto ægritudinis, dato tempore redeuntis, apparatu abjiciunt, novaque tunica ab ipso cooperiuntur, non satis intellecta hoc in opere, natura. Quas plurimis hæc ornavit, aviculæ, quo tempore illas amittunt, obmutescere illico, solitudinem quærere, appetitu privari, languere, ac manifeste ægrotare, observantur. Sub minoribus turbis, sed non sine prævia, & fere simili in pelle mutatione, hibernos belluæ ac domestica animalia deponunt crines; atque ipso demum in homine communis est, redeunte vere, epidermidis hinc inde a cute, ac pilorum e capite multorum, separatio. Quod si vero hæc annua naturæ in pellem operatio diversos in ista morbos explicare non queat: in hoc tamen, quod varia, quæ aliis animalium partibus communia haud sunt, in cute contingere demonstrent, a medicis prætervideri non meretur. Pars major morborum arboribus infensorum, primam in cortice, foliorumque externa superficie, ceu vegetabilium cute, originem agnoscit, atque cum illis, quæ animalia, — & cur hac in parte patiantur, collata, cutaneorum effectuum, istisque medendi scientiam ditabit.

Quæ vero utrique viventium classi præcipue insidiantur, sunt: tum impedita illorum, quæ per cutis superficiem, vel sana, vel morbosa, expelli debuis- Transpir. impediti.

sent, exhalatio, sub epidermide effusio, stagnatio, depravatio, ac multiplex a stimulante hac materia irritatio; tum amplissima *parasitarum* familia, quæ, jure quodam dolendo, sed vicissim eheu! viventibus a natura imposito, succi vitalis cum labore ab aliis parati avidissima, beneficæ sese pelli insinuat, ac, ibidem recepta, hanc ipsam depauperat, corrodit, atque devorat.

Immundities. Immundities hinc, frigus sudanti corpori incautè admissum, & quæcunque sensibilissima cutis spiracula constantius obturant, — tum vel communia, vel propria cuivis animalium speciei insecta, non parvam cutaneorum in illis morborum partem sibi vindicant. Alias quidem transpiratio insensibilis, quam quæ cum statera aurificis examinari queant, leges agnoscere videtur: nec homo, socialis vitæ puritati renuncians, nec populus a solita nobis munditie alienus, pluribus adeo gravioribusque cutis subjicitur affectionibus; ut non integræ nationes, contrariis conservandæ salutis momentis instructæ, corpus omne oleo perfundere, cutisque poros hoc ipso opplere sine damno consuescant.

Ast vero, qui continuo corpus robustum labore aut cursu exercent, ac in aura liberiori ruralis vitæ fruuntur beneficiis, hi multas morborum causas, quæ aliorum saluti insidiantur, superare, & unius partis functione, alterius defectum supplere, observantur: nec vel spurcissimus aut undas semper fugit populus, aut, quo natura vel pennigerum cogit descendere vulgus, flumina abhorret. Hinc summa in ordinandis balneis ac thermis tum rituum sacrorum, tum legislatorum ubique cura fuit posita: & si forte ob lanarum apud antiquos, quam recentiores apud populos, quibus linteaminum est copia, majorem usum, major ablutionum urgebat necessitas; fateamur ta-

men oportet, morbos cutaneos non paucos ex. neglecta corporis munditie, ex insana mulierum suspectis faciem jugulumque pigmentis obducendi libidine, & ex abolito balneorum usu, hodiernos apud homines esse derivandos; ac nullibi impetigines, quam apud plebem mendicam, ac impurioribus in habitaculis, frequentius inveniri.

Plura quidem, uti cæteris animalibus, sic & homini molesta sunt, & cutem vel pungendo, vel proprio, quem isti aspergunt, instillant, succo irritare, inflammare observantur insecta; sed propria humanæ cuti & duplex pediculorum est species: quarum prima, infantibus communior, est *pediculus humanus*, qui caput imprimis, & cutem, — altera, quæ pubem, axillas, supercilia inhabitat, ac *pediculus pubis*, seu *morpio* vocatur. Hæc ambo insecta, fertilitate insigni instructa, ac impuros apud homines ad incredibilem subinde copiam adaucta, sub epidermide sese insinuando, cutemque subjectam irritando, pruritum continuum, porriginem, ac fœda ulcuscula producunt. Qua sub læsæ salutis conditione *pediculus humanus* sub universi corporis cuticula, sine impuritatis suspicione, eam ad copiam generetur, ut ex istius poris undique ac acervatim prorumpens, *Phthiriasin* Græcorum, *seu morbum pedicularem* Latin. exhibeat: hoc, virorum fide dignorum observationibus confirmatum, morbi genus propria, quæ nobis deest, experientia illustrare non possumus. Præter *pediculos* vero, ac communem aliis quoque animantibus *pulicem*, *acarus exulcerans* seu *acari* species, homini, ut videtur, propria, saltem ex *acari farinarum*, *acari domestici*, aut alterius, extra corpus humanum existentis, acari familia non derivanda, in recentibus illorum, qui *scabie* aut *psora* infecti sunt, pustulis, ante sæculum in *Italia* reperta, atque tum

Insecta.

ab immortali *Sveco*, tum ab egregio & amico nobis viro *Germano* nuper confirmata fuit (§. 436.). Ex *musca Lepre*, Elephantiasis *Nigritarum* ab eodem illo historiæ naturalis hodiernæ parente, discipuli experientia suffulto, derivata est; sed cum in Græcorum Elephantiasi seu Arabum lepra, vermiculum, ut vocant, celebris alter Gœttingæ examinasset, eundem hic in *muscæ domesticæ* larva, ex ejusdem muscæ ovis, communi ulcerum sorte, huc depositis, oriunda consistere observavit; ac plura certe ex insectis aut simplici escæ animalis desiderio, aut ulcerum cutaneorum fœtore sub æstivis caloribus potentius allectis, sub cuticula, vel in præsentia nec custodita satis ulcera, tum ovula, tum larvas deponunt: quæ loci fotu exclusa, aut vivæ, nudam jam cutem irritant & horrendo aspectu infestant.

Vermes. Sed ex vermium quoque cum insectis non confundendorum classe *Gordius* tum *aquaticus*, vitulorum, equorum, porcorum etiam pulmonibus aliquando infestus, — tum imprimis longissimus interdum G. *Dracunculus*, seu *Vena*, ut dicunt, *Medinensis*, palustrium uterque aquarum incola, tum demum *furia*, ut referunt, *infernalis*, humanam subinde cutem penetrant, ac prope ossa, ad tibias, genua, brachia, quo loco carnes fere desunt, vix unquam ad faciem, tumorem, pruritum intolerabilem, dolores, inflammationem, nisi cautius vermis extrahatur, facile funestam inducunt. In ipsa iterum elephantiasi, quæ *Norvegos* infestat, vermiculus, Gordios ac ascarides inter medius, quem *Gordium marinum* nunc vocant, & ex frequenti his gentibus piscium marinorum victu derivant, accusatus est. Interim præterquod vermes animalis unius speciei, cui proprias jam illorum species natura commisit, alterius domicilium vix quærant, aut in eodem diutius morari non soleant,

ulteriorem hæc observatio confirmationem meretur; nec ea, quæ in parte ægrotante fortuito deteguntur, pro morbi causa haberi mox debeat.

In genere dolendum est, historiæ naturalis partem illam, quæ *parasitica* & fere consanguinea homini animalcula concernit, utilissimam licet magisque necessariam, minus tamen, ac alias omnes, quæ res nobis non tam vicinas respiciunt, hucusque a multis fuisse excultas. Mirum quidem non est, cum *putredinis* ex fonte minora hæc entia Antiquorum derivaret credulitas, majorem illis, quæ fortuita putabantur, attentionem non adhibuisse; &, cum microscopia deessent, eorum oculos quamplurima, quæ nunc admiramur, fugisse: sed a quo tempore & futilis illa de *generatione æquivoca* theoria eviluit, & oculus nova lente armatus novum quasi in vilioris guttula liquoris orbem detexit, parum admodum hac in naturæ provincia perlustranda humana profecit industria; ac si *vermium visceralium* historiam excipiamus, utilitatem Medicina scientiæ naturalis progressibus non est experta æqualem.

Atqui hæc eo quidem fine non movemus, ut *pathologiam*, quam *animatam* dixerunt, & qua morborum contagiosorum vix non omnium, ac ipsius demum pestis, causam in subtilissima, visumque fugientia animalcula, — neonatorum vero atrophiam in *Comedones*, ridicule conjecerunt, ut verisimilem denuo revocare contendamus: sed hoc unum hic nobis concedi optamus, inter causas, quæ cutis morbos rebelles hinc inde producant atque exasperent, tum *insecta* quædam eorumque ovula, larvas, tum *vermes* omnino spectare; atque plures forte, quam nunc, industriæ majoris his rebus impensæ defectu, suspicemur, *impetiginum* species ex *causis viventibus* originem agnoscere. Plures nunc ad viscera,

quam alias credebamus, ac vix non visum fugientes, a nobis ali hospites, fatemur; ignotum forte mundum aliquando in pelle humana quis deteget; ac ignotas forsitan morborum causas propria, alieno semine populata, nobis offeret superficies.

Acria. Aliæ vero morborum causæ humanæ cuti insidiantur: atque huc *acre* quodcunque ex massa sanguinis hoc in colatorium transvectum, aut in hoc ipso, ignotis secretionis morbosæ legibus paratum, pertinet (§. 274.). Summum apud *ictericos* in cute pruritum toties moderari, aut cessare observavimus, quoties sub illo in urinis prius pallidis, aut parum flavis, copiosa iterum bilis, ac lateritium sedimentum comparerent. Ex assumptis copiosius aut sale, aut aromate conditis cibis, qui impetigine laborant, pruritum in cute majorem, quam sub victu minus acri, patiuntur. Magnum renes inter & cutaneæ transpirationis organum, quoad secernendi copiam liquidi, commercium existit; & quemadmodum sub aucto urinarum fluxu, sudores, — ita sub transpirationis incremento, lotii imminuuntur rivi. Sed cum ea, quæ per istos e corpore eliminantur, aut eliminanda fuissent, non raro ipsa, per quæ fluunt, aut in quibus moram patiuntur, receptacula & canales irritare, inflammare, exulcerare observentur; sic & similes ejusdem causæ, cum ad cutem convertitur, effectus esse omnino oportet. Sæpius hinc, cum urina vel cruda magis, vel justo parcior per renes excernitur, saturati magis sudores, — aut, si nec hi quidem urinas supplere queant, irritatæ cutis phœnomena occurrunt: & quemadmodum apud infantes, crusta lactea affectos, ea, quæ urinarum secretionem adaugent, efflorescentiæ non parum detrahere observantur; sic & in senibus, quibus parca est lotii secretio, non paucæ ad cutem mo-

lestiæ, pruritus continui, herpetes, ac ulcera se manifestant. Magna hinc a lixivio illo, quod per urinas excerni debuisset, ad cutem renibus affinem converso, ac ne per hanc quidem rectius excreto, incommoda fluunt; & major, quam solet, dum superficies impetigine defœdatur, urinarum habenda est ratio.

Maxime vero huc acre, quod vel in corpore generatur, vel parentum jure, vel contagio suscipitur, revocandum est: a quo scilicet, valde diverso, ut scrophuloso, venereo, rheumatico, varioloso &c., impetigines *symptomaticæ* complures oriuntur.

Ipsum quidem digestionis opus, quæcunque a sanis adhibentur alimenta, in blandum ac nutrientem chylum convertit; sunt interim, quæ, istis commista, huic scopo resistant, ac indolem sibi propriam nec secundis in viis deponant. Huc iterum aromatica, & alia, quæ cibis superadduntur, condimenta, vel his ipsis inhærentia acrioris aut volatilis naturæ principia, revocentur oportet: ut quæ sanguini copiosius, longoque usu remista, nisi sub vita laboriosa continuo difflentur, arteriosum non modo systema stimulare, sed & corporis peripheriam imprimis petere, irritare, secretiones hic pervertere, ac lympham, otiosi saltem hominis, subtili acredine inquinare valebunt. Hinc aut læsa diutius ciborum digestio, aut talium, quæ mutari, ac animalem in substantiam converti non queunt, — aut quæ vel suspecto, vel stimulante principio abundant, comestio, frequentem apud divites imprimis aulicosque homines, quorum palatum alii, quam artificiali ac urenti quasi stimulo, non amplius respondet, — vel ipsos apud pauperes, qui corruptis aut carnium aut piscium, mytulorum edulium, reliquiis, — qui pane ex farina, seminibus suspectis, aut modo alio,

inquinata, — qui caseo vetusto putrefacto ac acerrimo, -- vel cæpis, rapis, ac allio fere solo vescuntur, frequentem utique impetiginum vel maxime rebellium rationem in se continent.

Bilis. Si quis alius, -- hepatis certe liquor, utpote gustum magis feriens, tingendisque partibus præ alio opportunus, inter præcipuas morborum cutaneorum causas, cum *atra* imprimis *bile*, ab Antiquis repositus, & a Recentioribus non paucis hac in potentia nocendi confirmatus est. Quid corrupta in abdomine bilis in producendis exanthematibus possit, hoc a nobis ipsis expositum habetur (§§. 274. 290.); sed simul hujus causæ fallacias non reticuimus (§§. 107. 288.): ac licet cutem a felleo liquore in *ictero* flavedine obduci videamus; non tamen vel quævis in pustulis vesiculisque cutaneis contenti humoris flavedo, *de bile, ut causa*, testatur. Flavissimas nos in *Clinico Instituto* ad manuum volas pedumque plantas in scorbutica virgine observavimus maculas: quæ instantem alias ægrotanti hæmorrhagiam per nares, pulmones, supplebant, vel, hac insecuta, disparebant, quin vel minimum ad hepar in cadavere defectum conspiceremus; ac in simplici ex cutis contusione ecchymosi, color partis ex atro in lividum, viridescentem, -- tandemque in flavum, *bilis sine culpa*, mutatur. Sæpius vix emissas matrum e sinu proles intense per primos a partu dies ubique rubere, & cocti quasi cancri colorem in cute referre, conspeximus: qui erythemate quasi, ut vocant, correptæ, cutis color, post tres, quatuorve dies, in flavescentem ac fere ictericum abivit, quin pro bilis id effectu continuo cum aliis haberemus: quod in multis neonatorum ab inassueti contactu aeris in cute sensili ac laxa contingit, ac in ipsius interdum epidermidis desquamationem furfuream terminatur.

Quæ vel in sanissimo homine per cantharides excitatur vesica, ea croceo frequentius liquore sine bilis suspicione turget; ac in genere, quæ ex *coloribus*, *odoribusque*, petitur causarum in morbis cognitio, ea falsis plerumque inductionibus fundatur.

Bilem, quæ remoram in cystide fellea longam experta est, resorpta parte illius tenuiori, viscidiorem non modo ac tenaciorem reddi, sed & colorem profundiorem ac atrum, singularemque amaritiem, acrediñem acquirere; atque interdum non modo vesiculam, hepar ipsum irritare, inflammare, exedere, sed & totum systema nervosum in fatalem homini consensum provocare, — aut, in tubum intestinalem effusam hanc amurcam, calculorum felleorum matrem, *liquefactæ picis* adinstar, hunc ipsum, stomachumque obducere, similisque materiæ vomitum aut dejectionem per alvum, sub horrendis torminibus & cardialgia inferre: hoc nemo prudens negabit, atque tum frequens cadaverum sectio, tum instituta nuper ab egregio *Galliæ* Chymico hujus materiæ analysis, abunde demonstrant. Quod si igitur *atram* hoc ipsum *bilem* vocare velimus, aptius certe, quo morbosæ hujus materiæ character circumscribatur, nomen non habemus. Sed ob id ipsum, non omne illud, quod, & colore, & tenacitate huic inspissato humori simile, per œsophagum alvumque rejicitur, aut *atra bilis* est, aut ex eadem originem trahit. Nigræ sæpe fæces & sani deponunt homines; nigro sæpius colore ciborum reliquiæ ab assumptis medicamentis, vel a propria particularum mixtura, tinguntur, aut diuturna in abdomine mora nigredinem eædem contrahunt. Nec rarum est, sanguinem ad ventriculum, intestina, ruentem coagulari, seroque exutum inspissari; &, quod in vasculum, sani hominis e vena, susceptus, ad pelvis fun-

Atra bilis?

dum jam facit, colorem atrum, carboni similem, assumere. Atqui has quoque materias, licet atras atque tenaces, *atræ bilis*, ut faciunt, vocabulo insignire, nominum certe abusum sistit, qui majorem in medicina, quam in alia quavis scientia, noxam inducit. Sed ipsum in vasis suis fluentem sanguinem, dissipatis fluidioribus, crassescere, atque pinguem, magisque terrestrem quasi *fæcem* offerre, — tunc vero *humorem atrabilarium*, *succum melancholicum* largiri, — quod si vero auctus copia, magisque *adustus*, hic humor in partibus hærescat, eundem tunc *atram* iterum nobis *bilem* offerre, docuit Antiquitas, ac recentiorum denuo scholæ hinc inde defendunt. *Lienem* imprimis, ac renes succenturiatos seu *capsulas atrabilarias*, ut *atræ bilis* culinam, illa consideravit; similisque materiæ officinam in venæ portæ systemate non pauci ponunt: ex qua tum flavus ac cachecticus ille hominum melancholicorum aspectus, tum variæ cutis maculæ, -- & ab aucta, atque per sanguinem diffusa *atræ bilis* acredine, vasculorum cutaneorum erosiones, ulcera maligna, cutisque gangrænam derivant.

Subtilius certe, quam in rebus medicis conducat, & ad fornacem excogitata magis hæc de *atra bile* in sanguine generatæ ac fermentantis theoria est. Nec enim cruor per vasa circulans, sicut jus in aheno, spissescit, & sine novi ac recentis liquidi affluxu in rancidam condensatur gelatinam; nec naturæ subsidia desunt, quibus aut recenti imperato potu, aut moderatis suppressisque tenuiorum excretionibus, aut demum resorpto ex atmosphæra liquido, nimiam spissitudinem avertat. Quocunque salutis sub statu vix emissus cruor naturalem fluiditatem ostendit, atque pro varia rerum accidentalium conditione lentius citiusque condensatur: & quæ forte contraria in sic-

cis, melancholicisque hominibus, aut sub febre inflammatoria, instituta referuntur experimenta; ea cum sanissimo non minus, quam cum alio sanguine, nunc sic, nunc aliter, inconstanti successus, ac ab externis conditionibus pendente, lege contingunt (§.125.). In varicibus ultra modum distentis cruorem colligi, ac forte ægrius moveri, non vero prius nisi dempto vasorum lumine, coire, docent enormes ex illarum ruptura sequentes hæmorrhagiæ, fluidique sanguinis in vicina loca effusio. Cessante vero in venis fluxu, quod ex umbilicalium aliorumque vasorum historia patet, inclusus cruor, tenuiori portione resorpta, sine ullo corruptionis signo condensatur, ac in duriorem massam brevi temporis intervallo solidescit.

Ex his igitur apparet, ex fonte bilioso cutem quidem hinc inde aut per consensum affici, aut infenso humore inundari: sed sæpius a medicis impetiginum culpam in hepar insons reponi; atque uberiorem certe causarum, quæ in cutem inveniant, numerum, & diversam admodum earundem naturam, existere.

Nerv. actio.

Ac revera ipsa jam *impetiginum* cum *exanthematibus* affinitas (§. 369.), atque nervorum tam evidens in ista imperium (§§. 274. 276.), *nervosam* in multis illarum originem sine dubio manifestant. Vel *aucta* scilicet præter modum in cute sensibilitas, — vel istius a consueta impressionum perceptione *aberratio*, — vel demum *imminuta* nervorum cutaneorum sentiendi potestas, variorum in cute phœnomenorum in chronicis non minus, quam in acutis, affectibus rationem, intellectu licet difficilem, sat tamen apertam, in se continent.

Sensibilitas nimia.

Major certe in ætate infantili, ac in sexu fœmineo, quam alia quavis sub vitæ periodo, & quam in sexu potiori, est cutis teneritudo ac sensibilitas. At-

qui sub hac ipsa, major utique morbosarum ad corporis superficiem adfectionum conspicitur numerus, & causarum minorum promptior est ac certior in cutem effectus. Sanissimæ genitricis e sinu vix exclusa, sanissima licet, proles, cutis tamen, jam primis vitæ mensibus, non paucis sæpe laborat affectibus: capillata pars omnis calvariæ mox squamis crustosis, prurientibus, obtegitur; post aures epidermis separatur, ac fœtida copiosa sanies exesa e cute per menses destillat; aphthosis oris cavum ulceribus obsidetur in istis; facies in aliis, vesiculis sero flavo repletis, atque crusta, quam *lacteam* dixere, defœdatur, multisque achores & favi & tinea prorumpunt. Cutis, inter plicas, ad collum, axillas, ad inguina & nates, erosa ichorem plorat; ac magna pustularum, papularum miliformium, rubrarum, in corpusculi superficie copia florescit. Crassos quidem hucusque viscidosque in pueris humores, ac acidam, aut aliam in istis acrimoniam, tantorum ut fontem malorum, accusant: sed in multis certe alia istorum, quam in *cutis sensibilitate morbosa*, non subest ratio; ac perperam ad dulcificantia, evacuantia, hic non raro recurrimus remedia. Nec enim, si tanta jam fluidorum labes homuncionem teneret, vel sola natura huic superandæ tam sæpe sufficeret; vel sola matrum solertia, ac frequens cutis teneræ cum frigida ablutio, aut balneum, in avertendis his cutis affectibus jam tanta præstarent; nec hi ipsi *dentitionis* sub opere, prout faciunt, continuo augerentur, aut liberæ hucusque proli, sub hoc majoris irritationis statu, copiose succrescerent; aut delicatulos magis, quam alios, æquali cæterum sanitate instructos aggrederentur infantes.

Vel ipsi adulti, imprimis puellæ, quibus teneram ac albissimam pellem, oculos cæruleos, flavamque,

aut ex flavo rufam indulsit natura comam, vel a simplici radiorum solis verni actione jam maculis notantur, & quasi uruntur ad cutem; vel solius auræ rudioris afflatu jam epidermide spoliantur. Apud mulieres teneriores, ipsa jam conceptio defœdat faciem, ac maculas, quas modo partus abluit, ad cutem inducit. Puerperii potissimum tempore, debilior tunc sensiliorque fœmina in miliare exanthema est pronior (§. 324.), atque ab isto, in chronicam efflorescentiam converso, nonnunquam per annos obsidetur. Qui cute sensiliori cinguntur, illi vel a minimo auræ frigidioris afflatu erysipelate laborant; & ipse vestium, quibus superficiem ab atmosphæræ injuriis solicite nimis defendimus, abusus, ac major ab isto ad cutem inducta mollities, non parvam impetiginum, quæ pellem humanam præ alia defœdant, rationem in se continet. Nec minor est animi pathematum, transpirationis in opere pervertendo, in bilis regurgitatione promovenda, ac in excitanda sensibilitate ad superficiem corporis morbosa, potentia. Vel solus terror fortis jam pilos in cute erigit, juvenisque comam, si vera sunt, quæ referunt, vel temporis momento, in senis illam, seu niveam convertit. Qui anxio res suas animo considerant, hi post aures pruritum experiri ac scalpere proverbio dicuntur. Ex nervorum magis, quam ab acredinis actione, chloroticarum, ac multorum, qui febre intermittente detinentur, ulcuscula & crustas ad genas, labra, aliisque in partibus, corroborantium remediorum effectu proficuo inducti, derivamus. Qui ingratum cute insectum ex alio se suscepisse verentur; hi, etiamsi hoc desit, ad universam pellis superficiem pruritum persentiunt; & cum partem cutis unam ob istum vel sanus homo scalpit, in altera vicina vel ex solo consensu scal-

pendi necessitatem persentit. Ipsæ, cum cutis prurit, scalpendi voluptas, — &, cum hæc negatur, singularis anxietas, nervorum in superficie imperium ostendunt.

Sensibilitas perversa.

Sunt, qui ob cutis sensibilitatem non tam auctam, quam *a communi abludentem*, vel a rerum innocentissimarum contactu, ab emplastri simplicis, aut blandi linimenti actione, jam pustulis, ac erysipelate ad cutem tententur. Sunt, qui a contusione, læsione quavis levissima, mox diuturna hunc ad locum ulcera, sola cutis, non humorum, ex culpa patiantur; ac apud multos, in chronicis etiam morbis, uti frigoris, sic & caloris extremi in pelle sola, sensum a thermometro negari, & in perverso nervorum cutis affectu consistere observamus. Hinc in tabe, in phthisi, ardores genarum, volarum, plantarum, corporis sine æstu majori, ægrotis tam molesti, — hinc volatiles illi in hypochondriacis, hystericis, ad cutem ignes, ac adustionis non modo sensus, sed & quasi effectus (§. 359.); — hinc parva verticis in plaga apud hystericas, glaciei aut nivis liquefactæ ibi hærentis perceptio, hoc ex perverso sensationis principio descendunt, ac impetigines non paucas hoc ex morboso cutis statu derivari oportet.

Sensibilitas imminuta.

Sed & *imminutam* nervorum hac in parte potentiam similes effectus habere, sine dubio asserimus. Tactus certe sensus, ac diversa ab isto, seu communis sensibilitas, per cutis superficiem universam extensa, mutationibus non paucis, ad quas sat raro respicimus, subjiciuntur; & ex infracta, vel penitus deleta nervorum in pellem actione, quamplurima, quæ hucusque non satis examinata fuerunt, phænomena in morbis dependent. Nec ista ex longinquo semper nervorum, aut cerebri ipsius errore,

ut in apoplecticis affectibus, originem symptomatice agnoscunt; sed ad solam interdum cutis pulpam nervosam spectare observantur, ac in parte agendi ac sentiendi inertiam manifestant. Hanc ipsam non modo jam sola epidermidis per labores inducta densitas, aut in cute cicatrix, — sed & diuturna ejusdem compressio, extensio, frigus nimium, aut plurimus sub pelle collectus adeps, vel serosus latex, vel tumor subcutaneus, inducunt. Ea ipsa vero, quæ superficiei humanæ nervis vel ab intus, vel exterius admoventur, potissimum huc spectant. Sæpe ex alluente, aut in atmosphæra humida, uliginosa, contenta, -- vel sub morbis in pellem deposita, ac præcipue nervosam ejusdem potentiam obtundente materia, tum exanthemata (§. 276.), & gangrænæ (§. 130.), tum impetigines, seu maculæ, vitiligines, sensu quovis destitutæ (§§. 452. 455.) oriuntur. Ipsi sudores, qui vel in debilioribus sine causa majore, vel in fortissimo quovis homine, vaporis in balneo, vel demum in ægrotis sub lipothymia, in moribundis, tam profusi prorumpunt: non sanguinis ex vitio, sed ob imminutam vasorum cutis resistentiam, exstillant. Hanc vasorum in cute debilitatem & quasi paralysin, in aliis contagia, miasmata, venena, ac inimica nervis materia, inducunt, atque in *febribus nervosis* (§§. 80. -- 88.), in *elode* (§. 85.), in perniciosa, quam *diaphoreticam* appellant (§. 35.), febre, tum continuus ille, aut colliquativus sudor, tum ecchymoses, maculæ, ac alia quæcunque cutis defœdatio, ex nervorum cutaneorum tenore per causas aut universo corpori, aut solis forte integumentis inhærentes infracto, oriuntur. Non aliter externa, quæ dolores sopiunt, spasmosque sedant, ex opio, plantisque narcoticis, stupefacientibus, composita remedia in cutis nervos

operantur; ac sicut organa gustus, odoris, ac visus in provectæ ætatis hominibus labescunt, ita tactus, & quævis cutaneorum nervorum sensibilitas, a pellis rigidirate senili obsolent, ac impetiginum variarum fundamenta in illa ponuntur. Ex fracta nervorum, &, quibus vitam conciliant, vasorum, in scorbuto potentia, tot maculæ ægrotantium superficiem contaminant; ac non paucæ ecchymoses ex eadem ratione in hydrope provecto ad cutem comparent.

Contagia. *Contagiorum* in pellem humanam actio vel ex ipsa *exanthematum* elucet historia (Lib. III.), ac sola *impetiginum* cum illis affinitas, communem in multis originem, in utraque morborum classe, satis prodit. In quo interim hæc *contagia* consistant, hoc a nobis ignorari fatentes (§. 92.), fatemur simul, nos circa impetiginum, quas contagiosas dicimus, causam proximam non minus cæcutire. Nec magis dubiis hinc inde caret ipsa his in affectibus contagiorum præsentia; ac mutua inter cives morborum propagatio, sicut fomiti ex uno istorum in alterum transeunti deberi, — ita causæ ejusdem, in omnes simul agentis, effectus esse potest. Hinc non paucæ de morborum *contagiis* actæ sunt inter medicos lites: quas *insitionis* nequidem tam valido, ut credunt multi, argumento, satis direptas dolemus. Quod si enim cutaneorum saltem morborum, quod rationi non adeo repugnat, respectu, ex *vivis* seminibus, ac visum fugientibus animalculis, ægritudinum penderet communicatio: hæc vitalis morborum, ac sæpe mortis humanæ causa, cum liquore, quem sanis inserimus, non minus, quam contagia, a nobis posset *inocularí*; atque si cum adulta jam atque *exsiccata* prorsus, quod de *variolis* notum est, hoc opus æque, ac cum recenti pure absolvi, concedatur materia, *animalculorum*

tamen *infusoriorum*, ut vocant, historia, & continuata, post exsiccationem corpusculi, vitalis istius potentia, huic quoque non impar foret solvendo ænigmati. Fatemur interim, nos morborum, contagio celebrium, qui interna non minus, quam superficiem, affligunt, -- qui ex ista, recentes licet, repercussi, difficiles ac diuturnos viscerum affectus relinquunt, -- qui, post longas demum moras, ad cutem iterum cum emolumento expelli, ac istorum sic crisin constituere queunt, non facile *vivas* intelligere causas; atque ipsa, quæ febribus non paucis præsunt, -- quæ veneream luem, jam sanato cutis ulcere, sine novo fomite per annos continuant, — quæ blennorrhœam, — quæ, post multos a morsu canis rabiosi menses, hydrophobiam inducunt, *contagia*, insectorum in his necessitatem ac verisimilitudinem omnino excludunt. Alia vero contagia in solam modo pellem, — alia in cæteras quoque partes, ac in corporis compagem universam, operari cernuntur. Greges ovium integras a scabie infectas, sed alias perfecte valentes, & quarum carnes hominum saluti nec minimum obsint, in provinciis haud paucis observamus; ac ipsa, quæ hominem infestant, psora, pluresque species impetiginum aliæ, nisi in longum protractæ, præter cutem, nil offendere videntur.

Ad impetiginum causas & *plethoram* tam universalem, quam potissimum *cutaneam*, referre nequidquam hæsitamus. Qua scilicet ætate major humoribus in cute molliori vasorum patet numerus, -- qua corporis amœnius floret undique superficies, -- qua magis grato hæc & æqualiori calore fovetur, -- qua candida magis facies vel a sola verecundia rapidissimo velut ab igne accenditur: hac etiam promptior ad pellem cruoris affluxus, uberior perspirabi- Plethora cutanea.

lis ex eodem humoris secretio, atque major ad *plethoram cutaneam* dispositio, quam vestimentis calidioribus, longo mollioris lecti tepore, sudoriferis, spirituosis, volatilibus remediis, ac balneorum tepidorum abusu, non raro augemus, concurrunt. Vel a solo venæsectionis, aut hæmorrhagiæ, quibus adsuevimus, defectu, universalem in cute pruritum persentimus; ac hic ipse, quo lecti calore fovetur corpus, tempore, in succiplenis hominibus, ac in quavis impetiginum specie, plus minus augetur. Frequentissime hanc *artificialem impetiginem*, qua tam vane gloriantur thermarum non pauci medici, in illis *Marchionatus Badensis* observavimus; novimusque sanum ac plethoricum juvenem, qui, fervidiores has aquas per brevissimum licet tempus incaute ingressus, mox quatuordecim, aut plures, in pelle furunculos expertus est. Copiosas adolescentes succipleni, aut qui liquoribus spirituosis indulgent, vel necessario corporis exercitio destituuntur, ad frontem pustulas, -- &, quibus menstrua aut difficilius, aut parcius, quam par est, prorumpunt, puellæ, efflorescentiam vel periodicam, vel constantem, in facie patiuntur. Insignes sæpe, quibus narium hæmorrhagia, aut quibus hæmorrhoides instant, circa nares, ad ani confinia, pruritus accusant; ac periculosa pulmonum plethora, futuram hæmoptysin, ac tussim excitante in bronchiis, trachea, titillatione afficiuntur: quæ singula demonstrant, sensationem ingratam, calorem, ardorem, pruritum, sanguinis, humoris serosi, lymphatici sub epidermide stasin, non istorum ubique vitia, sed frequenter abundantiam aut veram, aut spuriam, vel difficilem significare per vasa cutis progressum.

Calor. Ipse vero, qui in cutem potentius dirigitur, *calor externus*, non exiguam impetiginum partem generare ob-

servatur. Quibus hiberno sub gelu vicinius assidemus, flammæ, hæ largas, lividas, ac diuturnas in pelle maculas inducunt; & a suspecto carbonum accensorum igne, quem, ne flammis faciei nitorem inquinet, sexus sequior sub cruribus tunc abscondit, non fœdas modo in istis maculas, sed plura sibi ad uterum mala adsciscit. Ipsa vero *solis actio*, non *caloris* modo, sed *proprios*, nec satis intellectos, effectus producit. Quamvis enim atrum Æthiopum colorem ex peculiari reticuli mucosi constitutione magis, ac ab unico solis ardore, derivandum esse arbitremur: est tamen manifesta istius non modo in cute profundius tingenda vis & actio; sed in ipsis solis radiis, ac varia, qua in pellem incidunt, directione, latet ignota, nec a sola locorum positione determinanda, potestas. In genere quidem, quo cadidiori sub cœlo vivitur, eo major morborum cutaneorum est ratio; sed illa siccitas in atmosphæra majoris, minoris, — illa, qua solis radii a vicinis corporibus reflectuntur, — ventorum demum, habitationum, vitæ generis, vestimentorumque ratio, hos effectus frequenter immutat. Alia quoque incommoda, ex solius diversitate fabricæ, cutem Æthiopis, alia nostram, tenere videntur: sed, donec fidelis ac diuturna, quemvis apud populum instituta, observatio noctem, qua res istæ involvuntur, dissipaverit, impetiginum accuratior historia a mortalium nemine exspectabitur. Quis nempe, experientia destitutus, ex sola *Insubriæ* positione, & causarum, quibus subjicimur, communium confluxu, ad morbi tot ruricolarum strage infamis, seu *Pellagræ*, ut vocant, hac in parte felici terrarum præsentiam concluderet? Quis radiorum solis, *Insubras* longe minus in alios *meridionalis Italiæ* populos urentium, in expositam sibi cutem tam manifestam, ac simul tam obscuram

actionem, & producendi hac in parte, non in alia, erysipelatis periodice redeuntis, chronici atque maligni potentiam, ex physicæ Geographiæ rationibus prædiceret? ... Atqui, licet *interna* nimis hoc in morbo urgeant symptomata, atque, dissipato jam erysipelate, hæc ipsa frequentius continuent, quam ut eundem ad *impetiginum* classem prudenter referre queamus: est tamen sat evidens radii solaris vernii in accendendo apud prædispositos *Insubriæ* agricultores tam flebili morbo effectus, ut in illo, solius ratio *caloris* nostrorum nemini medicorum satisfaciat. Sed plura, quæ, aeris a sole calefacti in corpus humanum effectus concernunt, non minus nos latent. Nec enim solus flante ab *Africæ* littoribus vento atmosphæræ calor, sed *nervis* inimica, & sub alio vento a majori solis ardore non observanda, nec thermometro determinanda, illius conditio nostras vel media sub hieme vires inopinato prosternit, ac febris quasi malignæ adventum prænunciat. Nec *æstivorum morborum*, licet hi caloris intensitatem fere sequantur, sub eodem tamen atmosphæræ æstu diversorum, causas ex manifestis semper caloris in animalia vel hæc, vel illa, effectibus explicare valemus.

Sed, quæ cutem calidiori sub cœlo affligunt, ægritudines, hæ forte non *solis* adeo in illam actioni, quam *secretionis cutaneæ* a calore incitatæ, mutationi morbosæ debentur. *Inflammationis* in pervertendis, qui sub eadem separantur, humoribus auctoritatem exposuimus (§. 121.); sed & sudor abundans, quo continuo inundatur, ac fere maceratur pellis, istius contextum aggreditur, tenorem infringit, sensibilitatem adauget. Vel sanissimi hominis sudor ad pedes, asillas, sub æstivis caloribus, — non ob humorum, ut putant, in sanis corporibus non admittendam, corruptionem: sed, vel ob auctam in folliculis

cutaneis, qui suum sudori liquorem commiscent ac proprium odorem conciliant, vel ob mutatam exhalantium vasorum in liquidum perspirabile potentiam, — fœtore majore infestatur. Quam scilicet morbosa sanorum, si hic, vel oris fœtor ex sanguine corrupto scaturiret, massæ circulantis conditio, — & quam infelix hominum illorum, optime licet valentium, status foret, qui vel hiberno sub frigore, ob peculiarem constitutionem, intollerabilem ex faucibus, axillis, aut pedibus, odorem spargunt! Quantum non fœtoris ex ulcere cutaneo a causa externa non ita pridem generato, continuo, & sine morbi interni suspicione, spirat, cujus in sanguine principium non hæret? In ipso hinc secretionis cutaneæ actu illud, quod acredine, quod fœtore obest, in multis generatur; ac major humorum in pellem sudoribus perpetuo madentem appulsus, facilisque illorum, ab occlusis vel levi etiam frigore cutis ostiis, stagnatio, aut in vicinum rete mucosum effusio, hanc pellis ad morbosas secretiones dispositionem, atque ipsas demum impetigines non paucas, æstatis tempore inducunt. Ipse jam sudor, licet parvus, morbus tamen est; ac vasa, quæ, præsente illius causa, hunc per extrema oscula expellere non possunt, lateraliter ac per poros, ut vocant, inorganicos, vel inter cuticulam ac rete mucosum, vel inter istud & cutem, vel demum in arctam istius cellularem, eundem aut purum, innocentem, aut, si major cutis stimulus accedat, excretionis legibus morbosæ submissum, & acrem, irritantem, effundunt: atque nunc pruritum majorem, nunc maculas, nunc vesiculas sero limpido, vel turbido liquore repletas; nunc pustulas, atque phymata, vel abscessulos, in corporis superficie, squamis sæpe arescente, inducunt.

Impet. congen. hæred.

Interdum ex causis allatis nulla subesse, sed ex

primario atque *congenito*, nec explicando, cutis vitio originem habere impetigines videntur. Sæpius per *hæreditatem* ex parentibus in proles tam infelix scaturit dispositio, ac visæ sunt familiæ, — aliæ, quæ, perfecta in cæteris valetudine instructæ, excrescentias tamen in cute, aut maculas, in quavis prole easdem offerebant; — aliæ, quæ impetigines simul cum vita ex istis miserabili in filios, licet modo non eodem viventes, propagabant. Quas ex utero matris deformitates, huic ipsi non proprias, ferunt neonati, has facile prægnantis *imaginationi*, ac denegatæ gravidis rei desideratæ, cui forma similes esse interpretantur, impressioni adscribunt, & cum in cute vitium subsistit, *nævi materni* nomine salutant: sed cum hanc quidem rerum originem ob validas rationes admittere recusamus, verisimilem tamen aliam, quæ parentum non modo imaginem ac lineamenta, sed & certos partium defectus, in prolem transfundant, licet experientia de his testetur, proponere nequimus. Interim solidorum magis compagi, ad parentem similitudinem, lege nobis ignota, in filios ex utero transvectæ, quam fluidorum in isto cum prole commercio, *congenitorum* vitiorum originem, ac *hæreditatem morbosam* adscribere jubent copiosæ prolium sanissimarum ex matre infecta genitarum historiæ, ac *tardissima* in multis, & ad certam usque vitæ periodum dilata, hæreditariæ ægritudinis manifestatio. Atque in hac certe tam obscura naturæ lege, *dispositionis* illius *cutaneæ*, qua sine causis manifestis, ac sine humoris morbosi prævii in massa sanguinis contenti auxilio, stato fere tempore impetigines in una eademque familia eædem in cute efflorescunt, latet impenetrabile hominibus mysterium.

§. 374. Causarum, quæ impetigines producunt, diversitas, prompta illarum cognitio, ac temporis, quo cutis laborat, longitudo, ægrotantis ætas, cœli conditio, efflorescentiæ in cæterum corpus ac in viscera effectus, — cutaneorum malorum pericula & curæ difficultates determinant. In genere cuivis diuturnæ per cutem excretioni, tum sano in corpore, a causis externis nascenti, tum solidorum, fluidorum ex vitio oriundæ, facile tandem natura assuescit; ac, si incaute hic fluxus supprimatur, nunc ob retentæ materiæ morbosæ actionem interioribus insidiosam, nunc ob *habitudinis interruptæ* pericula, a nervorum, ut videtur, imperio derivanda, innumeræ hominibus minitantur miseriæ: atque ars medici sæpe major in judicio, num presens cutis vitium extirpari conveniat, quam in promptiori ejusdem sanatione, consistit. Sed vel sub locali prorsus, ac solius pellis a vitio pendente impetigine, si diutius continuaverit, vel a resorpto quotidie ac in sanguinem deducto ichore, vel ob functionis cutaneæ defectum, subvertitur sanitas: ita ut, quam sub initio absque internis curare licuisset ægritudinem remediis, hanc, infecta jamjam humorum massa, externis modo auxiliis tractare sine damno nequeamus. Interim per longum interdum tempus naturæ viribus internæ partes ab infectione defenduntur, & sub variis impetiginum speciebus, quod miremur, sanitas non modo seros in annos illæsa persistit, sed quædam quasi ab aliis morbis *immunitas* sic affectis concedi videtur. Quæ *crisin* alterius ægritudinis constituunt impetigines, has caute externis tractare lex esto! Sed quemadmodum febres ipsæ frequentius ex illis, quam impetigines ex febribus, oriuntur: sic, ne, quæ istarum forte causa fuerunt, morbi pro effectu habeantur & curari differantur, oportet. Ma- Prognosis.

jor vero hic Medentis requiritur perspicacia, eo quod ab instante non minus, quam a præsente jam febre, impetigines non raro promptissime *dispareant*, & sic morbum, quem modo *prænunciarunt*, fecisse videantur. Ipse etiam, qui impetigines præcessit, morbus, quin semper ad cutem quid morbosi deposuerit, mutationem in ista, efflorescentiis faventem, ac morbosas secretiones inducere valebit: quæ singula, judicii his de rebus fallacias, — & cur Empyricis audacter his in morbis militantibus, cautioris interdum Medici tentamina superare concedatur, ostendunt. Quæ per *hæreditatem* acquiruntur impetigines, aut certa in easdem dispositio, hæ solidorum, non vero contagii forte cogniti, innixæ vitio, radicitus auferri vix unquam possunt. Similes *congenitas* difficultas premit impetigines: ac si pellis universa in morbosas excretiones hac lege inclinet, exsiccato in una cutis plaga istarum fonte, in altera mox eadem repullulant. Locale, seu ad parvam modo integumentorum regionem restrictum, vitium *exstirpationem* subinde admittit: sed exempla non desunt, ubi institutæ ægrotantem pœnituit curæ; ac, lege nobis haud perspecta, vel mediocris, ut vocant, *nævi* sectionem incommoda secuta sunt insignia. Quæ pubertatis ante tempus in cute contigerunt, ea, hac vitæ revoluta periodo, maturiori sub ætate sponte nonnunquam disparent. Senilis impetigines ætatis, nisi a causis externis inductæ, curationem difficulter, si unquam, admittunt, atque in dies exasperatæ sub extremis cruciatibus ad mortem usque persistunt. Similis impetiginum universalium multarum, quæ per plures jam annos superficiem roserunt, exitus observatur; ac lenta febris, & tabes tandem, quod superest virium vitalium, consumunt.

§. 375. Pars vitæ major ab animalibus, quæ cutem pilis aut plumis a natura ornatam tenuerunt, in illa ab impuritatibus mundanda, & ab inimicis insectis defendenda consumitur; atque ad mutuas has inter viventia pugnas, sua cuivis arma concessa fuerunt. Quo hæc non pertingunt, illinc rudior corporis ad lapidem, vel ad arborem affrictus, aut balneum, nunc vicino a flumine, nunc a subtiliori arena subministratum, in auxilium vocatur; ac si hæc aggressoris insecti non deludant insidias, tunc inutiles animal in furias raptum vel escam illius, vel nidum, & quasi ovarium constituit. Si tamen has externas impetiginum causas excipiamus, vix tantis cætera animalia, ac humanum genus, ad cutem ærumnis laborant. Etsi nempe hoc ipsum tum vestimentis ex pellibus animalium vel alia e materia consutis, tum manuum mobilissimarum beneficio, insectorum ausus a cute propria, fere nuda, facilius avertat: pars tamen causarum (§. 373.) hominem longe major, ac alia animalia, tangit; & quam insectis prædam subtrahere conatur, hanc cæteris impetiginum occasionibus quotidie exponit. Cura prophylactica.

Primum igitur in cute ab impetiginum causis præservanda curationis momentum consistit. Has maxime illa avertunt, quæ hominis superficiem contra nimias a parvo stimulo impressiones, vel a *sensibilitate morbosa*, defendant; & quæ robur cutis sustentare, nimiamque tum mollitiem, tum rigiditatem, in eadem impedire valeant. Ab ipsa quidem totius corporis sanitate hæc potissimum pendent: sed matura cutis cum atmosphæræ impressionibus consuetudo, frequens infantum in frigidam immersio, quotidiana cum hac ipsa superficiei abstersio, & moderata frictio, vestium calidiorum, comprimentium depositio, quamplurima hic præstant.

Hac ipsa jam methodo munditiei necessariæ satisfacimus præceptis. Hæc scilicet tam cutem ipsam, quam illa, quæ huic admoventur, concernunt. Unctuosa illa, quæ nascentes obducit, materia, ut facilius abluatur, tepidam præter aquam, alia, quæ utramque combinent, requirit. Similis fere illorum, quæ pellem imprægnant, aut conspurcant, & in adultis est conditio; & ut rectius cum aqua uniantur saponem interdum, ac illius teporem exposcunt. Summa hinc balneorum tum frigidorum, tum calidorum, in quavis civitate est necessitas; ac istorum institutio, in calidis præcipue regionibus, non exiguam *Magistratus* curam sibi quondam promeruit, ac tandem sibi hodie apud omnes meretur. Nec enim sola cutis mundities in censum hic venit: sed repentina, ac sæpius repetita frigidæ in nervos, non modo cutis, sed omnes, ac in vasa singula, actio, — transpirationis insensibilis, ac resorptionis restauratio, augmentum, — ipsa corii humani humectatio ac jucunda pertractatio, hujus subsidii naturalis beneficia multiplicant.

Ipsa vero cutis puritas ab illa linteaminum, quæ hanc involvunt, & a vestium munditie quamplurimum pendet. Frequens hinc istorum, pauperioribus eheu! nimis denegata, permutatio, atmosphæræ, in qua vegetamus, ac habitationum solicita purificatio, ad cutis integritatem summopere contribuunt.

Maxime vero interest, in prima jam hominis ætate, caput pueri, quod impetiginis tot speciebus exponitur, non modo sensim sensimque atmosphæræ mutationibus assuefieri; sed capillos quoque frequentius tondi, & a nimio humorum affluxu non minus, quam a pediculorum caterva inimica liberari.

Sic & ab alimentorum, potuumque tepidorum, ac

illorum, quæ principio volatili, aut acriori, in cutem præ aliis tendunt, abusu abstinendum est. Ipsa jam potulentorum calidorum in stomachum actio, digestionis, a quo cutis integritas non parum pendet, infringit officium; & ista non minus, quam spirituosa, aromatica, acria, volatilia, quemadmodum sudorem facile solicitant, sic & plenitudini cutaneæ, & morbosis hac in parte secretionibus, favere observantur. Non tam stricte interim hæc sumenda sunt, ut non contrarii subinde calefacientium effectus in calidis regionibus ab experientia suggerantur. Vel sub cœli non tam ardentis caloribus æstivis, superadditum frigidæ spiritus vini pauxillum, eorum, qui sub sole labores pertractant, & sitim & sudores egregie moderatur. Aromatum, quibus Africæ Asiæque populi solis æstu vexati utuntur, copia languenti stomacho non parum conducit, ac nimios forte in illis sudores coercet. Ast vero condimentorum tam acrium frequentiori sub usu, a potu calido, quo ista magis ad cutem diriguntur, prorsus abstinent hæ gentes, in frigidam quotidie descendunt: quibus auxiliis ac celeriori stimulantis materiæ per cutem difflatione, noxii condimentorum in cutem moderantur effectus.

Oleo superficiem, quod antiquis in usu fuit, frequentius perfundi, & cutem strigili, qua longe patet, perfricari, ad potiora, licet neglecta, hanc a morbis præservandi auxilia pertinet. Ipsa jam natura ab innumeris cutis folliculis sebum, quo necessaria ejusdem flexibilitas ac mollities obtineretur, secerni jussit; & ab aucto corporis partiumque motu, hoc smegma majori ex illis copia exprimitur, frictionem imminuit, ac siccitatem, rigiditatem avertit. Sub ætate juvenili hoc oleum animale in cute abundat; & ad loca, quæ pellem aut cartilagini

aut ossibus superimpositam agnoscunt, copiosior illius proventus, ac pinguis splendensque integumentorum habitus, observatur. Apud adultos, senes, atmosphæræ calidiori expositos, aut continuo exercitio exhaustos homines, siccescit, induratur cutis, ac non modo vasa exhalantia quamplurima, sed & folliculorum sebaceorum, ut videtur, ductus obliterantur, ac functionum hoc in organo pars major languescit. Hinc omnes fere Africæ populi in cute cum oleo, aut pinguedine animali, pertractanda continuo versantur; atque per hanc propriæ superficiei curam non tam nimios sudores, quam cutis exsiccationem, asperitatem, lentamque phlogosin, ac demum inimica insecta, avertere experientia didicerunt. Hinc senum imprimis, hominumque adustorum seu macilentorum superficiem non exigua ex oleo beneficia exspectant; atque cum hujus sub usu præsentes jam impetigines non paucas illico disparere videmus, hoc sæpe, non tam effectibus, quam istorum causis, resistendo, ab unctionibus præstatur. In conservanda pilorum, qui caput ornant, copia, pulchritudine, vis magna in adipe, quo calvariam quotidie ungunt, habetur; ac pars magna virtutum, quas linimentorum, unguentorumque in profundiores partium affectus penetranti adscribimus efficaciæ, ex superficiali protinus illorum in cutem actione derivanda videtur.

Potissimum vero in dirigendo *secretionum* opere, sanitatis tum corporis universi, tum illius, quæ cutem concernit, ponitur momentum. Prima quidem ex illis ea est, quæ, insensibilis sub specie vaporis, per cutem absolvitur: & hujus integritas ab allatis non minus rationibus, quam a provido vestimentorum usu, a corporis exercitio, a ventriculi, & ab animi pathematum regimine, quammaxime

pendet. Sed & aliarum secretionum, atque excretionum, tum naturalium, ut urinæ, bilis, lactis, seminis, imprimis vero illius, quæ per uterum periodice absolvitur, — tum morbosarum quidem, sed ex causarum latentium ac habitudinis lege fluentium, ut hæmorrhoidum, hæmorrhagiæ narium, fonticulorum ac ulcerum, non minor est auctoritas; & recto istarum moderamine cutis nitor ac sanitas præcipue conservatur.

Cura generalis.

Præcipuum vero impetiginum curandarum in eo hæret punctum: ut, quæ causa has produxerit, quam citissime eruatur, atque hæc ipsa, priusquam morbosæ secretionis consuetudinem cutis ineat (§.374.), quantocyus exstirpetur. Quod si nimirum in hominibus perfecta in cæteris salute instructis, ab *externis* læsionibus, ab insectis, a contagio, vel a solius modo cutis actione morbosa, impetigines oriantur: internis certe tempus terendum non erit remediis; & sicut vanus istorum usus esse consuevit, ita promptioris procrastinatio auxilii, præter majores tandem impetiginis auferendæ difficultates, ipsius quasi necessitatem mali sæpissime inducit. Si causa forte *interna* cutis morbo subfuerit, tunc omnis primum attentio in illam convertenda, ac impetigo, ut alterius *symptoma* morbi, ad leges huic proprias, vel salutaris interdum ut crisis, tractanda est. Non raro interim, qui profundiorem agnovit originem, non tamen internis in totum cedit, morbus cutaneus; atque vel continuato istorum usu exasperatur, vel locale tandem, sive externum sibi auxilium, ut sanetur, exposcit.

Obstacula.

Magnæ interim his in rebus difficultates Medentem premunt. Morbosa sæpe hominum dispositio ac latens in lympha vitium non prius, quam accedente læsione ad cutem violenta, vel contagio, evolvi, —

atque tunc non aliis comitari symptomatibus observatur, quam quæ vel in sanissimis corporibus, ob majorem modo partis affectæ sensibilitatem, simplicissimum subinde cutis vulnusculum sequatur. Atqui cum hoc ultimo in casu externa promptissime ægrotis conducant remedia, in illo certe ob complicatam læsionis cutaneæ, licet satis recentis, naturam cum damno subministrantur. Sic octogenarii nobis exemplum viri occurrit, qui, cum perfecta omnino salute pro ætate frueretur, contusionem ad tibiam, & exhinc ulcus molestum, expertus est. Per sex modo hebdomadas hoc ipsum sine alio sanitatis detrimento abunde fluxerat, cum impatiens morbi senex, consilio Chirurgi, exsiccantia medicamenta, — dum vero hæc non prodessent, fasciam constringentem adhibuit; atque hac incauta sub methodo, paucarum modo dierum intervallo, apoplecticus expiravit. Qui diathesi scrophulosa, aut scorbutica laborant, his superaccedens forte, externa ab origine, psora, nisi citius auferatur, mox complicatum, nec solis amplius externis sine periculo dissipandum cutis morbum accersit; atque sic nec recens satis impetigo mox, quovis in casu, sine præviæ constitutionis examine percuranda erit; nec ea semper, quam profundius latentis causæ comitari signa videntur, internis ideo subsidiis indigebit.

Int. remed. incertitudo.

Alteram in curandis curis affectibus difficultatem, *remediorum internorum*, quæ propria his virtute opponantur, *inopia* constituit. Quod si nempe symptomaticas, easque non multas, excipiamus impetigines, quas *specifica*, ut ajunt, methodo per interna dissipari medicamenta conceditur; in cæteras vix ulli tam certum est, ut externis illæ carere queant, remedio imperium. Actionem præ aliis manifestam, sub debita atmosphæræ conditione, antimonialia,

refractis dosibus porrecta, in cutem ostendunt; sed ipsa hæc virtus partim ex longinquo magis abdominales in nervos effectu, quam ex specifica, ut vocant, stibii in pellem actione, pendere, nec aut istius secretionem morbosam, aut latens in humoribus vitium corrigere videtur. Quæ, principio subtiliori atque aromatico instructa, cordis, vasorumque vires intendunt, ac simul nervis amica sunt remedia, sales volatiles, olea ætherea, hæc quidem, tepidis imprimis, præter atmosphæram, potulentis, aut balneo, fomentatione locali, suffulta, sudoris, quem promovent, testimonio, præ cæteris ad cutem appellunt; atque tum aquæ thermales, sulphureæ, tum evolutum ex ipso sulphure principium, ad hanc usque potentius penetrare videntur: sed peculiaris, aut specifica, ut appellant, virtus, paucis, quod sciamus, ex istis concessa est; & laudata toties *dulcificantium involventium*, *corrigentium*, viperarum, lacertarum viridium, lignorum, sarsaparillæ, solani scandentis, aliorumque actio, impetiginum aliquid vix detrahit ferociæ. Sic & acidorum mineralium usus, non alia, quam quod nimiam hæc irritabilitatem infringant, ratione impetigines, quæ cum *suppuratione* incedunt, moderare dicendus est. Mercurialia efflorescentias cutaneas, nisi veneream forte indolem agnoscant, vix mutare observantur. Quæ alvum, aut urinam, potentius movendi virtute instruuntur, ea, sicut vasorum lymphaticorum actionem intendunt, ac stagnantis ad pellem acris resorptionem secundant, ita impetigines exsiccare, aut e superficie protinus dissipare cernuntur: sed aut nec causas istarum satis auferunt; aut, si hoc præstent, abdominalem ac symptomaticam potius illæ, nec secundas ad vias extensam, originem habuere.

Quodsi vero istorum per experientiam quotidianam

confirmata sit veritas, fatendum tamen est, aut paucas certe alias, quam *symptomaticas*, & *criticas*, solis internis superari remediis impetigines; aut, si contra *primarios* cutis affectus interdum ista quid possint, vix alia, quam complicationis causarum ratione, & actione *secundaria*, id ipsum efficere.

Externa remedia.

Alia omnino remediorum, quæ corpori *exterius* applicantur, contra impetigines *primarias* est auctoritas; ac licet istarum non paucæ illis modo pertinaciter resistant, modo cum damno totius dissipentur, hoc tamen vel tardiorem topicorum ob usum, ac dilatatum jam ad interiora vitium, vel ob neglectas in cura morbi habitudinis leges, sic evenire consuevit.

Actio.

Externa vero, quæ ad impetigines primarias adhibenda sunt, remedia, licet odioso *repellentium* sub titulo vix non omnia veniant, non sola tamen adstringentium ex classe, sed, pro variis illarum indole ac causis, nunc ex illis, quæ cutem humectant ac emolliunt, nunc exsiccantium, stupefacientium e numero, nunc ex familia excitantium, roborantium repetuntur, ac multorum ex istis ad solam corporis peripheriam non limitantur officia. Vel salivæ solius externo usu impetigines haud raro dissipantur, ac animalia, quæ cum lingua attingere queunt, cutis ulcera lambendo sanant; nec ideo, quod de succi gastrici, a saliva vix distincti, virtute exspectant, hoc vel istius, vel *aquæ simplicis* ac purioris, superabit efficaciam. Sordidissima crurum cutisque ulcera in *thermis*, quæ sæpe vix majori, quam ista, virtute pollent, sanari conspicimus; & a solo recenter mactati animalis, cui, ut balneo, partem herpete affectam committimus, vapore, hunc disparuisse experientia commonstrat. Sub majori cutis ab impetigine tensione, ac rosionis quasi sensu, mucilaginosa certe magis, ac emolliens fomentatio, nec non bal-

Balneorum;

nea tam simplicia, quam cum lacte commista atque tepida conveniunt; & ab istis non modo symptomata sedantur, sed ipsam hinc inde efflorescentiam dissipari observamus.

Qua demum agendi ratione *oleosa* & pinguia, dum cuti inunguntur, impetigines tam sæpe ex ista dispellant, ignoramus: sed partem certe remediorum, quæ contra efflorescentias cutaneas vix non omnes a vulgo adhibentur, principalem, oleum pingue constituit, a quo non modo rancido, sed etiam recente atque blandissimo, impetigines sæpe nimis cum summo ægrotantium damno ad superficiem disparent. Ipsa certe, quæ sub unctione adhibetur, frictio, licet vasorum, nervorum cutis actionem abhinc excitari fateamur, hos effectus non explicat, & poros ab oleo, ut plures defendunt, obturari, experientia populorum refutatur (§. 373.). Quod si cutaneorum pars major affectuum ab *insectis* nasceretur, non difficilis tunc foret actionis, quam oleum, his animalculis infensissimum, in hanc morbi causam exerceret, explicatio, nisi altera ex curationis effectu tot ægrotis funesto difficultas reluctaret. Sed & ista disparebit, si cutis morbos, qui *symptomatice* prorumpunt, aut quibus ob adultam secretionis morbosæ indolem natura jam *adsuevit*, aut a quibus forte jam aliquod in lympham vitium redundavit, a *primariis*, nec vetustis, efflorescentiis separare velimus; ut in quibus, aut vivens, aut inanimis earundem supponatur origo, oleosorum frequenter utilissima esse solet applicatio. An forsitan relaxatis per pinguia integumentorum fibris, tum istarum, tum vasorum, nervorum, quæ morbosæ secretioni præfiguntur, sedantur motus, ac, sicut ab effuso super procellosas maris undas oleo placantur aquæ, ita partium, quæ cutem constituunt, frenantur impetus? . . . an hæ-

Pinguium;

rens in cute acrimonia oleosis involvitur, nervorumque obtunditur sensibilitas? . . . an tristes aliquando pinguium, aliorumque externorum, in *primaria* licet impetigine, effectus a suppressis quidem in cute, sed ad viscera transvectis, solidorum turbis, ac sicut violentos hominis convulsi motus per fascias sistendo, ad interna hos ipsos augemus: ita ab irritatione a superficie corporis aversa, majores partium internarum agitationes excitantur? . . . Ast, quæcunque his subsit effectibus ratio, certum tamen est, innumeras a pinguibus impetigines *primarias* medicinam habere, methodique istius non ex remediorum natura, sed ex perversa eorum applicatione, infamiam venisse.

Sulphuris; Summos quoque *sulphur* exterius adhibitum in varias impetigines imperium exercet: quod licet partem & pinguia, quibus illud plerumque commiscetur, habeant, ex cognitis tamen vel illius, vel istorum qualitatibus, nisi ubique iterum insecta pro morbi causa statuantur, explicare nequimus. Ipse quidem sulphuris, vel hepatis, ut vocant, sub forma, vel cum adipe remixti fœtor, principii, cutem ac vasa inhalantia penetrantis præsentiam testatur; ex cujus in aliam actione, hujus remedii effectus interpretari viderentur: sed sicut ex *psoræ* seu scabiei, per sulphur curatione apparet, non hanc, sed peculiarem illius, in viventem morbi causam agentem, virtutem hos effectus producere: ita, cum idem remedium & in aliis quibusdam impetiginum speciebus prodesse observamus, ad eandem & in istis causæ viventis traheremur suppositionem, nisi argumentorum, quæ solo remediorum effectu nituntur, in causarum morbosarum indagine fallacias nosceremus.

Plumbi; Conspicuos in cutem effectus edit *plumbum*, cujus

tamen copiosæ præparationes ab omni fere ævo ad impetigines adhibitæ non æquali ubivis ratione operari videntur. Salis certe sub forma, acidisque saturatus, *Saturnus*, adstringentem in solida potentiam exercet; sed aut oleo, muco animali remixta, aut pulveris sub specie adhibita, & a vapore cutaneo ex parte soluta, calx plumbi tam fortiter vix partes, ut contenta repellant, aut ab istis infarciantur, strangulentur, constringit. Aliud vero hoc in metallo continetur, quod nervis blandiatur quidem, sed, vaporis potissimum sub forma his admotum, insidias sæpe struat, ac, dirissimis ad intestina excitatis cruciatibus, vitalem in extremitatibus potentiam frequenter extinguat, principium. *Sedantem* interim in plumbo exterius adhibito virtutem experientia testatur; atque hoc magis, quam alio, impetigines *primarias* non paucas dissipari, ac radicitus interdum sanari, lubenter fatemur. Ex insidioso plumbi principio a vasis lymphaticis ad cutem resorpto, internorum stragem complures verentur; ac certe tristes impetiginum plumbeis tractatarum, qui illorum ab istis aversionem explicent, non desunt exitus: sed cum hi ipsi, in *secundariæ* potissimum impetiginis speciebus, aliorum non minus sub usu remediorum occurrant, ac certum, quo nocivi plumbeorum effectus ab aliis distinguantur, signum non existat; hinc facile injustum his de rebus fertur judicium, ac summa rei dignitas, ne insons forte, & non parva agendi potentia instructum, criminis damnetur remedium, nobis cautelam injungit. Certe non omne, quod interno usu sanitatem lædit, — hoc, extus admotum, cessat esse remedium; nec idem semper a re eadem vel ore, vel corporis superficie suscepta, in hominem effectus obtinetur. Aliorum nos quidem, prout decet, experientiam

veneramur: sed si nostram simul, certe non paucam, hoc de argumento consulamus, fatemur, nos plumbeorum externo ab usu, quotiescunque hæc nobis indicata videbantur, non semper quidem bonos, sed nec tam flebiles, ac multi recensent, effectus observasse.

Mercurialium; Salium quoque *mercurialium* celebris in multas, diversas licet a venereis, impetigines est actio; & in illis vel aqua solutis, vel unguento receptis, istarum non paucæ medicinam agnoscunt. Nec tamen adeo in fluida, quam in solida agendo, mercurium, ut qui, ore assumptus, in impetiginem, sub media licet salivatione, sæpe non agit, hic operari censemus; ac singularis & hujus medicamenti in necandis insectis potentia, *viventem*, impetiginum plurimarum causam iterum confirmaret, nisi *excitante* magis, aut caustica interdum, quam alia in pellem virtute hoc idem, saltem in multis impetiginum speciebus, operari videretur.

Salium cæt; Optimos interdum ex *maris balneo* in morbis cutaneis effectus experimur; atque ab illius virtute tum stimulante, tum simul, ob undæ frigus, roborante, morbosa cutis actio mutari, ac languens diu transpirationis opus excitari, promoveri videtur. Sed & *acidorum* tum vegetabilium, tum mineralium, cum aqua communi dilutorum, quin ipsius adeo *urinæ*, non raro conspicua, ac forte similis maris balneo, ad abigendas impetigines est virtus.

Roborant. adstring; Nec vanæ ubique sunt laudes multorum quæ cutem manifesto condensant, *adstringunt*, ac orientem ex vasorum debilitate humorum impetum non minus, quam sensibilitatis excessum, a parte ægrotante avertunt. Hinc solo *fasciarum* usu non pauca crurum ulcera radicitus auferuntur; ac ipsum jam atmosphæræ *frigus*, aut cutis cum aqua frigida fomentatio, nunc

meliori, nunc pessimo sub rerum eventu, efflorescentias coercet. Eadem est tum aluminis, tum vitrioli albi, cupreorum, saccharique saturni, conditio; ut quæ singula, nisi rectius indicata, atque vel in *symptomatica*, vel jam in *consuetudinem* deducta, impetigine, ægrotantis quidem interitum, — sed sub attenta causarum indagine, soloque cutis sub vitio, sanationem promovebunt.

Ea ipsa interdum, quæ fortiori cutem stimulo exasperant, alienum in eadem motum excitare, ac morbosam in pellis particula secretionem invertere, delere valebunt. Hinc tum cantharidum ipsi, quem impetigo defœdat, loco applicatio, — tum escharoticorum, ipsiusque ignis aut solaris, aut artificialis, in ulcus, cujus superficiem consumit, atque corrigit, actio, antiquas non raro impetigines perfecte sanarunt. Escharoticor;

Quæ vero in cutem impetigine correptam, manifestam satis actionem exercent, aut amara, aut acria, vel & stupefaciente, ac sedante instructa principio vegetabilia: ea, sicut morborum, qui ab insectis oriuntur, causæ viventi resistunt, ita solidorum in cute actionem vel augendo, vel deprimendo, immutare videntur. Hinc summos ex seminum delphinii staphisagriæ, sabadillæ, apii petroselini, ex hellebori nigri, ledi palustris, nicotianæ tabaci, cicutæ virosæ, veratri albi, menispermi cocculi, juniperi sabinæ &c., externo usu, in cutem vitiatam effectus observamus: & sicut alia prorsus medicamentorum, cum extus applicantur, quam cum ore hauriuntur, in hominem est actio; ita optandum foret, ut, qua ratione potentia ex illis vel solam in pellem tam sanam, quam ægrotantem, vel in universum systema operentur, experimentis sat fidis innotesceret. Vegetabilium;

Venæsect. et scarificat;

Quemadmodum vero ex suppressa sanguinis evacuatione aut naturali, aut in habitudinem conversa, — vel & sine hac causa, ex peculiari vasorum cutaneorum plenitudine impetigines interdum gignuntur (§. 373.): sic non infrequens in curandis cutis affectibus tum venæsectionis, tum scarificationum, necessitas occurrit. Jam ipse cutis irritatæ pruritus, aut dolor, affluxum sanguinis vel in illis adeo impetiginum speciebus, quæ ex cruoris abundantia originem non habent, ad pellem in multis adauget; ac spasmodica hac in parte contractio facilem humorum circuitum in eadem impedire non raro videtur. Hinc major sæpe in cutis affectibus, quam ab inexpertis crederetur, cucurbitularum scarificatarum observatur utilitas; atque tam importunum hæ ad peripheriam pruritum, quam facilem ab externis remediis, quæ cutem roborant ac vel minime coarctant, phlogosin, his præmissæ, avertunt.

Fonticul.

Maxima in morbis cutaneis, quos tandem externis tractare coguntur, in *ulcera artificialia*, *setacea*, *fonticulos* multorum collocatur fiducia; ac, desumpto ex hydraulicis argumento, quam illinc aquarum obturare scaturiginem, -- hanc, excavata in carnibus fossa, humiliorem ac declivem ad locum derivare nituntur. Ast vero, quem sibi forte natura locum, quo peccantem expellat materiam, hac in parte elegit, hunc ab arte in aliam, quo lubet, transferri tam facile non sinit; nec sola pellis incisio, & excitata, cum peregrino, quod huic committunt, corpore, ejusdem exulceratio, conditionem, sub qua noxius illinc humor fluebat, novo fonti ubique concedit. Jam dictum est, frequentius solidorum, quam fluidorum e vitio impetigines oriri (§. 373.); ac si ille, qui ex fonticulis quotidie destillat, humor, & manifestam prodere acrimoniam, & fœtorem in-

tolerabilem spargere observatur, hoc ipsum in sano non minus, quam ægrotante in corpore contingit; atque insignem iterum cutis læsæ aut irritatæ in contentos humores, sub ipso, quo hos secernit, actu, pervertendos potestatem ostendit. Non alius certe, quam qui per singula humani corporis vasa circumfertur, liquor ex artificiali integumentorum apertura utplurimum expellitur; sed inflammata, vel exulcerata, istius superficies peregrinum ab illo, qui in vasis agitatur, humorem sibi præparat; cujus excretio sæpe non aliter, quam si fluidorum quid forte abundet, ad sanitatem conferre, — sæpe vero præsentem jam machinæ debilitatem augere, irritationem vicinis partibus infensam communicare, aut resorpto interdum, has ad oras corrupto, liquore, internis obesse observatur. Quæ ex clausis incaute his, diuturno jam fluxu confirmatis, ulceribus propullulant, lethalia non paucis, infortunia: hæc sæpius non tam ob retentam in sanguine acrimoniam, quam ob infractas cum impetu *consuetudinis*, quæ altera natura est, leges, in hominem redundant, ac impetiginis cujusvis primariæ quidem, sed jam inveteratæ, sequuntur pericula (§. 374.)

Summos interim setaceorum, fonticulorum in medicina usus, quos sola ratio non satis explicat, experientia persæpe confirmat; atque sub cutis ipsius forte magis, quam partium profundiorum sub affectibus, conspicuam artificialia hæc ulcera virtutem non paucos apud homines manifestant. Non ipsis adeo in vasorum canalibus, quam in cellulosa, quæ istos, nervosque cutis, — aut quæ hanc ipsam cum musculis ac ossibus colligat, acrimoniæ colliguntur & stagnant. Atqui, ut ex *anasarca* hydrope docemur, ad inflictum cuti vulnusculum, non modo vasculorum, quæ in hoc ipsum hiant, sed cellulosæ vicinæ

diriguntur ac continuo destillant humores, atque sic pellis infarctæ depletio, ac irritantis excretio materiæ per præscriptum ab arte colatorium obtineri, impetiginisque symptomaticæ causa breviori via eliminari e corpore potest. Profundius, quam primo quidem aspectu crederetur, hoc beneficium descendere: ex summo fonticulorum in *cyphosi* prope spinam positorum effectu, — ex artificialis in nervosa, ut ajunt, ischiade ulceris prope poplitem virtute, — & ex *moxæ*, in rheumate pertinaci actione comparet; atque si forte ob excitatam magis in parte sana inflammationem, quam ob peccantis excretionem materiæ, hæc ulcera prosint, fatendum tamen est, in hoc ipso illud, quod impetiginum sub cura quæramus, consistere; & quocunque demum hæc ulcera modo operentur, secretionem tamen in superficie morbosam ad parvum sæpe ac circumscriptum ab arte ulcus limitari, ac stimuli prius incogniti indolem in cogniti illam, seu in simplicem fonticuli phlogosin atque suppurationem permutari.

Non vana hinc ulcerum artificialium in affectuum cutaneorum medela ubique dicenda est theoria; atque tum in *symptomatica* impetigine, quæ, priusquam morbi fomes extingui valeat, externum sibi promptumque auxilium aliquando exposcit, — tum in primario quidem, sed *inveterato* cutis vitio, fonticulus in vicina impetigini parte, & antequam spontanea ac morbosa in cute secretio supprimatur, excitatus, ad potiora securitatis majoris ac desideratæ sanationis momenta referendus est. Non tamen igitur, fonte licet novo ad cutem vix aperto, impetuosa nimis antiqui vitii curatio suscipienda, aut naturalium excretionum negligenda sunt subsidia; sed fluxu ulceris jam satis confirmato, & abactis, in quantum

hoc licet, morbi causis, a mitioribus initium faciendum, & ad fortiora gradatim ascendendum est.

Quod vero de ulceris artificialis ab impetigine ipsa, quam forte, alias tam rebellem, sine alterius auxilio remedii exsiccavit, differentia testatur, est summa illius, licet jam vetusti, ad *spontaneam* sanationem dispositio; ac diversa multum ab impetigine in cicatricem perfectam promptitudo. In eo quidem utrumque mali genus conspirat, quod ex præpostera fonticuli non minus, quam ex incauta impetiginis suppressione, ob dictas jam alibi rationes, non exiguæ sanitati ac vitæ struantur insidiæ: sed, præter hæc æqualia sibi pericula, singularis ab impetigine provecta remediis opponitur resistentia; quæ, reducto in fonticulum cutis vitio, vel ab ipsa, quovis certe ulcere facilius, superatur natura. Major scilicet in pelle non in totum soluta, sed ad superficiem modo, vel ad dimidiam quasi substantiam, ab impetigine distracta, erosa, & inæqualiter lacerata, irritatio occurrit; atque difficilior humoris iniqui in cellulas cuti subjectas simul effusi, per corium impervium, quam per ulcus hoc ipsum penetrans, exspectabitur separatio. Nec ideo tam *perpetua* sunt, ut ajunt, fonticulorum incommoda, quin sub iisdem, quas pro impetigine inveterata, ac in consuetudinem deducta jam præscripsimus, cautelis, circumspectam ac lentam sanationem in multis admittant.

His igitur de impetiginum natura, diversitate, causis, & cura generali, præmissis, ad specialem earundem pertractationem descendimus: atque primum de *maculis*, seu coloris proprii in parte cutis una vel altera, vix, aut modo parum super sana elevatæ, mutatione morbosa, disseremus.

ORDO I.

IMPETIGINES MACULOSÆ.

GEN. I.

EPHELIS.

Solis effectus.

§. 376. A levissimo cutis vitio, *Ephelide*, impetiginum ordimur historiam. *Solis* in cute hominis non modo, sed & in fructuum horæorum pellicula, petalisque florum tingendis, potestas, quocunque demum, a *calore* certe diverso (§. 373.), nitatur principio, insignes in gentium diversarum superficie, ac in hominum eodem sub cœlo viventium pelle, colorum differentias inducit. Ipsa Æthiopum, retis mucosi sub epidermide peculiari structura suffulta, nigredo hac a causa intenditur; ac vestium in conservanda partium albedine effectus, quas cutis hoc a sidere mutationes patiatur, abunde demonstrat. Nec tamen ideo vel quævis humana pellis eandem a sole eodem actionem agnoscit, vel quæcunque, in cute eadem, particula cum eodem effectu a solis iisdem percutitur radiis: sed aut tenerior, ac pervia magis integumentorum vel in toto, vel in parte, textura, aut major hinc illinc sensibilitas, aut certa demum ac incognita dispositio, diversos, a causa eadem, in superficie humana effectus inducit.

Definitio.

§. 377. Qua igitur in circumscripta cutis parte color nativus a sole, magis quam ad vicinam, in subflavum, aut fuscum, aut fere nigrum mutatur: in hac ipsa nascitur *ephelis*, vel a *sole macula*, quæ vix aliam in cute, quam coloris mutationem, nec tumorem, nec aliud, quam læsæ venustatis, incommodum producit.

§. 378. Nunc vero sat largam in cute plagam hæc macula, & densam quasi umbram in longum latumque diffusam, nec interruptam, præsentat: *umbrosa* hinc a nobis *ephelis* dicenda; — nunc partes tot quasi punctis subflavis, fuscis, mox densius, mox rarius, quasi guttatim inspersis, lenticularum figuram & colorem æmulantibus obsidentur, quod cutis vitium *ephelis lentigo* vocatur. Sed & ignis actione, qui vicinius huic assident, similes ephelidi maculas, subflavas, obscuras, pertinaces & amplas, ad tibias & crura experiuntur: quibus *spuriæ* nomen *ephelidis* impertimur.

Diversitas.

Eph. umbrosa.

Eph. lentigo.

Eph. spuria.

§. 379. Infantes, fœminæ, & qui fulvo, rubroque capillo, cute vero tenera, albidiori instructi sunt, *ephelidi* tum *umbrosæ*, tum *lentigini*, præ aliis subjiciuntur. A prima solis ad nos redeuntis, licet debilioris, in pellem actione fere major, quam æstivis a radiis, macularum in facie, jugulo, ad superiorem thoracis partem, atque ad manus, prorumpit copia. Nec teneriora quidem plantarum folia, nec fructuum, qui ab illis pendent, cuticula, hac impetiginum a specie sunt immunia; ac licet ab insectis hæc frequenter conspurcentur, maculentur, post tenuissimas tamen pluvias, quas solis urens mox excipit radius, tot puncta fere nigra, quot aquæ guttulæ, in iisdem comparent. Nunc vero segregatæ ab invicem lentigines, nunc racematim congestæ, aut ubique partium dictarum tam confertæ existunt, ut intermedia vix cutis albedo transluceat, & color hujus obfuscetur in totum.

Extensio ephelidis.

§. 380. Nec tam levis quidem in cute mali originem sat clare intelligimus. A *bile* quondam, solis a radiis exusta, ut vix non omnes coloris nativi muta-

Causa.

tiones, sic & ephelides immerito derivarunt. Sanitate cæteris hominibus æquali gaudere illos, qui rufo, fulvoque capillo signantur, tum ratio, tum experientia confirmat. Atqui cum hi ipsi præ aliis obtectam nobis ephelide superficiem exhibeant, — cum hæc ipsa verno magis, quam alio quovis tempore, e cute progerminet, oportet aut in tenera magis ac sensibiliore integumentorum his in hominibus compagine, aut in copiosiore ac magis fœtido, qui horum e cute propellitur, sudore, veram ephelidis causam latere. Quæ in foliis plantarum, fructuumve in extrema pellicula a sole nascuntur, subtiliorem post imbrem, lentigines: hæ ex illius radiis ab aquæ guttula, quasi a lente vitrea, aut speculo, ut vocant, ustorio, in centrum, seu focum collectis, producuntur. An similis & *lentiginum* in homine subsistit ratio? Ad poros certe eorum, qui copiosius transpirant, invisibili hærens sudori guttula, non minus ac plantarum in foliis, a solis percutitur, penetratur radiis: & qui ex istis, aqueam post lenticulam, in focum collectis, concentrati adinstar ignis in cutem agerent, hi similes in ista, quam in vegetabilibus, maculas relinquere, ac lentigines formare possent. Nec obest, nullam hujus ignis in cute sensationem excitari, aut effectus causæ ejusdem in alios, qui fusco ornantur capillo, non similes haberi; aut æstate, qua solis magis urget ardor, qua sudor copiosius prorumpit, vix tantas in cute lentigines formari; ac demum illæsam in lentigine epidermidem subsistere. Nam primo, celerior, ac nimis superficialis radiorum solis in summam cutem, quam dolorem ut inferat, actio hic est; secundo, fuscorum minor cutis observatur teneritas; tertio, sub æstivis caloribus, sudoris & copia & impetu majore propulsi guttulæ mox diffluunt, neque cutem, calori

jam magis, quam verno tempore, assuefactam, lentis vitreæ in modum perurere queunt; ultimo vero, qui epidermidem transgreditur, & ad rete mucosum formatur, — non illam certe, sed istud, pro *foco* agnoscit, radiorum concursus. Quod vero aliquam huic opinioni probabilitatem conciliat, est velorum tenuissimorum quidem ut cribriformium, sed solis radios divertentium, in præservanda non a calore, sed a maculis cute, formosis non ignota puellis potestas. Rete igitur mucosum in cutis punctulo solis igni subjecto, pro stagnantis atque coactæ in eodem lymphæ conditione, colore nunc subflavo, nunc fusco transparens, lentigines, easque mox perennes, mox vagas, ac redeunte solis astro redeuntes, formaret. Cui prædicta lentiginum non arridet derivatio, hic citius forte nodum discindet, si easdem non aliter, ac *petechias* (§. 317.), in cute oriri contendat; ac sub delicatulo istius contextu, radii solaris, ut ex vasculis cutaneis humoris guttula coagulabilis hinc atque illinc transudet, lentiginemque creet, jam forsitan sufficit violentia. Hoc saltem modo *ephelides umbrosa*, ac *spuria* oriri videntur; & cutis a sole, aut ab igne rubor, ariditas & quasi erysipelacea constitutio, præviam ephelidi, leviorem licet, sub epidermide phlogosin, aut ecchymosin confirmant.

§. 381. Nulla quidem salutis hic pericula, — sed plurimæ, nec injustæ, apud fœminas, fugientis, ab ephelide formositatis sunt curæ. Vix multum hoc cutis in vitio ab arte sperandum est, & innumera, quæ hic celebrantur, auxilia, venientis potius efficaciam hiemis, quam propriam virtutem, in ephelides confirmant. Spes major in præcavendis, vel saltem in illis, quæ vix semel apparuere, dissipandis, Prognosis.

ponenda est maculis. Quod interim medicina non aufert, — hoc mulierum astutia fuco occultare jam nimis edocta est vitium. Quo tempore *lepra* domicilium in Europa fixerat, nec *lentiginosæ* quidem in cute *macula*, dum *sensu* simul *privaretur*, ad illius morbi non pertinebat diagnosin (§. 451.).

Cura. §. 382. Ad ephelides avertendas, quod eripi fœminis cura cultus sui non possit, tum radiorum solarium, flammæque vicinæ fuga, tum solicita partium per velamenta custodia, requiruntur, & verni potissimum solis, &, ab instituta vix faciei aut manuum lotura, aeris frigidi in cutem evitanda est actio. Hanc ipsam prævertit, qui has partes cum ovorum albumine, aut seminum cydoniorum, gummi tragacanthæ, Arabici mucilagine, in frigida solutis, defendit.

Contra præsentes jam ephelides interna nil possunt remedia; externa vero, quæ interdum hic prosunt, in sequentibus consistunt. Cutis primum cum sero lactis, vel aquis destillatis, iisque tepidis, aut cum massa saponacea (N. XXXIX.), cremore lactis dulci, ac similibus emollienda & abstergenda est. His vero peractis, ad illa, quæ cuticulam magis penetrant, extravasatam sub ista, condensatamque materiam eliquent, ac vasculorum lymphaticorum in hanc ipsam actionem promoveant, recurrimus. Hinc vapor aquæ & aceti, quibus sambucus infunditur, — aqua destillata, aromatica, cum aceti salisque ammoniaci pauxillo remista, linimentum camphoratum (N. XXXVII.) superaddita salis volatilis portione, — acetum camphoratum (N. XIV.), aut mitior compositio (N. XL.), — ac disparente demum ephelide, fomentatio cum frigida, cui iterum albumen ovi, ac aluminis, vel sacchari saturni portio super-

addi potest, tentari merentur. Fortiora, & quæ cutem nimis irritant, remedia non sine majoris, quam quod auferre contendimus, mali administrantur periculo.

ORD. I. GEN. II.

CHLOASMA.

§. 383. Non æquo satis consilio, quas *gravidæ* maculas, sine ignis aut solis effectu in cute patiuntur, has *ephelidum* (§§. 376. 377.) subordinare familiæ, — & alias, quæ ab hepate originem vix ducunt, has & *hepaticas* nominare, & ad *vitiliginem* referre voluerunt. Hinc *Chloasma* has, affines sibi, impetigines vocare, ob coloris & causæ communioris rationem, arrisit: atque hoc nomine intelligimus maculas ex flavo viridescentes, aut pallidas, subinde fuscas, & ex flavo nigricantes, nunc faciem, nunc pectus, abdomen, aut inguina occupantes, in longum ac latum extensas, indolentes, sæpe læves, alias paullisper asperas, quæ suam ex causis internis originem, mitiorem plerumque, agnoscunt, ac alia, præter cutis fœditatem, vix afferunt incommoda. Definitio.

§. 384. In *gravidis* frequentius, quam in aliis, hæ maculæ comparent (*chloasma gravidarum*), atque frontem potissimum, ac genas, sed & collum similiter & manus, ad pollicis, vel & palmæ latitudinem, fere luteæ, subvirides, aut fuscæ, interdum subnigræ, aspredinis plerumque expertes, deturpant. Incertum quidem factæ conceptionis hæ maculæ signum constituunt, nec prolis, ut ajebant, hæ sexum Differentiæ. Chloasma gravidarum.

manifestant: non paucæ interim mulieres, si utero non ferant, hanc ignorant, — si ferant, mox patiuntur impetiginem; nec desunt aliæ, quæ, *puero* onustæ, his semper maculis carere, — quæ sinu *filiam* occultant, ab eisdem continuo obsideri, aut, licet miri ratio nos lateat phænomeni, contrarium affici in modum cernantur.

Chloasma amenorrh. Sed & fœmina non prægnans, & vidua, & virgo, *chloasmate* non raro laborant: quod, cum ex suppresso plerumque fluxu menstruorum oriatur, *amenorrhoicum* vocari nil impedit.

Chloasma pseudoporrig. Et menstrui sine vitio mulieres, ac viri adeo non pauci, ad partes non tam nudas, quam vestimentis munitas, ad pectus imprimis, & ad inguina, a chloasmate, per amplam cutis superficiem extenso, quidquam aspero, atque pruritus, caloris externi sub augmento, interdum summi, non semper experte, fœdantur. Hæc est *hepatica*, ut injuste appellant, *macula*: quam, ob aliquam cum porrigine (§. 413.) similitudinem, *chloasma pseudoporriginem* vocamus.

Morbi natura. §. 385. Velut primo imprægnationis jam tempore, aut tardius in aliis, hæ maculæ (§. 384.) comparent; sic vel cum cæteris, quæ gravidas infestant, incommodis, post primos jam menses dissipantur; vel ad partus ipsam periodum, & ultra, rebelles subsistunt. Major vero illis in fœminis macularum esse numerus consuevit, quæ prægnationis sub statu esculenta fastidiunt & vomunt, vel quæ subtumido & chlorotico fere corporis habitu hoc tempore incedunt. Sic & pallidis aspectu languidisque, aut menstruo privatis mulieribus, puellis, similia contingunt, & circumscriptam, ac unius quasi plagæ in cute chlorosin hæ maculæ præsentant. In tertia demum chloasmatis indicata vix specie, sicut major

interdum pruritus occurrit, ita volubilior macularum conditio, ac facilis in loca dissita transitio est. Sic *Clinicum* nuper adiit vir robustus *Institutum*, cui & pectus & axillæ hac impetiginis a specie pridem undique obsessa, vix pallida hujus vitii vestigia offerebant; sed diuturna ad fauces, & ad palatum phlogosis, & magna deglutitionis difficultas successerant: quæ ab illita thoraci cantharidum tinctura, revocato hic loci chloasmate, brevi mora disparuerunt.

§. 386. Quæ ratio in gravida his maculis subsit, difficilis est quæstio. Nec enim menstruus, qui fluere hic desinit, sanguis acredinis prudenter accusari, — nec plethora, nec uteri, humorum circulo adversa moles, in morbi causam, apud omnes, & quavis prægnationis in periodo, revocari queunt. Ipse hinc uteri cum pelle consensus, & mirum nervorum hujus visceris in corpus omne imperium, hic attendi præ aliis merentur. Hac certe ex causa periodicus ille sub oculis *livor*, ac singularis in facie mutatio, mulieri, cui menstrua prorumpent, vel quæ utero vix concepit, contingunt; & ex principio non alio, in puellis hoc fluxu privatis, quo tempore hunc exspectant, tot in fronte tubercula, tot pustulæ, maculæ ad labra, ad mentum efflorescunt. Sic ulcusculum in fronte fœminæ quadragenariæ per duos fere annos conspeximus rebelle: cujus perfecta, ut videbatur, cicatrix, quotiescunque menstrua sat abundans successit excretio, iterum iterumque aperta est; atque sic non sanguinem ab utero repulsum, & copia peccantem, sed peculiarem ac periodicam hoc ex viscere in cutem faciei actionem, pertinacis ut causam ulceris, manifeste indicavit. Similia in *chloroticis* hinc inde occurrunt: ut quæ, licet men- Causæ.

struis fere careant, minus tamen cruoris plerumque ob copiam, vel acrimoniam, quam ob singularem, atque symptomaticam in cute irritationem, pustulis ad superficiem crustosis obteguntur, quæ veram, — non in sanguinis missione, non in rebus acrimoniæ obversis, sed in solis corroborantibus, & restituto menstruorum fluxu, medicinam agnoscunt. Suppressas, quibus jamjam assuevimus, hæmorrhoides, non absimili principio in cutem operari, suspicamur: & hoc quidem sensu, ex opposito sanguini venæ portæ ad *hepar* obstaculo, corporis interdum superficiem maculis, si ita lubet, *hepaticis* fœdari concedimus. Interim non tam simplex forte chloasmatis *pseudoporriginis*, quam macularum in gravidis, chloroticis, natura est; ac latens aliquando, quocunque demum in viscere, defectus, aut acre rheumaticum, scrophulosum, aut aliud, hoc porriginosum subinde ac inconstans in cute vitium generare valebit.

Prognosis. §. 387. Nullum gravidarum in maculis, nisi spontaneum, vel primos post menses, vel tardius, ex partu veniens, auxilium, — sed nullum quoque ex istis, nisi faciei defœdatæ, est incommodum. Quin ipsa interdum fœtus exclusio has in illis, quæ sæpius citiusque concipiunt, non delet maculas. Quod ex amenorrhœa, hæmorrhoidumque suppressione procedit chloasma, hoc morborum, quos comitatur, insequitur, -- vix auget pericula. Difficilior plerumque *pseudoporriginis*, si ab acri incognito, viscerumque oriatur vitio, sanatio est. Nec hæc quidem impetiginis species ad *lepræ* quondam signa revocata non est.

Cura chloasm. gravid; §. 388. Nihil est, quod certas prægnantes his a maculis præservet; & vix ullum habetur, quo præ-

sens jam cutis vitium depellatur, auxilium. Nec enim causæ ex utero in cutem imperantis indolem, modumque agendi tam bene perspicimus, ut internis hanc debellare queamus, vel sat tuto audeamus, remediis; & quæ in illam vix reagit, externorum ad cutem applicatio, subsidii haud multum hoc rerum sub statu promittit. Baccarum lauri hic interim, si decorticentur, subtilis cum melle subactus pulvis, -- vel unguentum (N. XLI.), quo facies a balneo illinatur, a quibusdam proponitur. Cum pomo subacido, aut citrino, per medium dissecto, aliæ hic pellem, quo loco fœdatur, quotidie perfricant; aut cum emulsione ex cannabis seminibus & lacte parata frequenter abluunt: quæ singula remedia a nobis quidem, utpote propria hic experientia destitutis, nec laudari, nec tamen ut noxia damnari cum fundamento queunt.

Quæ vel a partu supersunt, vel graviditatis sine causa oriuntur maculæ, hæ, si languentium, aut suppressorum forte menstruorum, hæmorrhoidum ex culpa propullulent: tunc sanguinis missione, hirudinibus, — interdum vero contrariis quasi, ac roborantibus auxiliis tolluntur. Chl. amenorr.

Si viscerum forte obstructio, aut latens in humoribus acre, chloasmatis pseudoporriginis in causa videatur: tunc, pro varia istius indole, resolventia, antimonialia, mercurialia, antiscorbutica, vel demum alia indicantur, atque externis præmittenda sunt auxilia. Chl. pseudop.

His vero aut præmissis, aut, si cutis modo in culpa sit, depositis, ad externa transgredimur tum allata jam supra, tum paulo fortiora, remedia. Hinc aut illud ex sinapi (N. XLII.), aut cantharidum emplastrum, aut unguentum ex mercurio (N. XLIII) impetigini applicamus; atque irritatione moderata,

& a causæ morbosæ stimulo diversa, subjectæ pellis debilitatem auferre, agendi modum immutare, & alienam a sanitate secretionem corrigere, exsiccare contendimus.

ORD. I. GEN. II.

ECCHYMOMA.

Definitio. §. 389. Succorum effusionem, *suggillationem*, *Ecchymoma* aut *Ecchymosis* significat: sed cum plurimas hoc nomen significatione tam lata ægritudines exprimeret, hinc modo sanguinis ex vasis propriis sub cute effusionem, atque maculam in illa, ex cruore transparente, cum tumore plus minus conspicuo oriundam, hoc nomine intelligunt. In multis quidem cutis aut universæ, aut in parte circumscriptæ, rubor, naturalem superare, atque primo in casu *phœnigmum*, — in altero vero maculâm, quam, forte congenitam, *nævum* nominarunt, constituere observatur: sed, quemadmodum ille, ex vasorum sanguiferorum in cute teneriori quantitate aut repletione majori, ac fere universali, -- hic vero nunc ex structura cutis in parte, a naturali abludente, nunc ex retibus vasorum cutaneorum varicosis pendere videntur; ita *maculæ morbosæ* materiam in cutis telam cellularem, præter naturam, effusam, & colore suo a fluidis in sano homine hic loci excretis diversam, nunc liquidam, nunc vero densiorem, atque cum cellulosæ telæ lamellis concretam, subesse testantur. Sic ex lympha coagulabili inter *corneæ* transparentis lamellulas in ophthalmitide deposita ac solidescente, *albuginem*, seu *leucoma* explicuimus (§. 150.); atque sic ex quavis materia

radios lucis aliter, ac serum sanguinis, ac humor lymphaticus ab hoc ipso solutus, vel quam adeps, reflectente, nunc sub epidermide, nunc ipsa sub cute stagnante, oriuntur maculæ, quæ, si cruoris secum commisti quid offerant, ad *ecchymoma* referri merentur.

§. 390. Hæc vero species impetiginum (§. 389.) sine febre plerumque, ac sine dolore, incedit; interim nec ista ab ecchymomate perpetuo excludi, tum *petechiarum*, *vibicumque* jam exposita historia (§. 316.), tum luxationum, vulnerum, inflammationum, ecchymosi junctarum, exempla demonstrant. Hinc pro morbi, *cum quo*, -- vel pro causæ, *ex qua* hæc aut major, aut minus extensa, descendit, diversitate, oportet esse diversa, atque nunc violentiora, nunc pauca ecchymomatis symptomata. Nec ipsius adeo coloris sat constans in isto natura est: sed, pro varia cruoris sub cute effusi quantitate, -- pro loci, quo confluit, ab epidermide distantia, -- pro materiæ aut liquidæ, aut congrumatæ consistentia, -- ac demum pro temporis, quo vasa dereliquit, conditione, color maculæ nunc coccineus ac lætus, nunc profunde ruber, sublividus, aut niger, vel tandem viridis, flavescens, ac pallidus observatur. Pro ipsius vero cellulosæ telæ inundationi cruentæ aut resistentis, aut in longum latumque cedentis ratione, ecchymomatis tam figura, decursus, quam elevatio, durities, ac tensio variatur, & pro vasorum lymphaticorum, quæ fluidiora in parte læsa resorbent, numero, libertate, actione diversis, humoris effusi & densitas, & color, & natura mutatur. Nat. ecchym.

§. 391. Plures igitur ecchymomatum sunt formæ, Diversitas.

quæ tamen, nisi causæ diversæ ratione, non tam *species* distinctas, quam *varietates* offerre videntur. Sic certe color maculæ aut ruber, aut niger, *ecchymosin* inter & *melasma* differentiam vix constituit; & *vibex*, alia, quam formæ ratione, a *macula* nequaquam distinguitur. Frequentissime alterius modo *symptoma* est morbi ecchymosis, atque contrarios inter se corporis affectus constantia æquali comitatur. Ipsa certe inflammatio tum phlegmonosa (§. 123.), tum erysipelacea (§. 283.), cruoris in cellulosam, cum rubore partis, effusi exemplum largitur; ac in scorbuto, hydrope, febre tum intermittente, tum continua, in spurio aneurysmate, insignis macularum rubrarum, nigrarum est numerus: quæ, licet ecchymosi consanguineæ, ac origine consimiles, vix tamen sortem illius, methodumque medendi eandem sequuntur. Potissima hinc causarum in eruendis ecchymomatis speciebus est auctoritas; & ex illarum consideratione diversitas istius non obscure comparebit. Hæ vero aut *exterius* in corpus operantur, atque *ecchymoma traumaticum* nobis exhibent; aut, ab internis mutationibus orientes, *ecchymoma spontaneum*, quod alterius nunc morbi *symptoma*, nunc *primariam* ægritudinem constituit, præsentant. Frequentius, ac vulgo creditur, *internas* ecchymomata partes sine causis externis circumdant; ac sæpius, cum *intimam vasorum majorum* in cadaveribus examinavimus *superficiem*, ad cordis vicinias præ aliis, hanc undique & per longos satis tractus sine phlogosi *suggillatam* conspeximus. Post mortem forte hæc magis, quam in vita, contingunt; nec ulla nobis, quæ, sub ista, hanc vasorum affectionem, ut propria, comitentur, symptomata innotescunt. Frequentissima puerperarum in uteris, rudiori obstetricantis a manu, vel ab instrumentis sine cautela introductis, observatur suggillatio.

§. 392. Quæcunque vero aut partium, aut totius, *externa* læsio, contusio, concussio, distensio, compressio, laceratio, vulneratio, vasorum, superficiei non minus, quam viscerum, integritatem infringere, & canales sanguiferos aut nimis dilatare, aut penitus aperire, destruere, ac liquidi contenti vel in solam cellularem, vel in cavum vicinum, vel simul per vulnus, effusionem excitare valebit. Quæ tegumenta quidem penetrant, ac vasa plura, aut majora offendunt; sed cutem non satis aperiunt, aut vulneris oras collabi atque claudi mox sinunt, læsiones, — ut illæ, quas instrumenta acuta, quas sclopetum, inferunt: hæ, latiores non modo ecchymoses, sed partium tumores, tensionem, majores inducunt. Quæ istarum magis tenorem, concutiendo, contundendo, afficiunt: hæ nervorum sensibilitatem, fibræ carneæ irritabilitatem, & vasculorum lymphaticorum actionem aut imminuunt, aut prorsus auferunt, atque effusi humoris corruptioni spontaneæ, putredini, gangrænæ sphaceloque, vel maxime favent. Causæ.

Ad *internas* suggillationum causas referri præcipue merentur, quæcunque vasorum resistentiam a fluidis superari faciunt, ac eandem vel diminuunt, vel auferunt. Si humorum aliquando tenuitas hic subesse videatur, hæc ipsa solidorum prius infracto tenori attribuatur oportet. Hinc major sanguinis in vasa sua, vel a cordis imperio pendens, vel modo hæc ipsa in parte quadam afficiens, impetus, hinc febris violenta, exercitium musculorum immoderatum, tussis impetuosa, aut vomitus violentus, nixus fortior, contractio fibrarum spasmodica, oppletio vasorum, & sanguineæ excretionis suppressio, — hinc vel sola cutis suctio, vel cucurbitula superimposita, vel aeris vicini subitanea ac major rarefactio, — hinc vaso-

rum atonia, paresis, aut totius systematis vasculosi, & nervosi, ut in febribus malignis, debilitas, & nunc propria, nunc a consensu derivanda inertia, — hinc demum suppuratio propinqua, vel ulcus, aut acris & corrodens, vel stupefaciens materia, præcipuam ecchymomatis rationem in se continent. Quanta sit *nervorum* in cute maculanda potestas, tum ex dictis (§§. 274. 386.), tum ex terroris ab incubo, a phantasmate, effectu & maculis in pelle, imprimis vero ex scroti in strangulatis suggillatione, & ex morientium ecchymosibus, comparet.

Prognosis. §. 393. Ecchymomata *symptomatica*, ipsius morbi, ex quo nascuntur, discrimina, partim jam sub exanthematum historia exposita, sequuntur. Quæ vero ex causis sibi propriis oriuntur, *primaria*: hæc, istarum, ac loci, quem occupant, pro indole, — pro sanguinis effusi, vel liquidi, vel coacti, quantitate, — pro febris, aut inflammationis forte conjunctæ ratione, — pro vasorum resorbentium, nervorumque in parte, quam tenent, integritate ac robore, exitus diversos, atque vel nulla, vel maxima interdum pericula agnoscunt. Hinc sæpius ut *signum*, quam ut *morbus*, ecchymosis timenda, — & non tam color, quam origo macularum attendenda est. Qui vero, in cellulosam effusus, diutius hic stagnat sanguis: hic nunquam in *pus verum*, sed aut in propriam corruptionem, quæ putrida est, cum gangræna partis abire, aut solidescere & cava cellularum delere, conspicitur. Mira interim naturæ in his avertendis supersunt subsidia; ac si modo aeri accessus denegetur, ac partis affectæ non labescat vitalitas, per longas sæpe moras immutatus hic sanguis delitescit; ac tandem, licet, summe compa-

ctus, fere ligneam in parte, ut in scorbuto ad crura, duritiem inducens, inexspectato resorbetur, ac a massa circulante, labe quavis immunis, reassumitur. Pertinacissima interdum, licet indolens, ad oculi albugineam ecchymosis occurrit, ac plures post menses vel sponte disparet. Diuturna quoque sub unguibus suggillatio, (*hyponichon*) esse solet, ac illorum corruptionem nonnunquam inducit. Neonatorum calvaria sub partu difficili, obliquo, aut vectis ab impetu, frequenter ecchymomate, & conspicuo tumore afficitur, qui, fluctuationem cum prodat, per cultrum apertus in mortem non raro terminatur. Sub aponeurosi effusi humores, nisi cito aut resorpti, aut sectione educti, febres, violentas inflammationes, deliria, convulsiones, ac mortem, hinc inde producunt.

§. 394. Quæ ecchymosis exanthematicæ curationem concernant, ea satis a nobis (Lib. III.) exposita fuerunt; & quæ alias suggillationes *symptomaticas* respiciant, hæc ex morborum, quos comitantur, historia patebunt. In ecchymomate *primario*, tum febris ac inflammationis, si quæ hoc ipsum circumdet, tum causæ præcedentis, habenda est ratio. Si major partis extensio, distractio, contusio, ecchymosin prædicant: tunc cita illius in frigidam immersio, fomentatio cum nive, aut cum glacie contusa, ac interdum compressio, suggillationem ac tumorem avertunt. Si ipsa sub venæsectione in cellulosam subcutaneam sese cruor infiltret: tunc fasciæ detractio, ac brachii, seu pedis, in situm, in quo, cum cutis incidebatur, hærebant, repositio indicatur. Sub ipsius ecchymomatis a causa externa pendentis præsentia, in robustis ac plethoricis hominibus venæsectio præmittenda; ac, nisi inflammatio Cura.

& partis læsæ jam tumor ac durities impediant, fomentatio cum posca, sale ammoniaco & nitro, vel acetum lithargyri, saccharum saturni, cum frigida, & alcohole, — vel radicis bryoniæ recentis rasura, cum æquali spiritus vini portione, conducent. Si fortior contusio, aut ictus sclopeti, partis, quæ suggillatur, vitalitatem imminuerit: tunc calida & spirituosa fomentatio cum sale ammoniaco & aceto requiretur. Si major forte sanguinis, quam quæ commode resolvi, ac prompte resorberi speretur, copia, aut cruor in grumos coactus, sub cute integra, vel parvo tantum, aut jam collapso vulnusculo perfossa, vel sub tensa aponeurosi, stagnaverit: tunc pellis, aponeurosis, sine mora incidenda, aut vulnus dilatandum, vel profundæ satis scarificationes, ut liquidum cruentum exstillet, ac tandem externa, quæ diximus, remedia, & fasciæ comprimentes, in auxilium trahenda sunt. In casu majoris a sanguine in tela cellulosa putrefacto corruptionis, ea, quæ ad gangrænam commendavimus, auxilia (§. 136.) indicantur. Nec tamen ob atrum ecchymomatis colorem, de gangræna imminente mox cogitandum est. Nigerrimum undique abdomen, sclopeti, quo scrotum perfossum erat, ab ictu, observavimus. Huic phænomeno accesserunt & vomitus copiosus, & singultus sonori, & summa anxietas. Ter interim venam aperiri, fomentationes aromaticas cum vino & aceto calide imponi, & mox largam opii dosin imperando, nigredo ventris in viridem, ac tandem in flavum, pallescentem colorem mutata, & sanitas moribundo, ut credebant, homini restituta est. Apud teneros calvaria a partu suggillatos infantes, sectionem hac in ætate vix innocuam, vini spiritus cum camphora, infusum aromaticum, vinosum, & calor æqualis, per impositum tumori gossipium obtinendus, supplebunt.

Quod ecchymoma *spontaneum* concernit, si menstrui forte, aut hæmorrhoidum excretio impedita suggillationem induxerit, adaptata morbi causæ auxilia conveniunt. Si spasmodica macularum observetur origo, tunc opium cum potu aromatico ac haustu salino propinandum, cutis mador aut sudor lenis excitandus, ac tepida fomentatio ex infuso chamomillæ, roris marini, salviæ, cum sale volatili & opio, exterius imponenda est. Quæ sanguinem stagnantem *specifice* resolvant, vix noscuntur remedia, & *arnicæ* hoc in casu adscripta virtus, ab irritante, vasorumque lymphaticorum actionem augente principio pendere videtur. Vix aliquid a *calaguallæ* ab *Hispanis*, & nuper apud nos, laudatæ radice exspectamus. Si major in parte vasorum inertia ecchymoses inducat; tunc corticis Peruviani decoctum cum vino, vel aqua calcis, vinum camphoratum (N. XL.), unguentum cum sinape (N. XLII.), tinctura cantharidum, vel emplastrum ex istis, conducent. Si forte primis in viis, prout exanthematum occasione jam monuimus (§. 274.), suggillationis in pelle causa latuerit: tunc emeticum, aut purgans, quod istam evacuet, ac resorptionem simul augeat, indicabitur remedium.

ORD. I. GEN. IV.

ERYTHEMA.

Nominis ratio.

§. 395. Non sine tædio morbum cutis, quem *Erithema* appellant, & cujus sub *erysipelatis* descriptione mentionem jam injecimus (§§. 280. 285.), ab ista tam affini ægritudine divellimus, & alii morborum classi subordinamus; sed hæc est *impetiginum*

conditio, ut cum *exanthematum* sæpe confluant & ex hac ipsa oriantur familia (§§. 275. 315. 316.): quo in casu, si, ob communem in multis originem, similitudinis quid maternæ retineant, non tamen ideo aut sine ordinis desiderati læsione, aut curationis sine damno, cum illa confundi mox queunt. *Erythematis* igitur nos titulum ad *chronicam* cutis efflorescentiam referimus: quæ erysipelati, externo habitu, simillima (§. 279.), eodem tamen constantior, aut frequenti reditu importunior, hujus quidem, si ita lubet, *habitualis*, *apyretici* denominatione, ut ipsi nos fecimus (§§. 285. 290.), potest insigniri; sed ad *impetigines* melius, istarum ut genus, quod *guttam*, ut vocant, *roseam* pro specie agnoscat, referri meretur.

Definitio. §. 396. *Erythema* hinc est macula superficialis, a cutis phlogosi non febrili, vel in longum extendi solita, vel habitudinis lege recurrens, cum rubore, aut colore ex rubro flavescente, a compressione albescens, cum pruritus, ardoris, tensionis sensu, tumore plerumque parvo, diffuso, suppurationis, saltem benignæ, experte, cute frequenter levi, pustulis interdum obsessa, frequentius ab epidermidis in furfures separatione exasperata.

Diversitas. §. 397. Nunc vero partem fere semper eandem, nunc aliam, atque aliam, erythæma infestat. Frequentius hoc ad faciem & crura, quam aliis in partibus, non tamen raro & in istis, efflorescit: atque cum in illa, cum ad nasum præcipue, vel ad genas, frontem, aut mentum, rubore profundo, fere livido, ingrate splendente, interdum pustulis intermistis, longo tempore, sine magno sæpe pruritu, aut incommodo, com-

Eryth. varic. paret, insulso satis nomine *gutta rosea* appellatur

(§. 399.). Quæ ad manus & pedes præprimis, vel ad aures nasumque, a frigore prægresso, oriuntur, — insigni, quavis hieme redeunte, & a calore lecti aut ignis vicini adaugendo pruritu instructæ, maculæ, hæ conspicuos, ac in tædiosa cutis ulcera satis pronos, tumores in multis efficiunt, & *pernionum* sub nomine ad erythema revocandæ sunt. Nec minus huc spectat cutis, ad *plicas*, quas apud infantes, præcipue ad collum, axillas, aures, inguina, nates, ad poplites, efformat, lenta & in partis exulcerationem inclinans phlogosis, & cognita *intertiginis* sub nomine affectio. Eryth. pernio.

§. 398. Vix magnis hoc morbi genus, nisi forte a superficie repulsum, symptomatibus se prodit. Interdum quædam anxietas, morositas, torpor, horripilationis & caloris interni sensatio, præcedunt. Hæc, levis in parte tensio, calor, aut pruritus insequuntur. Mox cutis rubor aut floridus, aut profundus, plerumque pallidus, comparet, qui cute compressa, aufugit; liberata, revertitur. Tumor quidem, si *pernionem* excipiamus, vix ullus, nisi plana, & late diffusa pellis elevatio; interim a frequente erythematis accessione cutis ipsa crassescit, induratur, molemque informem & acquirit & retinet; aut pustulis hinc inde obsidetur, quæ tenuem acremve ichorem fundere, atque irritantibus male tractatæ, ad nasum præcipue, carcinomaticam interdum naturam assumere, cernuntur. Diutius erythema, quam erysipelas, persistit; ac in multis per vitam, nasi, genarum regionem non dimittit; aut facile, ac fere periodice, sine ullius cæterum functionis læsione, recomparet. Non ubivis, sed plerumque, cuticula arescit, ac terrei coloris in furfures tenuesque squamulas separatur; majorque partis sensibilitas, ac prona in malum idem dispositio, relinquitur. Nat. morbi.

Causæ. §. 399. Sicut erythematis natura ab illa erysipelatis, — ita causæ utriusque mali non multum, nisi violentiæ, atque constantiæ ratione, inter se differunt. Originem scilicet, nisi forte *internam*, a frigore, ab urinæ, fæcum, transpirationis acrioris reliquiis, a fucatis saturno linimentis, pulveribus, — plerumque perennem ac rebellem erythema agnoscit (§. 288.); mulieres, senescentes, iracundos, tristes, bibaces, debilesque homines frequentius, quam alios, invadit. Ex menstrui, hæmorrhoidum suppressione, ex pedum, axillarum suppresso sudore, ex viscerum infarctu, ex acri latente, specifico, ut quondam, *leproso* (§. 459.) aut alio, ex spirituosorum abusu, ex frigore majori extremitatibus admoto, & adhibito mox istis ab igne, ex cutis debilitate, irritabilitate morbosa, locali, interdum nativa, frequentius hic morbus descendit. Ex matre, crurum ulceribus perpetuo fere obnoxia, filium, & ex ista nepotem, cum cute pedis, in illo dextri, in isto vero sinistri, ad malleolum crassiori, tensione, calore ac aliquo rubore frequentius affecta, observavimus. Qui Baccho indulgent, hi ad nasum præcipue, ac in vultu, perpetuo rubore pustulisque frequentius notantur. Hæc diuturni species erythematis, si per lentem examinetur, ex vasculorum, quæ cutem innumera percurrunt, minimorum habitu *varicoso* principium, remediis rebelle, agnoscit, atque hinc *erythema varicodes* a nobis nominatur. Similis interdum a *variolis* ad mentum relinquitur macula, quæ nitidam puellarum faciem sæpe nimis defœdat. *Intertrigo* puerorum, hominumque adiposorum, ex cutis inter plicas immunditie originem sine dubio in multis agnoscit; sed certe *lymphaticorum* vis insignis *vasorum*, qua in partes sibi appositas & vicinas *erosionis* actionem exercent, quamplurimum huc facere nobis videtur.

§. 400. Diversam erythema, pro varia morbi causa, medendi methodum expostulat: quæ partim ex dictis de erysipelate habituali (§. 290.), partim ex regulis, quas (§§. 388. 394.) tradidimus, eruenda est. Rarius ac in erysipelate, venæsectio hic confert. Interdum cucurbitulæ scarificatæ conducunt; sed in causas magis, & quæ æquali humorum circulo in visceribus, & excretionibus naturalibus, aut solitis resistendo, corporis ab illis inundari faciunt superficiem, respiciatur oportet. Hinc resolventia frequenter, & ea, quæ menstruorum, hæmorrhoidumque fluxum, quæ sudorem naturalem, licet copiosum in multis & fœtore ingratum, ad pedes, axillas restituant, — maxime vero prudens animi pathematum directio, sobrietas, ciborum acrium, aromaticorum, potusque spirituosi fuga, — tum ea, quæ intestina a collecta forte saburra, aut bile acri liberent, leniora ac repetita evacuantia, semicupia, — aquarum mineralium, martialium usus, rectumve corporis exercitium, potissimam hic opem largiuntur. Eâdem, ac in erysipelate (§. 290.), cum cautela, externa subministrentur oportet remedia: in locali tamen affectu, & si forte sola cutis laxitas, aut nimia sensibilitas, erythemati pro causa subesse videantur, tunc proposita jam alibi (§§. 382. 388.) auxilia præ aliis conducent. Ad *perniones*, in hominibus alii lymphæ vitio, ut scrophuloso, scorbutico, subjectis aliquando sat maligno, & ad ulcera impura, ipsamque subinde gangrænam dispositos, ab extremitatibus avertendos, tam frigus nimium, quam subitanea partis ab isto correptæ calefactio, evitanda sunt. Incipienti vix malo, affecti membri in frigidam repetita immersio, frictio cum nive, fomentatio cum aqua, alcoholis portioni remixta, cum aqua marina, aut cum spiritu terebinthinæ, cum pu-

Cura.

ro vini spiritu, aut cum muria, salis ammoniaci volatilis portione superaddita, conducit. Si hæc adhibendi jam aufugerit occasio, & dolor fortis & phlegmone partem occupent: tunc impositum gossypium oleo olivarum recenti imbutum, emolliens fomentatio, cataplasma anodynum, interdum venæsectio, scarificatio, hirudines, succus hyosciami assidue illitus; — si forte minor hic phlogosis, sed major subsit partis affectæ laxitas, — fomentatio cum decocto herbarum aromaticarum vinoso, aut cum vino, & æquis portionibus aluminis ac farinæ, indicantur. Si evitari hac in parte suppuratio non queat, fugienda sunt quæ partem ultro debilitant cataplasmata emollientia, ulcusque fungosum cum unguento digestivo, cui mercurius præcipitatus ruber commistus sit, potissime tractandum est.

Ad *intertriginem* curandam summa cutis mundities, & frequens cum frigida, plicas inter, suscepta lotio, detersio, auxilium suppeditant; sed in pinguioribus, & quibus cutis tenerior est, pueris, nisi hæc ipsa linteo, aut filis mollioribus, aut pulvere farinæ, lycopodii, cretæ, cerusæ, plicis cutaneis interpositis, a mutuo contactu præservetur; superficiei erosio, exulceratio evitari vix poterunt. Si hæc ipsa apud infantem jam diutius continuaverit, tunc usum externorum & hic loci circumspectum esse oportet. Ad *erythema varicodes*, præter allata, acetum destillatum cum quinque fere partibus aquæ purioris, vel saccharum, acetum saturni cum frigida remixta, -- & si forte tubercula simul cutem obsideant, unguentum saturninum, vel rubrum mercuriale (N. XLIII.) conducent.

ORD. I. GEN V.

VITILIGO.

§. 401. Cutis firmitas, mollities, crassities, flexibilitas, æqualitas, in variis non modo animalibus, pro speciei, sexus, ætatis, cœli ratione diversa sunt; sed & ipsos inter homines, ætate, sexu sibi similes, & partium, quas circumdat, & temporis, & valetudinis respectu, quamplurimum differre observantur. A nativo scilicet hujus organi contextu, ab atmosphæræ, vestium, & rerum cæterarum, externa, interna in cutem actione, a musculorum huic ipsi suppositorum exercitio, imprimis vero a *telæ cellularis*, quæ pellem cum partibus colligat, laxitate, firmitate, repletione diversis, hæc singula dependent; & mutua communis involucri *cohæsio*, cujusvis partis, quod propria vi sua non posset, & formam & habitum determinat. Hinc telæ cellularis lamellulis, pellem inter & partes alias, aut firmius contractis, aut modo quovis destructis, aut propriis demum succis, imprimis adipe, privatis, ingratas oculo mox cutis in foveas collabitur, morboso nexu cum ossibus aut musculis concrescit, tenditur, corrugatur, & amœno nitidoque colore spoliatur in totum; & hinc abolito semel vel a vulnere, vel a laceratione, suppuratione, cutis nexu, prompta licet istum *cicatrix* restituat, fœda tamen & vix unquam delenda superficiem macula infestat: quæ depressa, inæqualis, varioque & a sano abludente colore notata, aut & pluribus hujus indolis stigmatibus conflata, aliquando exsanguis, & insensilis, *vitiliginem*, licet eadem haud apud omnes significatio huic nomini tribuatur, constituit. Nominis ratio.

Definitio. §. 402. *vitiligo* igitur nobis maculam, aut macularum minorum congeriem in corporis superficie significat; quæ, mutata a causis vel internis, vel externis, cellulosæ subcutaneæ vel integræ, vel exesæ, actione, cum pellis aliqua depressione, naturalem istius colorem, mobilitatem, lævitatem, sensilitatem, & functionem hoc in loco, aut ex parte, aut in totum pervertit.

Diversitas. §. 403. Nunc vero cutis hoc vitium in eadem sola generatur, & non tam partium internarum, aut humorum a sanis aberratione, quam ex propria pellis affectione, producitur (*vitiligo primaria*). Nunc alio a morbo, & ab acri in cellularem subcutaneam, vel in cutem deposito, *symptomatice* exoritur (*vitiligo secundaria*, carcinomatica, leprosa, scorbutica, venerea, scrophulosa &c.). Utraque ex istis nunc *sicca* est; nunc *humida* ichorem fœtentem & acerrimum profundit: qui ipsam, ex qua distillat, cutem aggrediens, epidermidem in furfures ac in squamas comminuit & separat (*vitiligo squamosa*); vel pellis superficiem exulcerat, pilorum bulbos, quod & *sicca* interdum *vitiligo* jam facit, infestat, colorem habitumque immutat, aut prorsus e cute evellit (*vitiligo ulcerosa*).

Morphœa alba. Ipse vero hujus impetiginis (§. 402.) color interdum fere *lacteus* aut & *niveus*, aut superficialis modo, aut profundius demersus, ac pilos albos, lanuginosos ostendens, habitu fere subaspero, vel ut quædam quasi guttæ dispersæ videantur, — subinde umbrarum in modum *nigrescens*, squamulis obtectus & pruriens, eandem a Græcis, Arabibus, curiose nimis, distingui, ac primo in casu *alphon*, *morphœam albam*, — in altero *melan*, *morphœam nigram*, vocari induxit. Vitiligo demum *cicatrix* est macula nunc

Morphœa nigra.

depressa, nunc aspera, quasi consuta, a continui læsione, & prægressa utplurimum suppuratione, post illius reunionem, relicta.

§. 404. Vitiliginis origo ex dictis (§. 401.) quodammodo elucet. Quidquid scilicet aut cellulosam sub cute telam delere, destruere, ac pellem arctius cum carne, aut ossibus connectere, aut naturalem hujus involucri communis contextum in se ipsum contrahere, & sanguinis influxu, aut nativa sensibilitate privare potest, hoc vitiliginis ad causas pertinebit. Materno subinde ex utero, quasi dissectæ ac resanatæ cutis, aut vitiliginis amplioris, *nævorum* iterum sub nomine, vestigia depressa comparent; & famosa sunt vetularum *stigmata* multarum, quæ superstitionis injuria, cum ab acu perfossa nec sanguinem effunderent, nec dolorem sentirent, pro *sagis* illas, rogoque dignis veneficis, declarari jam pridem fecerunt. Ad abdomen mulierum, quæ sæpius pepererunt, non simplices modo rugæ, sed maculæ albescentes, cicatricibus fere similes, atque cuti profundius impressæ, nascuntur: quæ istam hinc in plicas relaxatam, illinc arctius cum musculis subjectis concretam, ostendunt. Causæ.

Quod si tamen illarum vitiliginum, quæ a suppuratione, a vulnere, ulceribus, variolis, compressione diuturna in utero, aut a cutis nexu cum subjectis partibus vitioso oriuntur, non difficilis intellectu sit indoles: fateamur oportet, illarum, quæ fere *sponte*, pluribusque simul in locis, ad pellem nascuntur, disparent, revertuntur, & morbum gravissimum vix superabilem vel prænunciant, vel ipsæmet constituunt, obscurissimam esse vitiliginum originem. Cum vero tum istæ, tum aliæ difficultates, ad *lepram* magis, quam morbi præsentis historiam, pertineant,

sub illius descriptione (§. 454.) hanc iterum quæstionem pro viribus tangemus.

Prognosis. §. 405. Si a leprosa, carcinomatica, aliaque symptomatica præscindamus vitiligine, nulla quidem a cæteris speciebus pericula, — sed curationis difficultates forte æquales exspectandæ sunt. Nec enim exesam sub cute cellulosam sic affectis restituere, aut morbosas cutis adhærentias, & male tractati vestigia vulneris, nisi talia ope chirurgica avertendo, delere valemus. Indelebiles a confluentibus, & a malignis *variolis* ad nasi, menti, genarum confines, — & ab *ulceribus venereis* circa pudenda, & a *scrophulosis* ad jugulum ac faciem, vitiligines generantur.

Cura. §. 406. Vitiliginem a vulnere, aut a phlogosi cutanea instantem præveniunt: illius, recentis, reunio sat prompta, æqualis, & integra, inflammationis majoris, suppurationis aversio. Quæ a puris vel sub cute adhucdum illæsa, vel in abscessu aperto, aut in ulcere collecti effectu, & a cellulosæ subcutaneæ concretione, consumptione timetur vitiligo: hanc, pro varia materiæ illinc hærentis acredine, & pro loci, quo colligitur, indole, prompta maturatio, puris, ichoris latentis evacuatio, ac cita demum & æqualis cicatrix, moderabunt. Jam factam ab his causis vitiliginem, nunc oleum, balneum animale, fotus emolliens, vapores ex aceto & aqua, — nunc blanda & frequens cutis collapsæ agitatio, sublevatio, dilatatio, -- nunc aliqua in parte sana, circa maculam, compressio, -- nunc sicca huic ipsi hinc inde apposita cucurbitula, aut frictio, & quæ vasorum, nervorumque hoc in loco vitam excitent, conducunt. In vitiligine *secundaria*, remedia morbo ipsi

ex quo hæc scaturit, adæquata indicantur. In humida, aut in squamosa vitiligine, tum alia atque alia, ratione causæ, subsidia, tum ea, quæ (§§. 382. 388. 400.) proposuimus, auxilia tententur.

ORD. I. GEN. VI.

ALOPECIA.

Alopecia.

§. 407. Quo loco pars corporis, quam pilis natura obtexerat, hac veste animali, fere plantis parasiticis non absimili, spoliatur: eo nascitur non vera quidem in cute ipsa macula, sed humanæ superficiei decorem offendens & morbosa mutatio, quam Græci *Alopeciam*, *ophiasin*, *aream* Latini, dixerunt. *Alopecia* sub qualibet figura dilatatur; si vero in longum & tortuose inter capillos area proserpuit, *ophiasis* tunc nomen a veteribus obtinuit. Si forte sinciput, vel omnis calvaria capillis priventur, *calvitiem* salutant.

Pilorum ratio.

§. 408. Ipse quidem pilus sine sensu rescinditur, sed præcipua, quæ volatilia, dum plumas, — quadrupeda, cum pilos quotannis deponunt, patiuntur symptomata (§. 373.), & gravissima ab evulsis vibrissis mala, — & mentis in soporosis per pilorum evulsionem excitatio, — & istorum a summo furore, erectio, — a morbis certe, ac, si fides est historiæ, a terrore canities, nervorum in bulbos sub cute pilis concessos imperium non parum demonstrant.

Causæ.

§. 409. Hinc & fortior cephalæa, & febris nervosa (§§. 87. 88.), & puerperii incommoda, pi-

lorum defluvio favere cernuntur. Ob ignotam corporis conditionem, in certis familiis præmatura constanter calvities occurrit. Quo loco viscida & oleosa cellulosam, folliculis copiosis stipatam, imprægnat materia, hoc major latiorque pilorum proventus est; atque hinc auctus sub febre quavis calor, & quæ hoc smegma adipemque consumunt, exsiccant, tabes, senectus, ignis a ferro crispandis capillis admoto, in cutem frequenter agens, pilorum jacturam inducunt. Acre quodcunque, imprimis venereum, leprosum, purulentum, atque aliæ, quæ cutis contextum, ut pediculi, tinea, profundius corrodunt, exulcerant causæ, in teneros pilorum bulbulos agendo, calvitiem aut areas relinquunt: ex quibus apparet, pellis magis culpa, quam vitio pilorum, alopeciam in multis oriri; hancque ipsam pro aliorum sæpe magis symptomate morborum, quam pro morbo primario, esse habendam. Plerumque certe a parte, quæ pilos, non ætatis, sed morbi ratione, amittet, epidermis in furfures delabitur, aut acris ex area destillat humor; aut crustosus innascitur herpes; aut demum cutis glabra colore mutatur, & subsidet, vel subpinguis & densa tumescit. Interim non ita pridem vir juvenis se nobis ob *alopeciam universalem* conspiciendum exhibuit, cui, si luem veneream tredecim jam ab hinc annis superatam excipiamus, morbosi vix quidquam in vita nec acciderat, nec sub examine inesse videbatur; licet per *menses* jam *duos* sibi barbam protinus decidisse, capitis, ciliorum, pubisque pilos vix non omnes defluxisse, & ungues manuum emortuos, ac sicca quasi carie exesos ostenderet. Vox erat immutata; potentia coeundi, in homine uxorato, a pristina non diversa; ac omnia, excepta debilitate a paucis modo diebus accusata, de illæsa valetudine testimonium edebant.

§. 410. Pro causæ, quæ alopeciam, aut ophiasin produxit, differentia, judicium hoc de morbo, vel morborum magis signo, diversum est. Quæ senem calvities prehendit, aut quæ bulborum destructionem agnoscit affectio, hæc artis superior est subsidio. Simile de alopecia, quæ elephantiasin comitatur, aut indicat, feratur judicium. Cute licet detracta, capillus renascitur interdum; quem vero cicatrix locum defœdat, hunc pilus nec unquam ornabit. Quod lues venerea, aut tinea induxit capillorum defluvium, hoc, morbo primario per artem devicto, novæ spem comæ relinquit. Si pallida, aut insensilis est area, nec adhibita frictione rubescit, tunc ab arte, ut in ipsa *morphea*, vix quidquam præstabitur. Prognosis.

§. 411. Nemo certe mortalium, quo cutis loco pili radix non subest, aut quo hæc ab acri exesa, consumpta fuit, eo crines per artem educet. Cum vero præsentis forte sub cute bulbi propriæ, ob quas pilus a sua radice secedit, affectiones nos lateant; hinc facile intelligitur, cur nullibi tam empyrice, quam his in rebus tractandis & versati sint medici, & versari vix non ubique debuerint. In symptomatico pilorum defluvio, morbi, qui huic ut causa subest, curatio instituenda est. Cæterum, quæ pellis pilosæ integritatem, nutritionem, munditiem, transpirationem æqualem, ac robur concernunt, & nimiam irritationem, sensilitatem, debilitatem, siccitatem, ab eadem avertunt: hæc crines, & ex quibus nascuntur radices seu bulbos conservare, ac amissos jam pilos resarcire, experientia confirmat. Hinc locorum, quæ pilis ornantur, mundities; sudorum, pinguis, viscidæque materiæ, quæ illos conglutinant, & acredinem conspicuam mox contra- Cura.

hunt, solicita abstersio; ferri calidioris, quo crines crispantur, & farinæ, quam his inspergunt, corruptæ, aut cum calce, vel oleis acrioribus copiosius remistæ, fuga; frequens pectinis & levis frictionis, tum unguenti blandioris, cutemque subjectam lubricantis, usus; pilorum jam nimis longorum, extenuatorum, aut in apice fissorum, recisio, commendari merentur. Nil melius est, quam novacula quotidie radere, quia, cum paullatim summa pellicula excisa est, adaperiuntur pilorum radiculæ. Neque ante oportet desistere, quam frequentem pilum nasci apparuerit. Labentes ob nutritionis necessariæ defectum, vel ob debilitatem, -- per alimenta facilia, frequentius subministrata, aut per roborantia restituimus pilos. Acre specificum, aut aliud, quod pellem infestat, remedia sibi propria alibique tradenda exposcit. Ab adstringentibus vix tanta exspectamus remediis.

O R. D. II.

IMPETIGINES DEPASCENTES.

GEN. I.

PORRIGO.

Extensio.

§. 412. Inter eas impetiginum species, quæ cutem non modo commaculant, sed superficiem simul depascuntur ac lambunt, *Porrigo* hic primum spectanda est. Hanc vero ad capitis integumenta, non cæteram ad pellem, reducere complures non satis apte, ut videtur, maluerunt: ut quæ ad illa quidem interque capillos, imprimis densiores, frequentius,

— sed certe & ad supercilia, & ad barbam, ad alas, & pubem, & in omni, qua patet, superficie, corpus defœdat; nec ratio est, cur in ista, quod ad caput *porrigo* est, hoc non diversum, nisi gradu ac loco, malum, *lichenem* appellemus; aut quod in pelle affecta *humiditatem* ostendit, hoc, ob istam, ad *herpetes* reducamus.

§. 413. *Porrigo* hinc erit, cum epidermis a cute aspera, nunc furfuris, nunc squamularum specie, prævio plerumque pruritu, citra manifesta vel phlogosin, vel papulas, vel vesiculas, vel ulcuscula, copiose resolvitur; & pellem nunc siccam, nunc acri, vel & fœtido humore madentem, subtumidam, nunc pallidam, nunc ex luteo rubescentem, denudat. Definitio.

§. 414. Ex his (§. 413.) apparet, non parvam hanc inter affectionem, & *erythema* vel aliorum (§§. 280. 285.), vel nostrum (§§. 395. 396.), affinitatem subesse. Interim nec tam derepente porrigo invadit; nec rubor partis adeo in ista conspicuus, nec dolor ardens, aut calor magnus, ut in illo, separationem epidermidis præcedunt: sed modo pruritus, interdum vix ullus, aut tensio, ac levis dolor in cute affecta occurrunt, quæ decidua modo cuticula, & cum frictio adhibetur, rubicundior appareret. Nunc ad parvam modo plagam porrigo quasi *fixa* limitatur, atque vel incertam, vel *circularem* omnino, cum centro rubente, figuram assumit; nunc *volatica* & inconstans est, aut ad vicinia dilatatur ac proserpit; nunc certis fere anni periodis recurrit; nunc *universalis* ac *congenita* a quibusdam scriptoribus, &, magno certe exemplo, in septem ejusdem & sanissimæ familiæ prolibus a nobis observata est. *Internam* quoque dari porriginem, licet tunc furfures Diversitas.

sub forma *sicca* separari non queant, complura nobis persuadent. Sub aphthis certe, quæ stomachum, intestina obducunt, epidermis, nunc illarum sub habitu, nunc in squamulas & quasi furfures comminuta, per alvum secedit (§. 365.). In dysenteriis, ac drasticorum effectu, licet materia puriformis, coagulabilis alimentari a tubo morbose secreta, hic interdum solidescat, & membranæ sub specie per anum ejiciatur: intestinorum tamen villosa interdum ab istis separari, ac furfuris levioris sub forma per alvum excerni videtur. Quod *scabiem vesicæ* Antiquitas vocavit, hoc in furfure copioso ac levi in urinis suspenso, ab ægrotante hoc viscere excreto consistit. Sub catarrho tracheali, & sub specie illa cynanchis, quam *trachealem* appellavimus (§. 173.), nisi ipsa epidermis, similis saltem huic pseudomembrana, aut integra, aut squamularum furfurumque sub specie, in sputis comparet. Quod si quidem hæc a quavis, & plerumque ab erysipelacea, superficiei secernentis inflammatione leviori contingant: fateamur tamen, quod porriginis a causis, his locis admotis, non absimiles effectus oporteat oriri; & quod nunc herpes, nunc porrigo, pro externis, quas derelinquunt, internas in trachea, in bronchiis, in vesica, &c. sibi sedes nonnunquam eligere videantur. Sed & causæ ratione in porrigine diversitas occurrit: quod scilicet mali genus nunc cutis e vitio *primarium* existit; nunc indolem ab aliis distinctam, *symptomaticum*, ostendit, & significationem diversam assumit. Sic ipsam elephantiasin prævia hæc quondam præsagiebat impetigo, nec rarum est venereæ hoc signo prodi luis præsentiam, & in genere porrigo speciebus se aliis impetiginum frequenter adsociat.

§. 415. Potissima porriginis sedes capillata pars capitis est, ac neonatis infantibus, quo tempore capilli emergunt, epidermis in densas ac duras sæpe squamas elevatur, & sub intenso pruritu in furfures copiosos resolvitur. Cephalæa in adultis quibusdam vehementior, nonnunquam periodica, præcurrit, & furfure permulto inter capillos decedente terminatur. Post febres, præcipue nervosas, petechiarum sub decursu interdum, sese capitis manifestat porrigo: quam defluvium capillorum non raro comitatur, aut sequitur. Qui, pelle subtiliori instructi, rudiori verni temporis atmosphæræ se exponunt, aut, lota vix facie, sicciore frigidoque a vento perflantur, his epidermis sine pruritu in farinas dehiscens mox vultum deturpat. Ad tibias frequenter, ac fere sine pruritu aut rubore, epidermis in furfures secedit, & ad inguina scrotique confines similia cum scalpendi desiderio quibusdam contingunt. In ea, quam supra tetigimus (§. 414.), familia, epidermis in tribus ex pueris continuo cutem asperam, duriorem, quercus cortici non multum absimilem, ac sulcis notatam, ex luteo rubescentem & siccam, sine quovis dolore, aut pruritu, in albidas farinas conversa obsidebat. In tribus ex sororibus non tanta, ac in quarta & juniore, cutis erat asperitas; sed frequens in parte nunc ista, nunc illa, porrigo. Una quidem ex illis, rachitide affecta, gibbosa, capite prægrandi ac informi, asthmate ac strumis, mente simul imbecilla, laborabat. Ex pueris unus a phthisi pulmonali enectus est; ab asthmate alter, — ac tertius hypochondriacis affectibus, adhucdum tenentur. Decursus.

Plerumque partes, quæ porrigine laborant, siccescunt ac asperæ tanguntur; sæpe interim sub squamulis ichor paucus, lymphaticus, sub specie madoris, ex cute integra scaturit: quin diversa, ob id,

mali utriusque natura sit, aut *lichenis* illinc, hic vero *porriginis* magis nomen conveniat. Vel in ea ipsa, quam *siccam* appellant, affectione furfures tam copiosi apud multos secedunt: ut, nisi lymphaticus, qui hic continuo per morbum secernitur, & mox ab aeris attactu vel sponte solidescit, liquor suppleret, epidermidis non sufficeret. Quo loco squamulas, ne prompte decidant, capilli prohibent, eo tenax, sub illis collectus, ichor hos conglutinat, corrumpitur, & acredine, quæ subjectam sæpe cutem arrodat, instruitur. Alibi tenuis, & in furfures mox abitura, hoc ex liquore crusta generatur.

Causæ. §. 416. Ex illis, quæ (§§. 414. 415.) dicta sunt, jam plures porriginis causæ elucent; & qui cutem inter & epidermidem nexus intercedit, hic certe ob rationem non unam aboletur. Nunc enim liquida vel ob vasculorum cutaneorum lacerationem, erosionem, — ob infractam resistentiæ potentiam, vel ob morbosam, ex hærente hic stimulo, secretionem, sub epidermidem effusa, nec promptius resorpta, hanc ipsam a cute vellunt, & in punctis nunc minimis, nunc largas per plagas, aut in miliares hydatidulas, phlyctænas, aut in amplas vesicas ac bullas attollunt: quæ, diffluente, vel denique consumpto humore, arescunt, ac tenuis latæque pelliculæ, aut squamularum ac furfurum sub specie, a cute separantur; nunc vi morbi continuo, uti arborum e cortice *gummata*, exsudans humor lymphaticus ad partis, quam inundat, superficiem dispersus, expanditur; in alteram novamque epidermidem, aut crustosum, informe operculum ab atmosphæræ attactu solidescit, inæqualiter siccatur, mox finditur, retrahitur, separatur, ac farinosum in pulverem fatiscit. Si nullus in porrigine *siccâ* humor stillari dicatur, potius intelli-

gendum est non satis exstillari, ut cutem tactui madidam offerat, difflato prius, aut solidescente humore, quam cuticula decidat.

Quæcunque hinc causæ in cutem, aut in rete mucosum agentes, & istorum cum epidermide nexum dissolvunt, &, proprio in pellem stimulo, loco tenuis, subsalsi madoris, liquorem in coagulum proniorem, morbosum, acriorem, aut & fœtidum excerni, aut aliunde huc deponi faciunt: eæ *porriginis* tum primariæ, tum illius, quæ cæteras impetigines, exanthemata non pauca comitatur, rationem largiuntur. Non igitur specifica hic materia, aut prævium semper in humoribus vitium, & criminis ubique veteribus damnata bilis; sed vel acre, nunc illud, nunc istud, — vel, mitior lentiorque erysipelate, ac herpete (§. 420.), aut pellis aut reticuli mucosi phlogosis, — vel glutinis nutrientis in cute aut copia, aut defectus, — vel morbosa in pellis contextu sensibilitas ac perversa secretio, — impedita cutis, ob pilos numerosos, aut spurcitiem, transpiratio, — pulveris cyprii acrioris, aromatici usus, radiorum solis actio in cutem diuturna, porriginis ut causæ præcipuæ accusari merentur.

§. 417. Varia hinc porriginis, ejusque a causis repetenda, est prognosis; atque nec ubique sine aliquo vitio corporis nascitur, vel ex toto in omnibus inutilis est; nec solius modo pellis a culpa non interdum occurrit; aut majorem, quam ipsa sit, morbum subinde non indicat impetiginis hæc species. Prognosis.

§. 418. Qui ad diversas porriginis causas (§. 416.) respexerit, is non unam, sed aliam aliamque, cuivis ex istis oppositam, curationis sibi eliget methodum. Hinc aliorum, ex quibus hæc affectio pendet, mor- Cura.

borum fomes in genere tollendus, & actio in cutem prævertenda sunt (§. 375.). In ea, quæ istius modo culpa prodit, aut quæ ab acri hic elaborato, aut collecto inducitur, porrigine, illa, quæ pellis aut siccitatem, rigiditatem, aut laxitatem, sensibilitatem perversam, aut plenitudinem corrigant, & quæ stimulantem per poros cutaneos expellant materiam, conducunt. Summa hinc cutis puritas, & frequens pectinis ad sordes inter capillos removendas usus, indicantur. Densiorem forte, importunamque comam, imprimis si tenax illam fœtidusque ichor conglutinet, rescindere, — sed simul, ne capiti, resecto vix pilo, frigus obsit, cavere oportet. Ariditatem, rigiditatem pellis, decoctis seminum lini, herbæ malvæ, partium animalium & pinguium, lactis balneo, aut fotu, axungia recente, corrigimus. Laxitatem, frictio, frigidæque usus, aut vini alcohol cum ista conjunctum, aut corticum quercus, vel chinæ decoctum, solutio aluminis, salis saturni, aut fascia, tollunt. Perversam cutis sensibilitatem, ac pendentem forte ex hac ipsa secretionem morbosam, si prædictis, aut internis remediis non cedant; oleo hyoscyami cum opii portione illito, — vel & stimulo contrario ex cantharidum tinctura, ex urina recente, sero lactis cum aceto remixto, moderamur. Plenitudinem cutaneam scarificatio dispergit (§. 375.). Quo vero tempore externis porriginem primariam aggredimur auxiliis, excretionum naturalium, transpirationis scilicet, urinæ atque alvi habenda est ratio: quæ, si recte succedant, ac moderate augeantur porriginis curationem eximie secundant.

ORD. II. GEN. II.

HERPES.

§. 419. Epidermidem modo *porrigo* (§. 413.), mucosum vero reticulum, & cutis ipsius superficiem, *Herpetes* arrodunt. Quam vero illa cum *erythemate* (§. 396.) formæ affinitatem manifestat (§. 414.), hanc isti cum *erysipelate* pustuloso (§. 282.), ejusque imprimis specie, quam *zonam* appellavimus (§. 287.), febre tamen plerumque expertes, ostendunt; & communissimum in civitatibus, lateque per familias expansum, cutis morbum nobis exhibent, qui propria non minus diuturnitate, quam natura rebelli, ac insidiis, quas visceribus sæpe struit, infamis est. — Affinitas.

§. 420. *Herpes* vero est species impetiginis, quæ papulis exiguis, aut rubris aut pellucidis, subflavis, aggregatis, cum pruritus, tensionis, ac ustionis quasi sensu, ad cutem subtumidam ac subduram efflorescit; his vero vel sponte, vel scalpendo disruptis, pertinaciter ulceratur, saniemque acrem vicinas sæpe partes arrodentem plorat, ac squamis, vel crustis informibus obtectæ in lemas atque furfures resolvitur. Definitio.

§. 421. Herpetis solita in *miliarem*, *rodentem*, ac *phagædenicum* divisio, formæ potius, ac vehementiæ, quam diversæ hoc in morbo naturæ, fundamento innititur. Nec alia nunc temporis *mentagræ*, quam *herpetis*, nisi loci, quem illa occupat, differentia, est indoles; ac si propius hæc singula describi nihilominus mereantur, non tamen ideo pro morbi speciebus distinctis, quæ gradu violentiæ, aut sede, mo- Differentiae.

do differunt, declarari debuissent. Alia vero causarum (§. 423.), quæ hæc singula producunt, est ratio, ac ipsa medendi methodus hac a morbi tam multiformis divisione dirigitur: eo quod scilicet nunc cutis ipsa, injuriis occultis agitata, *primarium*, nec ab aliis pendentem, secretionis vitiosæ effectu, sibi morbum elaboret (§. 416.); nunc vero ab acri quocunque ad superficiem *symptomatice* invadatur; ac illius magis, ut ab hoste liberetur, quam sui ipsius, nisi jam *complicata* morbi indole, curam exposcat. *Congeniti* in quibusdam, — *hæreditarii* in aliis, — *epidemici* aliquando, exempla *herpetis* occurrunt; ac demum in aliis hiemali hic tempore disparere, solis æstu redeunte redire, & quas illinc in viscera furias exercuit, has ad pellem hinc, quadam fere *periodo*, ac *metastasi*, seu *crisi imperfecta*, convertere observatur.

Descript. herp. §. 422. Sed, qua sub forma herpes in cute compareat, & quas illa mutationes eodem in morbo patiatur, dicendum nunc est.

Herp. simplex. In parte scilicet nunc hac, nunc illa, pruritus ingratus, ac sensus ardoris, tensionis percipitur; & mox papulæ vel rubræ, vel flavæ ac pellucidæ, circa limbum rubellæ, sat copiosæ, sed dispersæ, sine cutis intermediæ phlogosi, ac sine febre, comparent: quæ papulæ vel sponte, vel unguibus disruptæ, mox squamis obteguntur; quas latens sub eisdem superficiale ac urens ulcusculum mox abjicit, mox renovat; donec lento hoc ipsum decursu siccescat, ac in lemas, furfures, & albescentes quasi farinas, fatiscat. Ad faciem, præcipue pone aures, mentique confines, circa poplitem, & collum, manuum ad palmas, plantasque pedum, hic *simplex*, vel & *farinosus*, ut appellant, *herpes* frequenter oc-

currit, ac internos sæpe partium dolores, & nervosos, ut vidimus, affectus hinc inde dispergit.

Miliarem herpetem, pustularum seminibus milii similium a forma, — ac si paulo majores observarent vesiculas, *phlyctænoden*, vocarunt illum; qui majori, quam *simplex*, pruritu, calore, tensione, tumore partis his a papulis copiosius obsessæ, ac rubore per interstitia extenso, incederet. Insignes non raro, hoc sub statu, cruciatus, digestionis sub tempore, lautiores post epulas, & ad noctem cum vigiliis crescentes, experiuntur ægroti, ac interdum, licet rarius, febricitant. Tumor splendens ac ruber, ustionis quasi sensus, manifestam hic phlogosin, ac magnam cum *circini* (§. 287.) symptomatibus similitudinem, sed longiorem ac pertinacem magis decursum, ostendunt. Brevi tempore vesiculæ, ad fundum jam erosæ, ad apicem subalbæ, rumpuntur; ichor acris, qui effluit, sæpe fœtet, & partim in crustas sat tenues, inæquales, scabrosas, colore nunc cinereas, nunc luteas, nunc a sanguine commisto, vel ex fissa epidermide squamosa stillante, subatras, concrescit. Ad manus (facile utriusque) dorsum, ad brachia, crura, non raro ad scrotum, perinæum, vel quavis alia in parte, si forte faciem excipiamus, hæc impetigo frequenter prorumpit; ac sæpe per menses, &, ut vidimus, per annos, renovato sæpius pustularum reditu, moderato hinc inde furore, nunc eodem, nunc alio in loco, nunc in pluribus simul, ferocissima continuat. Herp. Miliaris.

Minori plerumque violentia *herpes rodens*, vel *serpigo*, incedit, sed conspicua rapiditate extenditur, atque a crustis eodem sat densis obtecto, contentus sub istis ichor in vicinas sibi partes invehitur, ac faciem imprimis, aut partes quascunque, exulcerat, Herp. rodens.

quasi larva obducit, atque cutis vestigia exesæ hinc inde relinquit.

Menta-gra. Huic ipsi herpetis varietati, vel & *lepræ*, ubi mentum, aut vultum fere totum defœdabat, *mentagræ*, si recte judicemus, est nomen impositum. Solius menti herpetem squamosum & quasi farinis conspersum in *Clinico Instituto* observavimus: in eo certe singularem, quod viri ab eodem affecti barba pilos, prope cutem, penicilli in modum unitos, mox vero divergentes, crassiores ac asperos ubique exhibuerit.

Herp. phagedæn. *Herpetis phagedænici* non alia, quam *herpetis rodentis*, ejusque pejoris, aut cutem, in tumorem elatam, profundius ac fere integram exulcerantis, nec ideo in vicina tam late serpentis, conditio est.

Quod vero hic adducta herpetum divisio non nisi varios ejusdem mali gradus nobis offerat, vel ex eo, quod illorum unus in alterum sæpe transeat, conjicere licebit. Pro varia scilicet sensibilitatis cutaneæ, ac pro rerum aliarum positione diversa, a causa prorsus eadem herpes nunc simplex, nunc miliaris, nunc rodens, aut ulcus herpeticum, eodem in homine nascetur. Quo fortior irritatio hoc a malo inducitur, eo plura tum localia, tum a consensu derivanda, excitantur symptomata. Ad internas sæpe partes, ut per nares, laryngen &c., herpetes proserpunt; ac disparens, aut repulsum a cute malum, eventu non raro lethali convertitur ad viscera. In eodem homine, ad iras effrenes proclivissimo, ac simul hypochondriaco, vertigines, & salutis alia non pauca incommoda ab herpetis *simplicis* ad pedum plantas eruptione mox cessasse conspeximus. Hunc tamen spirituosis & acribus tractari ægrotanti placebat. Nascitur hydrocele: quo, per sectionem testiculi sanato, ex vulneris jam clausi superficie serum acre, ad plures in die uncias, per binas fere

hebdomadas cum emolumento exsudat. Sed hunc quoque fontem vir consiliis rebellis exsiccat, & primum hepatitis, — hac vero persanata, maniaca per menses insequuntur deliria. Ipsa iterum ad scrotum cicatrix aperitur, ac humor acris effunditur: quo fluere cessante, in manus utriusque dorso herpes *miliaris*, ac tandem *depascens* comparet, & immanes rebellis dolores producit. Externis iterum abacta impetigine, periculosa otitis se prodit: qua feliciter dissipata, ad tibias herpes, ac pristina cum illo valetudo revertitur. Ex venereo ad perinæum herpete repercusso, dolorem in thorace punctorium, sputa sanguinis ac tandem purulenta, cum macie extrema & singulis pulmonalis phthiseos symptomatibus, mercurialium virtute superare nobis licuit. Vel ad pulmones, vel uterum, vesicam, vel alia ad viscera aberrantis, vel istius ex illis ad cutem felici cum omine transvecti, copiosa occurrunt exempla: quæ singula herpetem ad internas non minus læte, quam externas ad superficies florere, ac symptomata pro sede mali diversa excitare, luculenter ostendunt.

§. 423. Ipsius certe cutis extremis in oris, ac reticulo mucoso, sicut *porriginis* (§. 416.), ita & *herpetis primarii*, præparatur, aut nascitur, ac fovetur, incognitæ licet naturæ, materies. Nec forte magna inter illam, cum pellem pertinaciter, quasi arborem lichenes, deturpat, — ac herpetem, nisi majoris ac fere causticæ in ista acredinis, differentia est. Quid vel *sola* in vasculis cutaneis *secretio mutata* in mutandis humoribus valeat, hoc simplicioris ex vulneris, pus inodorum ac blandum fundentis, — sed forte neglecti aut stimulati, ac in *ulcus* conversi, ichorem fœtidissimum ac vicina rodentem ex sanguine sanissi-

Causæ.

Secretio morbi.

mo separantis, historia elucet. Forsitan non tam male diceremus, herpeticam, vel aliam, specificam atque acrem, tunc in cute, sanguinis sine culpa, generari materiam: cum ejus vascula, per causam peculiarem modo sic, modo aliter, incitata, prout vasa *melois vesicatorii* sponte ac sine morbo pro aliis — ita rodentem atque causticum sibi ipsis, liquorem secernant. Hujus certe sic, humorum sine vitio, præparatæ fomes materiæ, modo cutem, ex qua stillat, ac vicinias arrodit, exulcerat; modo copia adauctus, & ad sanguinem resorptus, — aut forte in isto non mutatus, aut transpirationis urinæque per vias non rejectus, perpetuam herpetis causam constituit: quæ, nisi ad cutem expulsa, febres nunc lentas, sive hecticas, — nunc glandularum, viscerumque infarctus, — ad pellem vero delata, propriam in ista irritationem, secretionem morbosam, ac impetiginem analogam, vix tamen, ut nobis videtur, in alios contagio, nisi forte symptomaticus, ut venereus, sit herpes, transituram, constituit. Quid hominis integumenta, fluidorum sine vitio, ut herpeticum ichorem, loco blandi madoris, secernant, inducat, hoc quidem determinari non potest: sed vix *unum*, vel, ut vocant, *specificum*, hoc esse; causarum aliarum, quæ similem in cute impetiginem producunt, effectus commonstrat.

In *bile* præcipuam herpetis causam Antiquitas quæsivit: & negari non potest, hoc fluidum aut exuberans, aut mora, vel aliter corruptum, in cute, tum ex hepate regurgitans ac resorptum, tum solo abdominis in pellem consensu, istius integritati non parum obesse (§§. 274. 373.). Major forsitan herpetum in iracundis, quam aliis in hominibus, frequentia occurrit; in ictero rebelli tum pustulæ cutaneæ, tum insignis pruritus comparent; & quæ de chro-

nico ac habituali jam dicta sunt erysipelate (§§. 288. 290.): hæc, sectio pathologica de herpetibus aliquando confirmat. Sed reticendum simul non est, Veteres ex flavo magis contenti in pustulis liquoris aspectu, ac insana de *quatuor humoribus* theoria, quam ex alio fundamento, herpetum, aliorumque affectuum, qui cutem defœdant, originem a bile derivasse. Nec etiam, cum abdomini consensus in cutem conceditur, hic idem & isti in illud negandus est; — nec detecta post mortem in hepate labes pro causa magis, quam pro effectu herpetis, ubique declaranda fuisset: cum vel ipsa sub psora, seu scabie, quam ex hepate nemo jam derivat, jecinoris obstructio, quæ impetiginis inveteratæ aut male tractatæ effectus est, subinde occurrat.

Diætæ vitia.

Nil interim aptiorem generandis herpetibus materiam, quam longa in cibis aut rancidis, corruptis, aut aromate acriori conditis, ac potu spirituoso intemperantia, largiri videtur: cui, si otia, animique curæ graviores superaccedant, nascitur singularis illa in lympha hominum aulicorum vel procerum ad herpetem, ut altera, in podagram, huic cœtui præ alio fere propria, dispositio.

Acria diversa.

Illud ipsum vero, quod vel affectibus rheumaticis, vel scrophulis, vel scorbuto, lui venereæ, vel crisibus imperfectis, subest, — herpetis non raro in pelle condit principium. Ex acri interim *venereo degenerante*, *herpeticum* oriri, non minus quam pomorum e semine prunos expectare, absurdum videtur. Ex parentibus herpetes, vel fluidorum, vel solidorum ex culpa, in filios, hæreditatis sub specie transire, experientia confirmat. Quid excretionum naturalium, vel illarum, quibus jam adsuevimus, suppressio in pellem queat, jam satis expositum est (§. 274.); & copiosa mulierum, quibus aut men-

strua, aut fluor albus, — multorum, quibus hæmorrhoides, aut sudor pedum solitus, aut ulcus artificiale, vetustum, -- imprimis senum, quibus & urinæ & cutanea simul excretio, aut languent, aut suppressa sunt, exempla, herpetis originem ex uberrimo hoc fonte non parum illustrant.

Sed quod frequentes herpetis ex locali cutis stimulo natales demonstrat, illius vel a simplici feminarum *collari*, ex pilo humano, -- vel a presbyterorum illo, ex lino scilicet confecto, oriundi exemplum est. Jam solæ, quas oculus inflammatus exstillat, lacrymæ, & genas arrodunt, & phlyctænas in illis quasi herpeticas attollunt; quid igitur mirum est, si cutis, quocunque demum modo stimulata, humorem, quem continuo expirat, insonte licet sanguinis massa, in acrem ac fere causticum ichorem convertat?

Cæterum & cutis immundities, & lanarum, pannorum, vel oleo impuro ac rancido, vel rebus acribus imbutorum, tinctorum, tractatio, sartoribus, textoribus, atque aliis, qui impura & uliginosa simul loca inhabitant, hanc fœdam impetiginem hinc inde communicant.

Prognosis. §. 424. Sicut varia herpetis natura & origo, ita diversa quoque prognosis hujus mali est. In genere, herpes gentilitius, congenitus, pubertatis post epocham continuans, inveteratus, difficulter, si unquam, superatur. Quæ alterius symptoma est morbi, aut istius quasi crisin constituit, herpetica affectio; illius, nisi vitii primarii recisa radice, vel certum ægrotantis in damnum, vel sine magno successu, suscipitur curatio. Nec symptomaticus quidem herpes, ablata licet causa principali, si natura jam ulceri adsueverit, sine quovis respectu, dere-

pente per externa suffocandus est; ac majora plerumque sanationis perversæ, quam ipsius externi herpetis, pericula cernuntur. Quo tempore menstrua apud mulieres suspenditur, aboletur excretio: eo herpes non raro malignam, & carcinomaticam quasi, naturam assumit. Qui recens est, & a solo cutis vitio exoritur herpes; hic non modo facilius, & sine noxa, externis tractari, sanari mox potest; sed internæ infectionis, & contrahendæ habitudinis ob metum, exstirpari celeriter debet. Quo major cæterum herpetis in cutem est impetus, quo magis hanc penetrare, exedere, ac crustis defœdare cernitur, eo major plerumque in eodem sanando difficultas, & factæ retrocessionis fortiora timenda sunt pericula.

§. 425. Sub cura herpetis, ad illa imprimis, quæ alibi (§§. 375. 418.) jam dicta sunt, respiciatur; — mox vero num primaria, vel secundaria, num recens, vel antiqua impetiginis sit indoles, -- & qua ex origine hæc fluat, inquiratur necesse est. Prima igitur & hic erit regula, ut quæ causa interna herpetem pro effectu agnoscat, hæc opportuno regimine ac remediis huic ipsi oppositis corrigatur. His vero peractis, aut etiam, si cutis modo vitium subesse videatur, omissis, sub debito habitudinis jam forsitan contractæ respectu, ad externa mox subsidia (§. 375.) recurrendum est. Curat.

Quam sibi *herpes secundarius* curandi rationem exposcat, hoc aliis hujus operis ex locis eruendum relinquimus. Cum vero non una, sed alia aliaque sit herpetis materia, quin vera ejusdem indoles ex clariori, quam solius cutaneæ affectionis, signo ubique eluceat, atque hinc multa in corrigendo incognito hoc fomite difficultas nos premat: hinc generales

saltem in eo curationis amplectimur regulas, ut habita causarum ratione, cutis potissimum naturalem excretionem, ac stimulantis exhalationem materiæ, per summam illius munditiem, debitumque atmosphæræ regimen, promoveamus. Frequentior herpetum origo ex eorum, quæ per cutem vel renes excernenda fuissent, retentione derivanda videtur; vel saltem illa, quæ urinas, cutaneam transpirationem adaugent, ab experientia hoc in morbo proficua esse docentur. Hinc corporis exercitia, frictiones, balnea, indusia quidquam aspera, ex lana puriori confecta, & ea, quæ præ aliis in cutem agere videntur, medicamenta, antimonialia imprimis, refracta dosi porrecta, antimonium crudum, æthiops antimonialis, vinum antimoniatum, sulphur antimonii auratum, cum gummi resina Guajaci vel & mercurio dulci conjunctum, flores sulphuris, cum successu nonnunquam adhibentur.

Qui vero acre herpeticum sui generis supponunt, hi certis, ac specificis, ut vocant, hoc ipsum medicamentis corrigere ac subjugare studuerunt: atque tum stipites dulcamaræ, seu *solani scandentis*, tum corticem *ulmi campestris* internum, pulsatillam nigricantem, seu *anemonem pratensem, jaceam*, seu violam tricolorem, vel & *alcali volatile causticum*, in auxilium vocarunt. Laus dulcamaræ ad magnas satis doses in decocto (N. XLIV.) vel in debiliori hoc ipso extracto porrectæ, a sat multis hucusque confirmata est, & sub forma pilularum cum aliis (N. XLIV.) remixta medicina tentari meretur. Fatemur interim, frequenter in vanum hæc singula præscribi; nec major est virtus illorum, quæ ad acre, ut sibi persuadent, involvendum, dulcificandum, ut sarsaparillæ, saponariæ, chinæque radicum, aut viperarum, testudinum, ranarum decocta, aliquando

per menses ægrotantibus ingeruntur. Seri lactis vel solius, vel cum succis plantarum, fumariæ, cichorei, rumicis acuti, seu lapathi, menyanthes trifoliatæ, seu trifolii fibrini, remisti effectus haud magnos in herpete conspeximus; interim, si viscerum obstructio huic ansam porrigere, aut biliosa colluvies aut scorbutica dispositio subesse videantur: tum ad ista, tum ad alia, quæ his causis opponantur, confugere licebit. Quibusdam rebellem salis acidum marini herpetem profligavit.

His vero atque aliis pro morbi causa vel adhibitis vel omissis remediis nisi herpes superetur, ad externa veniendum est auxilia. Sub diuturna ac in habitudinem jam conversa impetigine, huic ipsi vicinus non sine fundamento, priusquam illa persanetur, excitabitur fonticulus. Sub fortiore herpetis phlogosi, tensione, dolore, aut si crustæ densiores hunc efformant: emollientia & anodyna, vapor tepidæ, cataplasma ex lacte cum pane, oleum, butyrum recens, fomentatio cum malvæ decocto, adhibeantur necesse est. Si febris, quod rarum est, urgeat: venæsectio, vel sopiens dolores ex opio remedium, conducunt. Sedata vero quidquam irritatione, ad illa, quæ secretionem morbosam vel exsiccent, vel protinus immutent, veniendum est. Extractum saturni liquidum cum aqua remistum, vel cataplasma ex ista & pane confectum, vel unguentum saturninum, hic multis auxilio sunt; atque damna, quæ a plumbo derivantur, præposteræ herpetis sanationi non raro tribuenda fuissent. Quibusdam interim in casibus tensionem ac dolores hac a methodo adauctos observavimus. Similia de usu externo mercurii sublimati in aqua soluti nunc summopere proficuo, nunc nimis irritante, dicenda sunt. Unguentum mercuriale album (N. XLVI.), vel

citrinum (N. XX.), bis in die ad pisi magnitudinem herpeti illitum, vel aliud ex zinco (N.XLVII.), hunc sæpius dissipavit. Sed hæc singula tam a succo nicotianæ tabaci, emplastri sub forma (N. XLVIII.) applicito, quam imprimis ab aceti destillati fortioris usu, superari conspeximus. Corticis quoque nucum juglandium viridis, sed prius siccati, decoctum (N. XLIX.) ad ulcera herpetica laudatum est. Interdum rebellem aliis herpetem, vesicans ex cantharidibus emplastrum huic ipsi impositum radicitus exstirpavit; nec aliter Antiquitas, quam urendo, suppurationem & tandem cicatricem inducendo, hoc mali genus obstinati pertractabat. Summos non raro in dissipandis herpetibus effectus maris balneum habuisse observavimus; nec minora eosdem in thermis sulphureis subsidia exspectant. Sed quocunque demum externo remedio herpetem dispellere conemur, opus est, ut secretionis cutaneæ ac renalis simul ratio habeatur; atque multis, nisi aliter forte jubeat debilitas, lenis ac repetita per alvum evacuatio conducit.

ORD. II. GEN. III.

HYDROA.

Definitio. §. 426. Non absimile forma herpeti simplici cutis vitium *hydroa*, seu phlyctænæ, grano milii plerumque æquales, interdum majores, confertæ, vix cohærentes, levioribus ex causis derepente cum pruritu oriundæ, fugaces, aut brevi mora in squamulas aut furfures resolvendæ, nobis sistunt.

Diversitas. §. 427. Aliæ vero ex istis (§. 427.) pellucidam,

sphæricamque hydatidulam præsentant: quæ nunc diaphana, ut cutis ipsa, albescit, — nunc figuræ magis conicæ, levi phlogosi ad basin suam cincta est, ad apicem subturbido, flavescente liquore turget, &, originis ratione, *hydroa sudamen* vocatur. Aliæ sub febribus tum acutis, ut illa, quæ peripneumoniam comitatur (§. 193.), tum in ipsis intermittentibus, ad pectus, labra, vel alias ad partes, nunc evidenti cum fructu, nunc sine isto, cum pruritu & ardore, copiose prorumpunt, & sponte disruptæ, herpetum adinstar, in crustas exsiccatæ, brevi tempore in squamulas resolvuntur: *hydroa febrile* dicendæ. Vel a solo terrore, oris circa ambitum, phlyctænæ prodierunt; & apud hystericas, chloroticasque virgines, apud hypochondriacos, similia hinc inde sine causa manifesta occurrunt. Ipsa demum in fœminis delicatulis miliaria, quæ febris sine impetu per menses in cute teneriori florescunt (§. 322.), — atque illa, quæ ex tendinum læsione, ex ossium fractura, vulneribus, hinc inde oriuntur (§. 324.), huc spectant; ac singula nervosæ prosapiæ phænomenon nobis offerunt, quod *hydroa nervosum* appellabimus. Alia phlyctænarum, rariorque, est species; quæ coloris nunc albi, nunc lividi aut subnigri, circa limbum inflammata, ac in vesiculis lenticulæ vel & fabæ magnitudinem æquantibus consistens, vel noctis modo tempore ad cutem erumpit, vel eodem dolores acerbos, diluculo remittentes, inducit, & *Epinyctidis* sibi nomen a veteribus obtinuit (hydroa epinyctis). Ipse forte *pemphygus* (§§. 357. 359.), cum sine febre comparet, hoc ad genus morborum referri meretur.

Hyd. rudam;

Hyd. febrile;

Hyd. nervos.

Hyd. epynictis.

§. 428. *Hydroa sudamen* æstivam atque calidis regionibus magis propriam, levioris momenti, cutis

Decursus.

affectionem constituit. Frequentior sudaminum sub aere simul calido ac humido proventus est; &, qui huic necdum adsueverunt, cœli frigidioris incolæ, hi præ aliis a pruriente hoc pellis affectu per annos bene multos sub quavis æstate tenentur. Infantes præ adultis, & ex istis illi, qui cute teneriore obteguntur, sudamina patiuntur: quæ in facie non minus, quam ad manus, totamque superficiem, sub forma descripta (§. 427.), nunc alba, nunc rubra, cum summo, & ad noctem præcipue crescente, pruritu efflorescunt, & a quovis corporis exercitio, vel frigidioris ab aquæ potu, mox numero augentur. Sæpe qui sub fervida æstate undæ frigidæ solatia sibi quærunt, mox a balneo ad cutem copiose his a pustulis obsidentur. Quemadmodum vero hæ phlyctænæ ad pellis superficiem quam citissime erumpunt, sic a moderato atmosphæræ calore ex eadem promptissime disparent; ac licet ab istis plerumque nil damni observetur, non tamen desunt exempla illorum, qui pruritus ad cutem impatientes, sudores salutares arcendo, vel flumina petendo, in febres, diarrhœas, ac alia incommoda non pauca inciderunt. Post paucas modo dies sudamina arescunt, ac in squamulas resolvuntur; sed donec solis æstus dissipetur, in cute mox nova succrescunt, ac somnum vix ullum sic affectis sub stragulis concedunt.

Hydroa febrile morbi primarii, cujus comes est, decursum vel totum absolvit; vel ut crisis salutaris, huic finem imponit.

Similia de *hydroa nervoso*, alterius plerumque morbi symptomate, dicenda sunt.

Epinyctis hydroa, nisi *circinum* aut *zosterem* (§. 287.), aut *pemphygum* (§. 395.), pro ista auctores, ut dubitamus, describant, perraram, nec visam nobis, forte eandem cum *termintho* Græcorum, æ-

gritudinem constituit; sine sexus, ætatis aut roboris ratione, nunc prævíis, nunc exclusis, torpore, lassitudine, anxietate, pallore, anorexia, ex cute tenera vel transparentes & albæ, vel lividi aut atri coloris, phlyctænæ, nunc discretæ innumeræ, nunc largam cutis plagam occupantes, ad lentis, sive fabæ magnitudinem, raro magis, extensæ, ad noctem, plerumque cum febre, erumpunt; vel, si solis ab ortu nascantur, sub illa tamen vehementius, & supra magnitudinem ulceris, ægrotum torquent. Singulas phlyctænas rubor urens circumdat; atque dum illa rumpitur, humor plerumque transparens, & cui lividum vel atrum fundus ulceris latentis colorem impertiverat, effluit. Spoliata humore contento epidermis collabitur, atque cum ipso demum ulceris fundo post paucos jam dies arescit, & in squamas, non sine cutis erosæ vestigio, resolvitur.

§. 429. Non sanguinis certe, sed sudoris, calidiori sub cœlo copiosioris, fœtidioris, acrioris, & ad pellem sensiliorem a causis minoribus retenti ex vitio, sudamina nascuntur. Contractis scilicet a frigore incaute admisso cutis spiraculis, impulsus hic ipsis liquor transpirabilis, lateraliter, rete inter mucosum ac epidermidem transudat, hanc ipsam ab illo divellit, vesicula miliformi inclusus tensionem stimulumque hic concitat, ac specifica acredine a morbosa secretione, vel propria natura, instructus, subjectæ pellis nervulos, ut cantharidum huic impositum acre, irritat, istamque exulcerat; vel in sanguinem cum violentia & in copia revectus, nunc in canalem intestinalem, nunc alias in partes invehitur, ac choleras, diarrhœas, aut febres, anxietates, catarrhos, ac rheumata inducit. Nullibi certe major ex suppressa transpiratione, quam illic morborum est

Causæ.

cumulus: ubi fervidæ atmosphæræ æstus ac humiditas continua affluxum humorum ad cutem laxiorem simulque magis sensilem perpetuo invitat, & ubi major cœli inconstantia maceratæ pellis opus suspectum interioribus frequentius ac cum impetu transmittit. Non alia phlyctænarum ex terrore, ex affectu quovis nervoso, qui vasa cutis impetuose constringunt, ac majorem in cute sensibilitatem inducendo, secretiones in eadem morbosas inducunt (§§. 276. 359.), origo videtur. In *hydroa febrili*, ac *epinyctide*, eas ipsas, quæ nunc miliaria (§. 324.), nunc erysipelas (§. 288.), nunc pemphygum (§. 360.) progenerant, rationes subesse arbitramur. Quid in secundo ex illis tam graves noctu dolores excitet, hoc non magis, quam venereorum ad ossa dolorum augmentum nocturnum, intelligimus.

Prognosis. §. 430. Sudaminum nulla, nisi quæ diximus (§. 428), retrocessionis subitaneæ, discrimina existunt. Qui plures per annos cœli calidioris in cutem acriori assueverunt, hi tandem sudamina, quam advenæ, pauciora patiuntur. Phlyctænæ febriles nervosæ ex morbis, quos ut crisis, vel symptoma sequuntur, judicium desumunt. Epinyctidis, ut naturam, sic & prognosin ex propriis observationibus indicare nequimus.

Cura. §. 431. Ab adversis modo rebus in sudaminibus abstinendum est; & qui causas hujus incommodæ magis quam morbosæ affectionis evitare non potest, hic, ne talis demum hæc fiat, sudorum non impatiens, a subitaneo corporis refrigerio, & frigidis a balneis, atque illis, quæ cutis poros obturent, sibi caveat. Sub majori pruritu, quies corporis, atque regimen, ut vocant, antiphlogisticum, conducunt.

Si post subitaneam phlyctænarum retrocessionem internæ irritationis symptomata sequantur, in robustis interdum venæsectio, utplurimum vero balneum, quod cutem reaperiat, tepidum, infusum sambuci cum oxymele, ac similia indicantur.

In *febrili hydroa*, & in illo, quod *nervosum* est, remedia primario, unde pendent, morbo adaptanda sunt. Si crisin istius effecisse videantur: externis, nisi fotu emolliente si dolor urgeat, abstinendum est.

Epinyctidis nos curam experientia destituti hic tradere abstinemus. Fortiorem interim, si nobis occurreret, phlyctænæ dolorem tum anodyno cataplasmate, tum opii externo internoque ad noctem usu moderato, atque illis, quæ nimiam in pelle irritationem sopirent, tractandum fore crederemus.

ORD. II. GEN. IV.

PSORA.

§. 432. *Scabiem* Latini nominarunt morbos fere omnes cutaneos, qui ob majorem pruritum ad *scabendum* invitarent aut cogerent infectos. Græcorum *Psora* non minus vagam, ipsique *lepræ* subinde concessam, significationem agnovit: sed quod a tam communi, tantasque impetigines comitante scalpendi pruritu derivationem non sumat, hoc nobis nomen ad morbum, de quo nunc sermo erit, designandum, præ illo scabiei, arridet. Nominis ratio.

§. 433. *Psora* vero impetiginis est species, quæ vel proprio & contagioso a fomite, vel potius ab *acaro* humanæ cuti infesto, contagii præmissi sub aspectu, sed sensim sensimque, & ex parte in par- Definitio.

tem, producta, in pustulis exiguis, miliaribus, hinc illinc majoribus, solitariis, ad fundum duris ac rubellis, ad apicem pellucidis, albescentibus, excepta fere facie, ubique, — sed manuum inter digitos & ad carpos præcipue conspicuis, super cute elevatis, voluptuose sub motu æstuque corporis, & ad noctem imprimis prurientibus, ac disrupta cuticula, crustosis, ulcerosis, in squamulas abeuntibus consistit.

Diversitas. §. 434. Impetiginum haud paucæ (§. 439.), externo quidem habitu, cum *psora* conveniunt, & confundi cum ista perfacile queunt: sed sicut origo, ita species hujus morbi videtur *una*; & quæ pustularum, ab habitu nunc arido, nunc puriformi, in *siccam* & *humidam* suscepta est divisio, hæc, licet illa præ ista magis pruriat, rem protinus eandem & modo forma diversam, scientiæ sine fructu bipartit. Cum aliis quidem psora affectibus hinc inde *complicatur*, & a scrophulis, scorbuto, a venereæ, aut rheumaticæ materiæ, vel ab epidemicæ constitutionis, plenitudinis cutaneæ, aliorumque effectu, exasperari, mutari observatur: sed ex istis, modo *acarus* si desit, non illa, sed similis huic aspectu morbus, generatur. Quæ *crisin* hinc inde constituisse refertur psora, ea vel hæc ipsa impetigo haud fuit; vel ab hominis infecti, aut rei ab eodem tractatæ, contactu clandestine profecta est; vel ut quævis alia cutis, non specifica, exulceratio ægrotanti conduxit. A febribus non raro, ut aliæ impetigines, sic & psora e cute disparet: vel quod morbi causa, *insectum*, ægrotante in solo incrementum viresque non habeat, & febricitantis superficiem, ut morituri caput hominis pediculi, mox deserat; vel quod stimulus a latente sub cuticula animalculo, ob totius laborem, non, ut sana in pelle, respondeat. Ut vero

rebus inanimatis quibusvis, — sic & corpori ægrotantis, diutius hæc insecta interdum adhærere, — vix autem a succo animali sustentari videntur: quo tandem, sub restitutæ valetudinis conditione, ut prius, & cum pristinæ exulcerationis, & quasi *criseos* effectu, uberrime fruantur. De *psora epidemica* observationes (non interim sine magna alterius impetiginis cum illa confusæ suspicione) testantur; sed ut vermes intestinales, atque varia in campis insecta, hac sub anni constitutione longe melius ac sub alia sobolescunt, sic & *acarus exulcerans* non minori, quam ista, privilegio gaudebit. Sub certis atmosphæræ constitutionibus psora non aliter *epidemice* grassari videtur, quam quod pauperum familiæ, a frigore vel pluviis in angustis tuguriis longo tempore in unum coacervatæ, morbi fomitem ab infectis facilius suscipiant. *Endemica* certe *psora* in civitatibus populo refertis, in pistrinis, nosocomiis, orphanotrophiis, monasteriis, castris, novo fomite vivente continuo infectis, dicenda est. Interim sæpe alia est impetiginis, quæ pro *psora endemica* declaratur, natura.

§. 435. Ad partes primum infectas prima pustularum (§. 433.) rudimenta comparent, ac sensim sensimque propagantur in alias, & volumen acquirunt. Præcipuum in psora symptoma, crescens ad noctem, a calore & a cibis acrioribus *pruritus* est; ex quo, pro varia pellis affectæ sensibilitate, plenitudine, ac pro ipsa infecti hominis constitutione aut sana, aut morbosa, diversa pustularum forma, exulceratio aut minor, aut major ac latius extensa, inquietudo nocturna, anorexia, pallor, macies, ac interdum febricula, curæque difficultas, dependent. A frigore, & a quovis cutis spasmo, psora, nisi multa, sub ista

Symptomata.

abscondi videtur. Plures aliquando vicinæ sibi pustulæ inter se confluunt, ac satis amplum in cute ulcus, aut omnem fere pellem erosam, & crustis defœdatam, ostendunt. Hoc a totius peripheriæ affectu transpiratio non parum cohibetur; ac licet pruritus ad recentes & exiguas modo pustulas longe major quam ad amplas has plagas sentiatur, latens tamen ad istas & sub crustis ichor, vix *acaris*, qui illic modo resident, onustus, ut sanies quævis in cutem subjectam operatur: pars ejus resorpta cum sanguine miscetur, visceribus tandem & glandulis, nisi a sanis expulsa, separata, insidias structura. Apud alios in toto fere corpore nascuntur parvi, rubicundi & rodentes furunculi: qui mox purulenta materia repleti, circa basin quasi circulo inflammato cinguntur, ac sponte aperti, in latas, densasque crustas exsiccantur. Interim tempore sat longo psora non nisi cutis solius ægritudinem & affectionem prorsus, ut vocant, localem constituit; & quæcunque demum erosionis in ista indicia compareant, vix tamen pellis celeriter de his quidquam cum internis participat. Sat lentos scabies incipiens progressus in multis agnoscit, ac interdum extremitatibus per menses contenta videtur. In aliis celerior impetiginis istius expansio, ac citior pustularum in ulcera transitus est: quæ diutius nutrita, vel a psoræ causa jam abacta, cum iisdem, quam ista, remediis persanari vix queunt. Non quævis pellis ab eodem contactu, facilitate eadem, a psora invaditur; sed neque pediculos fert quævis cæsaries; & ipsa contagia, ob rationem non minus obscuram, non quovis tempore in omnes agunt. Qui farinas tractant, aut inter equos ac in stabulis versantur, vel spirituosos liquores distillant, hi psoræ minus subjecti videntur. Juvenilis ætas, teneraque cutis, huic morbo, qui

pluries hominem eundem non raro invadit, præ aliis favent.

§. 436. Ex dictis (§. 433.), quæ causa psoram inducat, jam satis elucet. Hæc vulgo prius, quam ipsis innotuit medicis, & ex amplissima *acarorum* familia descendit. Distinctus scilicet ab illis, qui farinam caseumque inhabitant, *acarus humanus*, aut *acarus exulcerans*, non maturas ac pure jam plenas vesiculas, sed pustulas vix cutem egressas, limpidoque sero recenter impletas inhabitat; ac epidermide tectus, ad vicinas sub hac ipsa partes, quasi per fodinam, macularum, striarumque rubrarum, filiformium aspectu detegendam, divagatur. Incognitum hoc extra corporis humani confines insectum, in aliis, quam psoræ, vesiculis nequaquam reperiundum, nec fortuito hic nascitur, nec eandem, quam forte larvæ muscarum in ulcere neglecto ac vetusto, originem agnoscit; sed ab ægrotante, aut re quavis ab isto infecta, in sanos transfertur, & pustulas, quas inhabitat, fecisse credendum est. A calore externo, interno, pruritus augetur; a frigore, cum imminuta insecti agitatione, hic idem imminuitur, febrisque ipsa sæpe pustulas exsiccat. Ab immundis difficilius, facilius ab illis, qui puritati magis student, hæc viva morbi causa, quod cum *contagio* non liceret, a cute avertitur. *Phthiriasis* vero historia hanc ultro confirmat de *acaris* theoriam. Hic de *contagio*, ut pruritus, pustularum, ulcerumque causa, cum *pediculum humanum*, aut *pubis*, sub cuticula detegimus, a nemine cogitatur: cur de *acari* in *psora* mox ab istius principio non minori domicilii jure habitantis, ac hanc ipsam *præcedentis* potentia æquali dubitemus, vix ratio superesse videtur. Celeritate æquali tum pediculus uterque, tum acarus, cum in- Causæ.

terna vix curent, ab *externis*, ejusdem fere indolis, remediis extemplo & actione longinqua necantur; ac psora, quo citius, eo facilius aufertur: felices, qui talia, tamque multa, tam certa, pro *unico contagio* possiderent antidota Mortales! A psora, ut vocant, *retropressa*, non pauca certe mala derivantur: sed præterquod sæpius *effectum* cum morbi *causa* a medicis confundi, nimis constet; non specificum ad psoræ vetustæ, aut complicatæ, celerius aut incaute sanatæ, noxas explicandas, requiritur contagium; nec ipsa, quæ pediculi ad caput produxerunt, ulcera, si diutius jam fluxerint, — nec innocens, cui, sani licet, jam assuevimus, fonticulus, sine damno ubique, celerius exsiccantur. De psoræ, quam *criticam* appellant, fallaciis jam supra (§. 454.) mentionem injecimus. Quæ sartoribus, quam aliis opificibus, communior esse dicitur, & ex *laniæ* infectæ contactu derivatur, psora, ea vel aliam impetiginem symptomaticam (§. 440.) constituit, vel ex *vestibus* laceratis, quæ renovant atque consuunt, *jam infectis*, non ex lana, originem agnoscit.

Prognosis. §. 437. A psora, nisi cum aliis affectibus complicata, aut diutius neglecta, aut hoc tandem sub statu incaute suppressa, periculum haud imminet. Difficultas curationis apud pauperes, in nosodochiis, aut in castris, a necessariæ puritatis defectu, & continua cum infectis societate, derivetur oportet. Exempla psoræ, quæ *sponte* in totum disparuerit, perpauca habentur; sed licet hæc existant, si *contagium* aliquando sic deleri dicamus, cur *acaros* ob causas ignotas aliquando disparere, aut in pelle mutationem, quæ istorum actioni resistat, contingere, negemus ratio non apparet. Post psoram longiorem, interdum abscessus, glandularum, viscerumque infarctus suc-

cedunt : quæ singula non tam ex specifica morbi causa, quam ex ichore diutius vel copiosius resorpto, vel ex vitio alterius naturæ in corpore præexistente, ac per psoræ stimulum evoluto, derivanda esse censemus. Interdum alios psora dissipavit effectus morbosos, & eosdem suo stimulo ad cutem invitando, visceribus immunitatem restituit. Interdum morbos alios, cum psora his accedit, quamplurimum exasperat hæc ipsa.

§. 438. Primum certe curationis momentum in vera hujus morbi diagnosi consistit. Si psora (vel a *contagio specifico*, vel ab *acaris* hæc pendeat) est *recens*: ad externorum mox usum, cum interna nil possint, sine temporis jactura recurrendum est. Si hominem infirmo ac alio affectu detentum hæc impetigo corripuerit: tunc videndum est, an per stimulum & ulcus superficiale tam late a psora in cute excitatum, natu prior affectio emolumentum habuerit; & antequam hic psoræ medeamur, artificialis in cute exulceratio, quæ illius virtutem suppleat, excitanda est. Si per longam jam moram a psora cutis male affecta est, & ægrotus cum hac, morbosa licet, excretione habitudinem contraxisse videtur: tunc lentior & cautior morbi cura esse debet; ac iterum, artificialem fontem ad quæ internis minarentur mala, ab istis derivanda sunt. Si cum alia impetigine, interno forte ex vitio pendente, psora complicetur: tunc illi per interna occurrendum, & istius per externa sanatio differenda est. Sub eorum vero, quæ ad psoram simplicem conducunt, usu, non alia, quam ea, quæ sanum in aliis hominem decet, vivendi ratio requiritur; nec ulla, quæ, si balnea rerumque infectarum depositionem excipiamus, ad curam præparent, vel psoræ retrocessionem impediant, indicantur auxilia. Cura.

Insignis eorum, quæ ad psoram laudentur, est numerus: sed, præter summam munditiem, pauca in malo simplici sufficiunt, interque ea *sulphur* & *mercurius* præferri merentur. Primum igitur totius corporis superficies ope balnei vel communis, vel sapone remisti, ab immunditie ichorosa & a crustis depuranda, aut probe saltem cum spongia abluenda, & ad istas, donec decidant, fovenda est. Nil juvat, prius quam adhibitis per aliquot jam dies remediis, apud pauperes, quibus copia vestimentorum non est, tum hæc, tum lintea mutare; quod tamen post tres quatuorve frictiones necessario suscipitur. Sic & omne cum infectis commercium, rerumque ab istis tractatarum usus fugiantur oportet. Sub cutis plenitudine majori, ac ardore, pruritu ex eodem insigni, scarificatio præmissa conducit.

Ipsum vero *sulphur*, tum vaporis, tum balnei, tum unguenti sub forma, æquali cum successu adhibetur. Non parva interim ab hoc ultimo, ex fœtore, & maculis ad lintea relictis incommoda sunt. Vapor sulphuris sub ipso psoræ principio, & cum pustulæ exiguæ ad partem comparent, cum debita cautela aliquoties in die adhibitus, ulteriorem hujus morbi progressum præscindit. Pauperiorùm vestimenta ac lintea in aere aperto hoc fumo imprægnata, ac furno demum calidiori commissa, egregie purgantur. Sub thermarum sulphurearum defectu, vel hepar sulphuris ad uncias fere duas, — vel calcis æque ac sulphuris libra una, in aquæ fluviatilis mensuris septem vel octo decocta, pro balneo adhibentur. Unguentum ex pulvere florum sulphuris uncia una cum axungiæ recentis quantitate sufficiente, vel si pinguis cuti non conducat materia, cum ovi vitello, præparatur. Sunt, qui huic unguento salis ammoniaci, vel hellebori albi drachmam unam aut

alteram adjiciant; sed in multis ab usu istorum in cute irritatio excitatur, ac solum jam sulphur bene tritum hic sufficit, si pars quarta aut minor unguenti, prope ignem, quotidie ad noctem, nunc digitorum interstitiis, nunc carpo, nunc alias ad partes, illinitur. Tanta vero est sulphuris in viventem psoræ causam potentia, ut corporis vel unam modo partem cum eodem frequentius unxisse jam sufficiat. Hinc magnam sibi famam unguentum (N. L.), quod soli manus volæ, ad nucis avellanæ magnitudinem, affrictum, non parvo certe commodo, jam scabiem non raro dispergit, acquisivit. Vix interim nisi *sulphur* hic agere, ac vanæ laudes, quod hoc unguentum psoram & *expellat* & *dissipet*, nobis esse videntur.

Mercurius, sub quavis demum forma, aut cum adipe remistus, aut, salis sub specie, in aqua solutus, in psoræ causam, exterius admotus, cum æquali ac sulphur, nisi forsitan majori, potentia operatur. Interius, ad ipsam licet salivationem usque, porrecto huic remedio, psoræ (si modo hæc, & non alia impetigo, subfuerit) causa reluctari est visa: sed pauca hydrargyri portio exterius admota, uti *pediculos* tum capitis, tum pubis, sic & *acaros* in psora, veneni adinstar, mox trucidat. Ad meliora præparata *unguentum album* (Num. LVI.) omnino pertinet: quod ad fabæ, vel avellanæ magnitudinem quotidie ad loca indicata illinitur; ac, salivationis sine metu, vel psora jam disparente (quod de alisi quoque auxiliis retinendum est) per quasdam adhuc dies subministrari oportet. Non absimiles & unguentum *citrinum* (N. XX.), & solutio mercurialis vel simplex (N. LI.), vel *phagedænica* (N. LII.), cum qua partes infectæ semel, aut bis, quotidie laventur, in psoram effectus exercent.

Sed, præter sulphur ac mercurium, quamplurima cum successu interim non semper æquali contra psoram adhibentur. Huc imprimis pertinent decoctum vel succus tabaci nicotianæ, balneum ex reliquiis a distillatione spiritus frumenti, aqua vegeto-mineralis, aqua maris, lixivium, decoctum rumicis acuti, inulæ helenii, cum unguento ex eadem radice ac butyro parato, & alia; a quibus tamen, ut magis incertis, melioribus instructi, lubenter abstinemus. Observandum vero hic est, quod unguentorum sulphureorum sub usu interdum novæ ad cutem pustulæ, quæ ad psoram non pertinent, sed ab ipso unguento nascuntur, prorumpant. Has, unguento suspenso, balneum ex tepida dispellit. Interim non mox a psora exsiccata, medicamenta cito nimis seponenda, sed aliquandiu post illam continuanda, — aut, si ex morbi semine ad cutem non integre destructo nova series pustularum efflorescat, resumenda sunt.

Si hominem, ut vocant, cachecticum, aut vitio quocunque alio laborantem, *psora recens* invaserit: non ideo in istius, ut quæ *critica* non est, curatione cunctandum, ac summa malorum in eodem augenda est. Aliter se res habebit, si alia impetigo, psoræ aspectu modo similis, sed indolis diversæ (§§. 439. 440.), — aut si hæc ipsa jam diutius in cute hærens, fonticuli aut ulceris artificialis quasi vices cum emolumento ægroti assumpserit; — aut si ipsius psoræ stimulus, forte latens in corpore vitium scrophulosum, aut aliud, excitaverit: quo in casu, ut monuimus, vel symptomatica affectio cum remediis internis corrigenda, -- vel psoræ ipsius affectus non specificus, sed fortuitus, per artificialem exulcerationem, ac interdum per auctas alibi secretiones, supplendus est. Similia de ea, quæ sanum

alias hominem diuturno jam tempore afflixit, psora dicenda sunt: ut quæ, materiæ suæ, non ut specificæ, sed ut ichorosæ, ex pelle continuo resorptæ, actione internis simul obest, ac simul, suscepto jam habitudinis jugo, ad illam derepente sanari sine damno non potest, quin prædictas sibi curationis cautelas exposcat.

Ex his vero artis præceptis aut non satis observatis, aut prorsus neglectis, non pauciora, nec minus, ac ab impetiginum aliarum incauta tractatione, lethalia incommoda propullulant: quibus iterum ad regulas jam satis alibi (§§. 290. 326.) expositas occurrendum est. Cum vero morbi a psora male tractata & præpostere exsiccata oriundi, non ex ipsa psoræ causa *specifica* ad interiora repercussa, sed ex repentina ichoris, habitudinis ad leges fluentis, suppressione nascantur: hinc nulla est ratio, cur *psoram*, fœditate, ac transitu in alios tam facili infamem, per *insitionem* ægrotanti communicemus; sed illa certe, quæ sub exanthematum, impetiginumque aliarum infausta dissipatione commendavimus, sufficiunt.

ORD. II. GEN. V.

PSYDRACIA.

§. 439. *Psydraciæ* sub nomine, diversæ apud Græcos affectiones cutaneæ veniebant. Nos eodem pro significandis variæ originis pustulis, psoræ (§.433.), modo habitu externo, vix non similibus (§. 434.), contagio plerumque carentibus, solitariis, ad basin rubris ac duris, in apice pellucidis, serosis, albescentibus, prurientibus, utemur. Definitio.

Diversitas. §. 440. Numerosa, & distinctu difficilis hujus impetiginis familia est.

Nunc enim non modo, communi psydraciis sorte, cum psora quoad formam conveniunt; sed a causis etiam viventibus, mox acri, quem vulnusculo inflicto instillant, succo, -- mox ovulis, quæ huc deponunt, -- mox stimulo mechanico, tum plantis, tum animalibus summopere infensis, ad partes nudas, teneriores oriuntur: ut scilicet pustulæ prurientes, ardentes, quas *culex* tum *pipiens*, tum *reptans*, quas *pulex penetrans*, tropicorum incola, vel & *cimex lectularius*, ac alia non satis nota calidarum humidarumque regionum insecta inducunt; & quæ pustulæ, dum, scabendo irritatæ, sat largos primum ac elevatos tumores præsentant, -- post paucas modo dies in papulas vix a psora distinguendas mutantur.

Psydr. vener; Nunc acre *venereum* in cute psoram æmulatur, ac pustulas non tam prurientes, quam noctis potissimum tempore dolentes, universo in corpore, ne facie quidem excepta, producit.

Psydr. hypoch; Alias *hypochondriacis* solemne est pruritum in cute, & maculas, & pustulas, a scabie vix abludentes, cum cæterorum symptomatum levamine, experiri.

Psydr. crit; Sed interdum post febres, sub morborum chronicorum decursu, similia cum insigni ægrotantis emolumento contingunt, quæ *psoræ criticæ* ideam frequenter dederunt.

Psydr. scorb; In *scorbuto*, apud illos, qui carceribus, aut navibus angustis detinentur, aut in locis uliginosis, impuris, vitam ducunt, ad cutem pustulæ oriuntur, quæ, etsi psoræ figuram ac pruritum habentes, non tamen a methodo in psora laudata superantur.

Psydr. period; Interdum *periodice* ad pellem pustulæ comparent: quæ, sub imagine psoræ, apud illas, quibus men-

strua sistuntur, istorum quasi vices ac decursum absolvunt.

Qui lanas impuras rancidoque oleo imbutas, *textores*, *sartores*, tractant, hi ad manus digitosque, -- vel ad corpus universum, abdominali, aut scorbutico, aut alio ex vitio, impetiginem a *psora* diversam patiuntur (§. 436.). Psydr. artific;

A cutis *immunditie*, & apud illos, qui lintea ob miseriorem conditionem cum aliis mutare non queunt, nec minus ab unguentis acriori cum oleo paratis, non raro pustulæ, quæ psoras fere referunt, ad cutem efflorescunt. Psydr. ab immund;

Infantes non raro vel a primis jam mensibus, vel dentitionis sub opere, universum per corpus, ne facie quidem excepta, a pustulis prurientibus, ac psoræ aspectu, non indole similibus obteguntur. Psydr. Infant;

Juvenibus, pubertatis sub principio, plethoricis, aut cursu luctaque exercitatis, -- puellis, quibus menstrua aut instant, aut fluere recusant, rubentes sæpe pustulæ ad cutem, ac imprimis ad faciem, erumpunt. Psydr. plethor;

Qui *venere* abutuntur, hos ad cutem subinde quasi psoræ effectus ac pustulas experiri ex observationibus constat. Psydr. neogamor;

In *senibus* interdum, ut herpes (§. 423.), sic & psoræ simillima impetigo observatur: quæ, remediis plerumque rebellis, ad mortem usque sub immani cruciatu continuat, atque indolem longissime a psora distantem manifestat. Psydr. senil;

In *thermis* forte calidioribus, ad omnem superficiem pruritum ac pustulas, quæ psoram inexpertis referre videbantur, vel in illis adeo, quibus nulla cutis vitia præiverant, frequenter conspeximus. Psydr. therm;

Nec tam rarum est, apud homines vel *scrophulis*, vel *rheumate*, vel alio demum acri laborantes, si- Psydr. ab acri.

milia in cute vel ad certas modo partes, quasi vitio *locali*, vel ubique, ut in hypochondriacis, melancholicisque ægrotis, contingere.

Causæ. §. 441. Vel ex sola jam specierum *psydraciæ* (§. 440.) expositione, diversa illarum tum a *psora*, tum inter se ipsas, natura ac origo intelligitur; ac plurimæ ex illis, quas omnes hic adducere vix licet, aliorum potius morborum *symptoma*, quam morbum *primarium* constituunt. Neglectum interim causarum, quæ talia in cute producunt (§§. 273. — 276. 373.), studium, ac affectuum, qui vel internorum, vel istius ex vitio, ad corporis superficiem se produnt, non observata distinctio, fecerunt, ut sæpius pro *psora* haberentur, & cum externis sine quovis respectu tractarentur impetigines, quæ, fontem *internum* agnoscentes, non potuerunt non a tanto medicorum errore frequenter exacerbari, repelli; & quæ methodum ad psoram propositam (§. 438.), tam male sibi ipsis adhibitam, toties infamem reddiderunt.

Prognosis. §. 442. Morborum, ex quibus suam trahunt originem, psydraciæ symptomaticæ sequuntur prognosin. Pauciores illæ, quæ ex primaria cutis affectione oriuntur, vix periculum agnoscunt. Quæ interim pellem a multo jam tempore defœdavit psydracia, hæc, remediis externis derepente suppressa, sanitatem periculosa subvertit. Ex omnibus fere pejor est, quæ exsucca senum corpora consumit.

Cura. §. 443. Pro tam diversis origine malis (§. 441.), non una, sed multiplex medendi est ratio. Quæ causam internam non agnoscit, & modo *localem* in pelle affectionem constituit psydracia, hæc externis so-

lum tractanda est auxiliis; & pro originis differentia, sibi alia, aliaque exposcit. Molestos insectorum ausus tum Africæ, tum Americæ meridionalis populi avertunt igne per nemora ac domos accenso, fumoque tabaci, nec minus oleo, succisque plantarum diversis, quibus corpora quotidie inungunt. Præsentem ab ictu insecti dolorem, extracto vesparum apumque aculeo, cum aceto, limonum succo, oleo, linimento volatili, theriaca, impositis moderamur. *Penetrantem culicem* (§. 440.), sub tropicis, cum acu solicite effodiunt, ac cineres tabaci ulceribus inspergunt. Quas cutis impuritas induxit psydracias, has balnea tepida, cum sapone, vel hepate sulphuris remista dispellunt. Psydraciæ *symptomaticæ*, ut venereæ, scorbuticæ &c., ex aliis hujus operis locis repetenda est cura.

ORD. II. GEN. VI.

TINEA.

§. 444. Herpeti (§. 420.) affinis fere, sed ad partem capitis capillatam, vel ad faciem defixus, ac ætati infantili magis proprius est morbus, quem Veteres, *achorum*, *favorum*, *ulcerum capitis manantium*, — posteriora vero tempora, *lactuminis*, *crustæ lacteæ*, *scabiei*, *lepræ capitis*, ac *tineæ*, magis barbaro adhuc, nomine salutarunt. Nominum diversitas.

§. 445. Interim hoc ultimum, seu *tineæ*, civitate jam potitum nomen pro impetigine retinemus: quæ in ulcusculis prurientibus, serpentibus aut capitis, aut faciei, humorem viscidum, copiosum ac fœtidum, in coagulum fere melleum properantem, fun- Definitio.

dentibus, mox crusta friabili, granosa ac molli, mox duro, crassiore, cinereo quasi cortice, obductis, consistit.

Divisio. Achores;

§. 446. Capillatæ partis ad caput affectio, tenuissimis foraminibus cutem perforans, unde glutinosus humor excernitur, *achor* Græcis dicebatur.

Favi;

Favus autem vocabatur simile fere *achoribus* vitium: cum foramina meatuum, unde humor manabat, majora, *apum favis* respondebant.

Tinea;

Tineam adesse docebant, cum sanies, ex cute cranii capillata exstillans, ad pilorum radices in crustas friabiles, aut tenaces, ac albas coiret.

Crusta lactea, s. tinea faciei;

Si, qua ubera sugunt pueri, ætate, ad genas istorum prius calentes, rubentes, splendentes, vesiculæ nascerentur prurientes, ac flavæ, quibus disruptis ichor effluens in crustas friabiles, ex flavo luteas, cum pruritu ac dolore cogeretur, *lactumen*, *crustam lacteam* appellarunt.

Tinea maligna;

Rebellem magis *tineam*, & quæ ad ossis usque substantiam descenderet, cariemque excitaret, *malignam*, - quæ plurimum ichoris effunderet, *humidam*, - & quæ duras ac fere saxeas modo crustas offerret, hanc *siccam* nominarunt. Non interim tam diversa mali, quam nominum, natura est; ac sede magis, aut aspectu, atque gradu, quam indolis ratione, in illo nascitur differentia.

Humida; Sicca.

Sympto-mata achor. fav;

§. 447. Qui achoribus aut favis subjiciuntur pueri, his pruritus inter capillos molestus, cutis tensio & ardor, vel & porrigo, præcedit; nec rarum est, glandulas lymphaticas circa collum & occiput his tumere, ac tensionem, dolorem, ab attactu inferre. Apud alios cephalalgia hos affectus annunciat. Augetur jam pruritus & scabendi necessitas: quo

sub opere a digito ægrotantis aut *tumor* latus, calescens ac tensus, aut *papula*, seu *pustula* inter capillos percipitur. In illo vix ulcus, sed dilatati quasi canaliculi, seu ductus folliculosi ostiolum, ex quo humor glutinosus lente distillat, conspicitur; in ista, quæ tuberculum super cute elevatum, circumscriptum, folliculosum, pisiforme, vel conicum, ad basin satis durum, cum apice molliore, albescente constituit, liquor albidus, flavescens continetur: quem foramine ampliori, aut exeso, aut exilibus, subrotundis excrescentiis obsesso, inæquali, fœtentem ac pigrum eructat. Hic ichor vicinos inter capillos effusus, impura quasi palude eosdem inundat; mox ab aeris attactu coagulatur, ac pilos, quos amplectitur, conglutinans, mox tubera crustosa, exterius squamosa & sicca, interius molliora, granosa, quasi cerea, putrescente materia repleta, ac securum fertilissimumque pediculorum nidum efformat.

Si plures ac sibi vicinæ, aut confluentes forte pustulæ capillitium defœdent, tunc uberiori ex fonte distillans ichor vicinas plagas sub tecto crustoso abscondit, aut, picis liquefactæ super cranio effusæ adinstar, qua late patet, capillatam, & frontis adeo vicini regionem obducit; ichoris unda, quæ sequitur, primam jam solidescentem, -- secundam tertia repellit, findit, ichore novo fissionem replet, incrustat, ac singula in durum, squamosum, interjecta capillorum substantia horridum, crassumque cooperculum compingit. Interea latens sub isto sanies subjectam pellem aggreditur, capillorum radices hinc inde effodit; vix tamen bulbos istorum, sed cellulosam magis telam vicinam erodit, consumit, ac, si forte virus venereum accedat, sub dolore atroci, nocturno, vel ipsis calvariæ ossibus perniciem minatur. Hinc major hoc sub vitio inquie- Tineae;

tudo, ac pendens ab ista nutritionis defectus maciesque, -- apud alios, vix magna salutis læsæ symptomata occurrunt. Interdum locum vix tinea mutat; sed in situ eodem aut sicca, aut humida, vix aucta, persistit, seceduntque pili, quos alba in quibusdam lanugo restituit.

Tinea faciei. *Tinea faciei*, seu, ut male satis vocant, *crusta lactea*, in pueris sextum vix ætatis mensem adeptis, vel ultra annum haud natis, — interdum, licet raro, & tardius, occurrit. Infantes hæc affectio prehendit, qui, *dentitionis* sub opere versantes, albidiori, subrotunda ac pingui simul facie, genisque profunde, aut ex flavo rubris instruuntur; qui scrophulosis ex parentibus descendunt; qui lautius & lacte crassiori nutriuntur. Utplurimum ad genas, non raro ad frontem, species hæc tineæ principium sumit, & sese calore, rubore, splendore, ac partis pruritu manifestat. Mox pustulæ, parvæque nunc latæ, nunc acutæ vesiculæ, liquore pellucido, & albo flavescente repletæ, efflorescunt. Hæ vel sponte, vel scabendo disruptæ, tenacem, flavum, & in crustas ex luteo subrubras, friabiles abiturum liquorem effundunt. Interea novus mox ichor primo succedit: qui mollem fissumque jam corticem penetrans, ac per loca declivia decurrens hæc ipsa obducit, ex alio propinquæ pustulæ impuro fomite augmentum sumit, & in larvam hinc flavam, obscuram illinc, densumque in corticem mutatus, modo genas ac mentum, modo faciem, exceptis oculis, universam, sub insigni infantis pruritu, inquietudine, ac non sine corporis pendente ex istis macie, defœdat. Nec tamen palpebris ubique parcit hic morbus; aut ad partes longe alias, ad aures, ad artus, vel ad truncum non divertitur, quin ideo vel minimam aut in facie aut alibi cicatricem relinquat. Cum aliqua *periodo* tum

eruptio, tum exsiccatio pustularum in multis contingit, atque tot fere dies ad primum, quam ad secundum hoc opus consumuntur. Eruptionis sub stadio vegetior ac hilarior puer esse, — cum pustulæ siccantur, languere observatur. Eundem infantem *bis* hæc ipsa affectio tenuisse observata est; sed tandem sub urinis, ut felis illæ, fœtentibus, copiosis, sponte, licet tardius, disparet.

§. 448. Ægritudinis tam late inter primæ ætatis homines extensæ causas vix satis perspicimus. Nec enim parentum, nutricum, hic vitia vel ubique præcurrunt; vel tam certe prolis sanguinem, ut vulgus credit, inficiunt. Nec in ipso hoc vitæ exordio, sub victu tam simplici, ac mente a pathemate fortiori tam libera, humorum tanta, ac volunt, acredo supponitur prudenter. Contagia in tinea tum capitis, tum faciei, si veneream illius aliquando originem excipiamus, non firmo satis argumento nituntur. Accedit, quod tinea faciei, dentitionis vix absoluto negotio, vel sponte dispareat; quod illa capitis, modo paucis adultis pubertatis a tempore, nisi lue venerea detentis, adhæret; & quod tinea communis externis, plerumque sine damno, remediis, quod interna vix unquam possunt, tollatur auxiliis. Veteres, ut ubique, sic & in achorum favorumque explicatione, ad *bilem*, — recentiores, ad *mucosos*, *acidos*, *acresve humores*, pro more sæculi confugerunt; sed quo subtilius his in rebus ratiocinari, — eo minus ad lectulum fecisse videbantur: ut tandem ipsis a medicis, difficultatum curandæ tineæ pertæsis, hic labor vetulis ac empyricis hominibus committi debuerit. Istorum ausibus instructi non pauci morbum, de quo agimus, non ex fluidis, ut pridem, sed solius corii capillati ex vitio locali, curationis externæ melioris successu suffulti, derivarunt. Causæ.

Jam solus hic experientiæ sermo, seu rerum eventus, pristinæ loquacitatem theoriæ abunde refellit: sed cur demum vix gremio emissus puer tot morbis ad caput imprimis laboret, & cur tinea tum istius, tum faciei, ad certos fere vitæ humanæ annos limitetur; hoc, sicut obscurum, ita perscrutatione medentis indignum non est. Major capitis neonati ad corpus cæterum proportio, vasorum cerebri, calvariæ totius, majora lumina, hanc supremam hominis partem præ aliis eo celerius, quo vicinior est ortui, nutriri, ac humorum quantitate uberiori perfundi, demonstrant. Hanc naturalem capitis plenitudinem in prole jam utero exclusa sæpe augent tum velamenta, quibus illud obruitur, calidiora, tum fasciæ, quibus pueri corpusculum & artus tam stricte involvunt, ac alia, circulationi humorum per ista, opposita obstacula. Accedit magna parvulorum multorum voracitas, ac lactis uberioris & nutriente principio ditioris felix digestio: quæ specialem vasorum capitis repletionem in multis augere, ac ad morbos ex ista prædisponere valebunt. Quo vero tempore dentitionis ingruunt molestiæ, nemo est, qui ex capitis calore aucto, ex rubore genarum, ex salivæ ac muci uberioris effluxu, ad majorem hac in parte irritationem, & humorum ex ista pendentem derivationem concludere recuset. Quid vel sola partium sensibilitas adaucta in producendis ad cutem morbosis secretionibus valeat, jam satis evicimus (§§. 228. 274. 276. 359. 373. 386. 394.); ac illa, cum indicata jam vasorum capitis repletione, istorum vires excedente, tum frequentes encephali sub ætate infantili hydropes, tum innumeros aurium, oculorum, oris nariumque affectus, tum denique singularem systematis lymphatici hac in parte irritationem, ac secretionis in cute,

tum capillata, tum ipsius faciei, vitia, ad certam modo ætatem restricta, non parum illustrat.

Interim non unam ideo ac eandem semper istorum originem subesse dicamus! Venereæ, quæ adultos, vel & ipsos infantes divexat, tineæ exempla, — causarum, quæ porriginem inducunt (§. 416.), auctoritas, — pediculorum noti effectus, materiæ morbosæ facta ad caput metastasis, — scrophulosa hæreditaria dispositio, diversam impetiginis, de qua agimus, scaturiginem, abunde demonstrant: sed hoc unum, communem scilicet tineæ tum capitis, tum faciei, causam plerumque non internam, sed universo nunc capiti, nunc corio capillato, nunc dentium viciniis fere propriam ac *localem* esse, ex dictis eruimus. Quæ ex retropressis, ut ajunt, vel proficuis forte alio sub morbo tineis, ad comprobandam causæ illarum *internam* originem afferuntur, exempla: ea non aliam plerumque, ac de psora vetusta, vel complicata, præpostere topicis remediis exsiccata attulimus (§. 436.), explicationem admittunt, ac fallaci nimis argumento superstruuntur. Forsitan haud aliter sensiliores, pinguesve infantes ac pueri, qui lautius nutriuntur, ad caput, lymphaticum, concrescentem ichorem, — quam arbores juniores solo fertili commissi ad corticem sua *gummata*, plorant; & accedens his succi nutritii divitiis, dentitionis ab opere, irritatio, in teneris pusionibus ad faciem vesiculas crustasve, — in pueris sub immunditie, pediculorum inter capillos stimulo, nisi narium hæmorrhagiæ, coryza, aliique fluxus, aut citius forte corporis incrementum, materiam divertant, achores, favosque producit. Si pauperum non minus quam divitum progeniem hi morbi invadant, cogitetur oportet, ex pane secalino non pauciorem, quam ex tritico nutrientis copiam materiæ a sanis hauriri; nec

egestas parentum, quod sibi, — hoc parvulis dilectis, miseriarum ac laborum adhucdum ignaris, detrahere consuescit. Lac igitur nutricis adultæ vel crassum, copiosius ingurgitatum, si a pueri sugentis ventriculo superetur; non ob viscidum, aut acidum, quem sanguini abhinc induci contendunt, mucum, — sed ob nutrientis, quo abundat, principii exuberantiam, ad crustam, quam lacteam appellant, infantem disponere dicendum est. Urinæ hujus morbi sub fine excretæ fœtor nec ubique se manifestat, nec magis de mali causa per has vias ejecta, quam de turbarum prægressarum effectu testimonium largitur; ac in genere tum sudorum, tum urinæ, ut alterius morborum sub fine secedentis materiæ vel odor, vel alia conditio, de morborum causis sat æquum ferri non sinit judicium (§. 7.).

Prognosis. §. 449. Ad secundam valetudinem puerorum, capitis impetigines plerumque contribuere, opinio est vulgi. Nec vulgus tam sæpe, ac medici opinantur, de morborum successibus judicando, a vero aberrat. Non quidem in eo, qui sanus est, ut sic esse continuet, requiritur morbus: sed talis est multorum infantum voracium, succiplenorum conditio ac vitæ modus, ut a nutrientis principii copia, nisi corporis incremento sat rapido, vel aurium, vel narium alvique fluxu dissipetur interdum; cellularis tela omnis subcutanea, imprimis ad collum ac faciem, mire turgeat, & succis a vero adipe distinctis infarcta, cruoris motui per laxa vascula potenter resistat; aut data quavis occasione, vel sponte, contentos humores, ac humana quasi gummata regurgitet. Quod si talia contingant, mox major in pueris hilaritas, ac functionum oppressarum libertas observatur: quæ singula, dum salutari huic exuberantis principii nutrien-

tis stillicidio per artem vel repente nimis, vel sine quovis ad causam respectu, resistitur; cum damno — non ob retentam, quæ corrupta sit, materiam, sed ob luxuriantem, quæ consumi omnis a corpusculo sat cito non possit, nutrientem materiam, languebunt. Si aliam & complicatam magis originem, ut veneream, metastaticam &c., hæc impetigo agnoscat: tunc utique, sicut topica remedia non sufficiunt, ita, donec ipsa morbi causa superetur, periculosus eorum usus esse potest. Sed vel communissima, simplexque tinea, si diutius persistat, ob continuos pruritus, ob vigilias, inquietudines protractas, interdum vero ob nimiam succi nutritii per larga hæc ulcera jacturam, debilitatem ac maciem, vel & lentam febriculam inducit: qui tamen ipsi effectus, licet aperte morbosi, ob contractam jam forte habitudinem, sine damno derepente auferri non queunt; vel, si hoc ipsum tentetur, tum asthmata, hydropes, tum viscerum glandularum infarctus, suppurationes, metastases, cæcitates, ac tabem ipsam, relinquunt.

§. 450. Hinc primis hujus morbi signis occurri, causasque illius latentes investigari oportet. Si venereæ, scrophulosæ, aut alterius symptomaticæ affectionis indicia compareant, ad primarii curationem morbi veniendum est. Si ex lactis crassioris, voracitatis ac plenitudinis effectu hæc vitia oriantur, tunc ubera mutanda, lactis copia gradatim restringenda, transpiratio promovenda sunt. Cura.

Quibus caput ab ulceribus manantibus, aut a tinea affectum est: his primum victus moderatus, corporis exercitium, ac summa capitis mundities imperanda, capilli, quin frigus repentinum noceat, rescindendi, radendi, ac pediculi, si abundent, cum axungia, Tineæ cap.

vel sapone molli ac albo, cui olei distillati, vel anisi, vel lavendulæ guttæ aliquot adduntur, — cum butyro, seminibus apii petroselini, in formam unguenti, remisto, — aut cum semine sabadillæ, cucupha, quæ caput arcte circumdet, recepto, per noctem aliquoties impositis necandi sunt. Jam vero crustæ, quæ curam ulceris manantis impediunt, emolliri, ac, ut decidant, præparandæ sunt. Favorum achorumque illæ, difficultatem non afferunt; sed vel prædictis unguentis, vel decoctis emollientibus jam cedunt. Ast crustas tineæ rebellis fere saxeas ac profundas unguenta sola vix penetrant; & pars exterior ac durior illarum cum novacula caute radenda, auferenda est. His præstitis, cataplasma (N. LIII.) molle ac tepidum continuo imponimus, & quotidie, donec omnes fere crustæ deciderint, renovamus. Alii, solutione mercurii sublimati, cum pane in cataplasmatis formam redacta, — alii, arcano quondam, ex bufonibus calcinatis pulvere, hoc scopo utuntur: quorum primum glutinosum nimis, — alterum nullius virtutis esse remedium, experientia aliorum testatur.

Patentia nunc ulcera cum urina recenti ac sana quotidie lavantur, ac mox unguento populeo, vel unguento *albo* (N. XLVI.), aut *rubro* (N. XLIII.), aut demum citrino (N. XX.) mercuriali, obtecta, tali methodo simplicissima ad sanationem perducuntur. Aliis solutio phagedænica (N. LII.), aut simplex mercurialis (N. LI.), vel decoctum tabaci, rebelle ulcus depurat. Si dura quædam loca his auxiliis domari non possint, hæc ipsa vel unguento simplici, cui octava pars pulveris cantharidum remista sit, vel caustico interdum remedio, ut butyro antimonii, cum æquali spiritus sulphuris portione, vel & lapide infernali prudenter tangenda, & mox carptis fi-

lamentis, quibus butyrum symplex illitum sit, obtegenda, -- cum vero eschara deciderit, cum unguento ægyptiaco, vel mercuriali albo, vel rubro, depuranda, ac tandem ad cicatricem perducenda sunt. Totius ulceris exsiccationem aqua saturni, vel calcis tandem sine damno coadjuvat.

Non tamen omnis sic tinea sine crudeli pilorum evulsione ad finem constantem perducitur; ac in casu mali pertinacioris, ad hoc demum recurrendum est subsidium. Si paucas modo capitis plagas occupat tinea, tunc volsella capillis prope radices apposita, hi ipsi cum bulbis extrahendi sunt. Si nimis extensa est affectio, tunc ex pice alba ad ignem liquefacta, cum pauxillo farinæ secalinæ, ac olei olivarum, emplastrum paratur: quod linteis digito vix latioribus, sat longis, hinc pluribus, commissum, ac leviter calefactum, tineæ, resectis prius capillis, imponitur, & post horam, sine impetu, ac lente, cum sat multis, qui huic adhærent, solutis jam a morbo, capillis detrahitur, ac pro re nata iterum aliquoties imponitur. Alii emplastrum ex pice nigra plures per dies his crustis imponunt, atque illud cum istis, ac pilis repente detrahendo, caput omne cum impetu quasi decorticant. Hanc methodum non parva sæpe partium insequitur inflammatio: quam butyro, betæ foliis inuncto, sedare contendunt, & quæ interdum venæsectione ac aliis indigebit auxiliis.

Alia quidem, ut diximus, in tinea primaria vix indicantur, quam *localia* remedia. Interim in adulto jam malo vel fonticulus, vel alia, per emplastrum vesicans ad nucham, ad brachia, vel per corticem thimeleæ inducta exulceratio, vel & alvum purgans hinc inde remedium, ac pulvis antimonialis ex æthiope (N. LIV.), aut alter ex sulphure antimonii

(N. LV.) ad securitatem majorem, commendari merentur.

Tin. faciei. Ad *tineam faciei* quod spectat, ea quidem, quod vel sponte tandem dispareat, ac damna vix habeat, remediis, ut illa capitis, violentis non indiget. Interim cum continuus pruritus, ac vigiliæ infantem disturbent ac emacient: in causis hujus incommodi (§. 448.) auferendis, & ad citiorem, quam quæ a natura præstetur, morbi curam obtinendam, auxilia requiruntur. Experti & clari in arte viri consilio, a multis jam annis hoc rerum in statu confirmato nos quoque *jaceam*, seu *violam tricolorem* hoc in morbo tentavimus, ac variis in casibus hæc planta spem nostram implevit; in aliis vix tantum præstitisse est visa. Exhibetur vel *recens*, in lacte decocta (N. LVI.), quod mane ac vespera infanti porrigitur; vel *sicca*, in pulvere, ad drachmam dimidiam quotidie: quo sub usu tum alvus non raro, tum imprimis urina, cum fœtore, qualem jam descripsimus, apud varios cum fructu, moventur. Foliorum quoque *farfaræ tussilaginis* decoctum, omni bihorio ad unciam dimidiam per menses porrectum, alterius sibi viri laudem, quam in scrophulis jam dederant, promeruit; ac de primulæ veris saturato decocto similia, a nobis necdum tentata, referuntur. Plura interim, quæ, tempore longiori porrecta, hoc in morbo utilia dicuntur, an hic ipse vel sponte, vel per artem recesserit, nobis dubium relinquunt. Externis hac in tinea remediis vix locus est; & quæ illam exsiccant, cum damno admoventur. Fortiori tamen a crustis durioribus tormento vel malvæ decocto, vel lactis cremore dulci occurrimus, ac simul alvum cum syrupo cichorei cum rheo, vel cum manna, sine stimulo movemus. Si utriusque sub tineæ decursu, vel ob incautam medelam, vel ob alias ra-

iiones, alterius forte mali pejoris symptomata occurrant, & ab illius suppressione pendere videantur: tunc habita tum causæ supprimentis, tum præsentis affectus ratione, ex traditis in casu simili præceptis (§§. 290. 326.) consilium petendum est.

ORD. II. GEN. VII.

LEPRA.

§. 451. Vix una ex descriptis hucusque impetiginis speciebus existit, quam veteres, & ævi medii scriptores, — non modo cum fortius urgeret, sed & mitiori sub habitu, interdum non declarassent pro morbo, quem nunc veris ac distinctis coloribus depingere, ob hujus raritatem, tam ardui res laboris est. Etsi vero hæc ipsa difficultas in sermonis apud Antiquos de *lepra* obscuritate, in *Arabum* garrulitate tædiosa, ac in *Arabistarum* hos cæca fide exscribendi consuetudine fundamentum agnoscat; insignis tamen symptomatum, quæ illam vel ut futuri *indicium* morbi comitabantur, vel ut frequentior effectus, circumfluebant, copia, — ut in altera nunc *lue*, quæ *lepram* in Europa paullatim excepit, ad imaginis manu veterum delineatæ ambiguitatem summopere contribuit. Vel sola cutis macula, vel pilorum defluvium, vel porrigo, vitiligo imprimis, herpes siccus, vel squamis, tuberculis, ulceribus obsessæ pellis conditio, quin solæ in cruribus varices, suspicionem de *lepra* apud eos movebant: apud quos, vel ob contagii perpetui, vel ob causæ communioris ac in plurimos eundem ad finem conspirantis rationem, impetigo leprosa cutaneorum & principium & finem morborum formare solebat. Notio.

Interim vix tanta rerum confusio ex veterum hoc de morbo doctrina nasceretur, nisi infelix eorundem de *quatuor humoribus* theoria, & insignis doctorum in morbo prorsus eodem, nunc ex formæ, nunc ex solius coloris diversitate subtilius distinguendo pruritus, accessissent. Sed & illud non parum hujus morbi historiam obscurat: quod, sicut semina vegetabilium diversa, hoc sub cœlo, plantam inermem, -- in illo fruticem altiorem effingunt, ita *lepræ* contagium, aut fomes, hac terrarum in parte, sub ista, — alibi, sub alia magis, forma excreverit; quin verus atque constans morbosi floris character ex veterum laboribus sat tuto ad nos usque pervenisset. Sic *venereæ* quoque luis symptomata, sub cœlo multum diverso, insigniter inter se differunt, ac morbos observatori incauto, ac originis primariæ ignaro, fere quosvis mentiuntur. Quo vero tempore ultima hæc lues Europam invasit, non mirum est, si tum istius, tum declinantis tunc *leprosæ* affectionis, quæ plurimum inter se conspirant, symptomata a multis commisceri, & ægritudine ab una ad alteram transferri videantur: quæ singula sine dubio morbi apud nos quasi dispersi ac cessantis reliquias cum temporum obscurorum descriptionibus conferre, opus perdifficile nobis redderent, nisi viri eximii susceptus nuper *de lepra Occidentis* utilissimus labor hoc sibi pensum assumere felici cum ausu voluisset. Nos quidem morbum, quem *Elephantiasin* Græci dixerunt, semel ipsum, -- sed oculo juvenili, in veterum monumentis necdum satis versato, ac brevi temporis concessa mora, conspeximus: quam vero *lepram* hi proprie vocarunt, hanc pluribus exemplis impressam mente tenemus.

Definitio. §. 452. Morbum tam proteiformem angustis defi-

hitionis cancellis circumscribere, res ardua est nimis. Nec enim natura, sed vehementiæ modo gradu sedisque ratione, *Arabum*, *Græcorumque lepras* inter se differre putamus; & innumera symptomata, quæ diversos apud populos, atque sub cœlo eodem, ægritudinem eandem, alia aliaque circumdant, constantiam vix ullam, — sed cujusvis fere morbi atrocis phænomena, ordine nunc isto, nunc illo disposita, in hac una ostendunt.

Quod si tamen ad præcipua hujus tetræ affectionis signa diagnostica sub variis *lepræ* formis respiciamus: hanc dicemus atrocissimum impetiginis genus, cute aut *vitiligine* (§§. 402. 403.) *diffusa*, — aut *piscium* quasi *squamis*, *ulceribusque crustosis*, *orbiculatis*, *pertinacibus*, — aut demum *tuberculis nodosis*, ad faciem imprimis, ad manus ac pedes, inquinata, insigniter pruriente, aspera, rugosa, unctuosa, lividaque, cum dyspnœa, voce rauca, nasali, morositate, anæsthesia ac stupore, salacitate morbosa, alvo sicca, pedis deformitate, tumore elephantino, ulceribus profundis, ad ossa, articulos, sub pauco dolore, extensis, hæc ipsa separantibus, fœtore, ac aspectu totius horrendis.

§. 453. Hæc vero (§. 452.) totius ægritudinis tum lenta primordia, tum limitatos ad cutem quasi solam progressus, tum summos ex ista in universum systema furores generatim concernunt; nec ubique tum atrox erat lepræ natura, quin illam, quæ *psoræ* ferocioris in modum incederet, pro morbo ab *elephantiasi* diverso complures declararent. Qui interim considerat, morborum incrementa, tam cœli, victus, quam diversæ apud homines constitutionis ratione, quamplurimum differre, ac in ipsa *Græcorum elephantiasi* sæpe cutem non aliter, ac *Arabum* in

Differentiæ.

lepra, ulceribus fœdari: non difficulter hic sibi persuadebit, inter morbum utrumque non aliam, quam vehementiæ in *elephantiasi* majoris, differentiam intercedere (§. 452.).

Non tamen ideo vana est *lepræ* divisio, qua hunc morbum diuturnum tum in diversa sua stadia, -- tum in præcipuas varietates, quibus corporis aut modo partem (*Lep. localis*), aut omnem compagem (*Lep. universalis*), aggreditur; -- aut superficiem commaculat, exasperat, obtundit (*Lep. alba*, scil. *Leuke Græcorum*); -- aut eandem exulcerat, ac crustis squamisque defœdat (*Lep. squamosa*, *Lep. Græcorum*); -- aut pellis omnem, cum subjecta adiposa, substantiam in tubera nodosque attollit, corrugat, enervat (*Lep. Elephantiasis*, *Lep. Arabum*); -- aut, ad manuum, pedumque articulos conversa, ea in crassas ac informes columnas infarcit, stupefacit, corrumpit, ac separat (*Lep. Elephantia*); -- aut denique in simplicem, vel cum aliis affectibus complicatam (*Lep. rubra*), distinguimus.

Morbi historia.

§. 454. Ut impetiginum, quas novimus, crudelissima, sic inter omnes antiquissima, ac cœli ardentioris, Indiarum, Æthiopiæ, Arabiæ, Ægypti, primogenita quasi morborum filia, est *lepra*. Hic enim locorum, quod scriptores tum sacri, tum profani, ex vetustissimis, indicarunt, — sed forte & ad frigidioris septentrionalis oceani litora, exstructum primitus, & ad nostra usque tempora intactum, figitur dirissimæ hujus luis habitaculum. Ex Ægypto hæc in Asiam ac Græciam, ob mutui commercii rationes forte prius, quam alias ad gentes, migravit; sed quo sibi tempore Romani Orientem victores submiserunt, per Italiam hæc pestis ac per omnem Europam propagata est. Vix interim tempe-

vatum hoc orbis solum peregrino morborum semini diutius favere, sed & ipsum in illo, nisi alio, recenti, suffultum, languere ac soffocari videbatur: cum primum pietatis ambiguæ instinctu Orientem visitandi, ac demum hac parte terrarum potiendi commune Europæis desiderium, hanc stragem populorum, donec altera, non minus peregrina, eandem imperio expelleret, revocasset. Eo scilicet a tempore, si modo pauca, quibus infaustum illud lepræ seminium adhucdum adhæret, loca excipimus, vix multa hujus morbi provecti exempla in Europa occurrunt; sed novæ infectionis pericula ex incauto cum populis hac a lue notatis commercio instare, infelici parentum nostrorum sorte admoniti veremur.

§. 455. Stadia hujus morbi (§. 453.) ex symptomatum successione, ac lepræ tum principio, tum incremento manifesto, tum summo fastigio, divisionem admittunt. Signa prodroma.

Quæ a fomite hujus luis suscepto contingant, non minus ea hoc ipso, ac viis, per quas corpus ingreditur (§. 460.), obscura sunt & dubia. Lassitudinem generalem, morositatem, horrores cum caloribus ac *æstu interno* commistos, aut interdum *quartanæ* quasi typum observantes, *formicationis* inter cutem carnesque, imprimis *faciei*, *sensum*, & locales adeo affectus, hic plures accusarunt; sed morbi tam lenti sub decursu, forte plura, quæ ad ipsum non spectent, contingunt, nec leprosus a febribus, aut ab alio contagio prorsus immunis videtur. Interim recens adhuc morbi virus febrem interdum accendisse, & per hanc ipsam subinde cum impetu ad cutis superficiem mox depositum fuisse, observationes tum aliorum, imprimis de lepra *elephantia lo-*

cali (§. 458.), — tum propria de lepra *squamosa* (§. 457.), testantur.

Lepræ acutæ histor.

Sic, elapso vix anno, fœminam triginta circiter annorum hoc ad *Clinicum Institutum* suscepimus: quæ duarum licet jam prolium mater, nec tamen in vita fluxum experta erat menstruum, & lochia paucissima post partus excreverat. Hæc per quadraginta quinque, jam dies a febre, ac simul ab impetigine crustosa, squamosa, universam ad cutem correpta nosocomium petierat. Faciei rubor insignis, ac plurimæ tum in ista, tum ad partem capitis capillatam, ad collum, pectus, abdomen, dorsum, extremitates, crustæ tum flavæ, tum subnigræ. Inter istas, cutis undique sulcata, aridissima, hinc inde fissa, a squamis majoribus, cinereis obtecta. Dolor ingens, & calor ad attactum tam insignis, ut similem nobis nunquam in ægrotante alio observare contigerit; tumor pedum, ac genuum imprimis, dolentissimus; arteriæ centum & triginta ictus minuto primo, interdum plures, durissimosque & contractos absolvebant. Tres igitur venæsectiones brevi temporis intervallo institutæ nobis sanguinem denso corio obtectum obtulerunt. Ingens squamarum copia quotidie in lecto reperiebatur; & quo loco cutem deseruerant, eo rubor ac cruda quasi caro, non ulcus, subjacebat, humorque tenax ac fœtidus stillabat. Quamplurima hos ad æstus extinguendos porrecta sunt, quæ hic omittimus, tum interna, tum externa remedia, ac in balneum ægrotam demisimus frequenter, hoc effectu: ut trium fere mensium, a quo Clinicum petierat, intervallo, ab atroci hoc morbo restituta, sine ullo pellis vitio, ad suos redierit lætabunda.

Plerumque febris nulla hunc morbum aut præcedit, aut, si finem excipiamus, comitari videtur.

Incipientis vero tunc morbi signa ab ægrotantibus vel celata, vel ad partes obtectas istorum collocata, vel nimis exigua, vel pro varis aut nævis declarata, ac sæpius nullo ægritudinis sensu sociata, medicorum haud raro cognitioni subtrahuntur. Altera judicii difficultas huic primæ, ex ipsa signorum multitudine & significatione ambigua, aliquando accedebant. Nunc enim lentigines, nunc panni, nunc macula rotunda vel alba, vel rubra, subflava, vel & nigra, pruritus expertes, — nunc porrigo, alopecia, aut ulcus, aut alia, hanc labem, — in aliis, modo simplicem benignumque cutis morbum indicabant.

Præcipue vero macula, plerumque una, vel & plures, figuræ potissimum rotundæ, aut parum, aut nihil elevatæ, ad faciem, axillas, vel pubem, vel ubique sub descripto colore, — ac vitiligines (§. 403.), extensionis nunc minimæ, nunc lenticularis, aut interdum amplioris, — dum ambitus earundem vel in latum, vel in profundum, nunc citius, nunc tardius augeretur, -- dum pili, si quos fundus macularum haberet, aut subtiliores, breviores, rariores, lanuginosi, aut albi redderentur, vel & protinus defluerent, -- ac demum cum locus hic inæqualis, depressus, aut, acu perfossus, vel igne tractatus, ne sensu quidem consueto gauderet, ægritudinis latentis testimonium dederunt.

Color igitur in cute aut partis, aut corporis totius, mutatus, ac *sensus* in macula recenti *decrementum*, -- in adulta, atque profunda, *abolitio*, si adsint, potissimam in lepra diagnosin constituunt. An deficiens aut macula, aut anæsthesia, lepram semper excludat? hoc major, ac nobis esse potest, experientia docebit; nec in lepris, quas vidimus, tam scrupulose, ac forte docuisset, cutis omnem superficiem examinavimus.

Interim & aliorum signorum, simul scilicet collectorum, cum aliam originem non agnoscere viderentur, suo tempore non parva habebatur auctoritas. Ipsæ certe *maculæ* nunc a cute recedebant, atque, iterum iterumque redeuntes, superficiem in parte vel ista, vel illa, jam interdum majores, elevatiores, magisque obscuræ (panni), fœdabant; nunc cum majori constantia sedem sibi vel unam, vel ad plura simul loca defixam, eligebant. Interdum non tam maculæ, quam pustulæ, aut siccus ac orbiculatus herpes præcedere lepram solebat. Animi corporisque segnities insolita, morositas, facilis iracundia, vel in dolos, suspicionem, dispositio, -- insomnia tristissima, terrifica, ephialtes, -- lascivia insueta, ac major viribus coeundi potentia, -- oculorum albedo obfuscata, turbata, vel rubra, aut livida, ac in nigrum declinans, figura oculi rotunda, *leonina*, -- vox rauca, vel, rarius, acuta & subtilis, cum anhelitus fœtentis strictura, -- narium, exterius rubrarum, livescentium, interna angustatio, vel ulcus, frequens sternutatio, & privatio olfactus, -- faciei inflatio, cum magna validaque rubedine, ac in pelle super fronte quasi tensa, & lucente, nodosa, aspectu torvo, -- capitis, superciliorum, ac menti porrigo, pilus rarior, mutatus, alopecia, -- sudoris fœtor, alvi tarditas; eructatio perpetua; lotium subjugale, ac turbidum, interdum tenue, aquosum, -- pulsus parvi ac lenti, -- præcipua venientis lepræ symptomata constituebant. Alia superaddidit insulsa hoc de morbo ejusque ex cholera nigra origine, theoria: quæ singula ex veteribus referre, humanæ mentis esset satyram conscribere.

Per longos sæpe annos hic morbus, vix uno alterove signo stipatus, mediam quasi per salutem translucebat, ac hominem ad extremas jam miserias da-

mnatum quascunque functiones, illibatæ libertatis fraudulento sub aspectu, exercere sinebat: donec vel in pueris pubertas, vel in adultis alia rerum mutatio, latentem sub cineribus ignem, attonito ægrotante, rapaces in flammas eveheret, ac lepram vel in parte, vel universo in corpore diffusam ostenderet.

Lepr. confirmat.

Hunc igitur jam provectæ ægritudinis statum sequentia, sub quibus utpote leprosum a populo separari curabant, in genere comitari solebant. Vitiligo incrementum jam sumit, ac in profundum latumque nunc citius, nunc lentius diffusa, sensum omnem amittit. Nunc singula, quæ morbum hucusque obscurius indicaverant, augentur phænomena: increscunt segnities motuumque difficultas, insomnia terribilia, morositas, raucedo, faciei circa nasum rubor, livido, ac inflatio; turgescunt, dilatantur exterius, angustantur interius, nares; tument genæ, labia; protuberant supercilia, ac tubercula cinnabarino, subflavo, vel & livido, colore notata, has partes non minus, quam aures, frontem, ipsumque interdum palatum, exasperant, defœdant. Intermedia his cutis crassescit, & in plicas rugasque unctuosas contrahitur: unde facies, ut vocant, *leonina* efformatur, nigrescit, ac humanæ imaginis delentur vestigia. In pluribus cutis undique ulceribus fœtidissimis, crustosis, albis, & squamosis, cum pruritu ac ardore, dolore, cum tactu licet obtuso, insignibus, obtegitur. Corpus integrum, si modo partium dictarum tumores excipiamus, tabescit.

Summum fastigium.

Atque nunc fere hic morbus ad summum fastigium (§. 458.) ascendit. Vox penitus extinguitur, fœtorque animæ & corporis cum spirandi labore continuo increscit; sub lingua grandinosa, raninarum venarum varices, quæ & alibi, ad pectus, ad tibias oriuntur, subnigræ comparent; secedunt pili vix non

omnes, & caput, & supercilia prætumida, limina que palpebrarum, & mentum, & axillæ, & pubes; tibiæque glabrescunt; finduntur, incurvantur, & corrupti labuntur ungues; musculorum torositas omnis disparet, imprimis illorum, qui inter pollicem & indicem digitum sunt positi; ciborum digestio prava, ac flatuum incommoda, vel & fames in quibusdam canina, augentur; vix fæces alvus, — ac jumentosam continuo vesica urinam, expellunt; infausta veneris cupido ac tentigines in consumpto ac morituro jam homine intenduntur; extremitatum articulos, phalanges, a carie latente erosa, tumores insensiles, alii juxta alios, circumdant; vel & ulcera sicca, profunda, sensuque vix prædita, deturpant & cutis, hinc in plicas crassiores, nodosas elevata, — in sulcos ac rugas asperas, profundas, aut fissas alibi contracta, *elephantini* magis, quam humani pedis, figuram æmulatur; interdum nares, intermedia cartilagine erosa, collabuntur; aut prorsus, ut digitorum phalanges, aut integra quoque membra, a vivis vel sponte ac sine dolore separantur.

Hæc fere morbi truculenti, prout diversis in locis comparet, ac *lepræ* imprimis *nodosæ* (§. 458.), horrenda est facies. Interim non ubique hæc singula in omnibus leprosis occurrunt symptomata; sed in aliis, ut dictum est, superficiem, in aliis cutem integram, extremitates & articulos in aliis, pro sede sibi eligit furorum. Hinc ob varios ejusdem ægritudinis aspectu, interdum ob solas theoriæ de *quatuor humoribus* rationes, in quatuor fere species (§. 453.), aut in illas, ab aspectu impetiginis desumptas, ab auctoribus distincta est lepra: quas morbi varietates, modo paucis coloribus depictas, trademus.

Lepra alba. §. 456. *Lepra alba*, *zaraab* Hebræorum, *Baras* O-

rientis, *Leuke* Græcorum. Antiquior longe aliarum leprarum notione, atque clarissima istius *plagæ* in sacris paginis descriptio est. *Morphæa alba* (§. 403.) frequentissimum hujus principium fuit, & sicut ista, modo cutis superficiem maculare, — sic *lepra alba* profundius per cutem, carnes, & ad ossa usque descendere, hasque partes immutare, ac se ipsam dilatare consuevit. In vitiligine morphæa, quam *albam* vocavimus, si qui pili ad plagam, quam illa occupabat, aut sanam prius, aut cicatrice ab igne aut alia læsione violenta fœdatam, hærebant: hi colorem non mox a principio, sed tardius mutare, — & macula rotunda, plerumque depressa, albescens, nec sensu in totum privari, nec incrementum habere solebant. Quod si vero lepra his e signis prodibat, tunc ex lacteo color niveus ac splendens morphææ, ipsique pili albedine, tenuitate distincti, asperitas, porrigo, stupor, anæsthesia, dilatatio macularum manifesta cernebantur. Interdum & pustulæ nunc rubræ, nunc citrinæ, nunc duræ ac lividæ, nunc albæ, molles, ac cito puriformes, vel & maculæ coloris non albi, hanc lepram præcurrebant. Cum magno ægritudinis augmento morphæa, dum locus fricaretur, ruborem non contrahere, aut ferro punctus, hic non sanguinem, sed humorem albescentem, sine sensu, ex profundo plorare, pilosque canescentes, aut albos, vix non omnes dimittere cernebantur. Aliquando universa hominis leprosi cutis nunc ulceribus pustulisque obtegebatur: quæ in crustas albescentes, & squamas conversa, si modo carnes fungosæ sub istis non laterent, *lepræ* quasi *crisin* constituere videbantur. Cum vero sub laxiore solidorum contextu, ac facie inflata, morphæa, hucusque depressa, aut plana, cum cute ipsa pallida, subtumida, molli, sed & sicca & aspera, in altum sur-

Lepra tyria.

gebat, ac furfures, vel squamas, ut pellem serpens (*Lepra Tyria*), deponebat; & rhagades, & ulcera viscosa, & caro luxurians hac in parte nascebantur; cum glandulæ, sub cute alba, in mollem tumorem adauctæ, oculi lacrymantes ac fatui, gingivarum, labiorum erosio, fungositas, palpebrarum inversio, narium oppilatio, emunctio frequens, salivæ effluxus copiosus, venter laxus, urinæ albæ, crassiores, pingues, & saniosi quid habentes, unguium corruptio, pilorum defluvium, pedumque tumor hydropicus, in conspectum prodibant: tunc summum jam fastigium hæc lepra attigisse, ac plura nunc morbi universalis symptomata communia huic ipsi conjungi videbantur.

Lepra squamosa.

§. 457. *Lepra squamosa*, *Lepra Græcorum*. Difficilis & fallax hujus varietatis leprosæ a *psora* inveterata (§. 435.), — a *psydraciis* diversis (§. 440.), imprimis a venerea, scorbutica, scrophulosa, senili, — & ab *herpete rodente*, *phagedænico* (§. 422.), diagnosis est; & sicut lepram hæc mala interdum mentiuntur, sic ista hinc inde originem, alterius impetiginis sub aspectu, leprosam agnoscunt. Nullum certe, quod satis constans esset, hanc ad lepram Græcorum signum perducit; & si *morphæam nigram* lubentius ac frequentius in istam, quam in aliam, abivisse dicendum sit, nulla tamen cutis defœdatio aut porriginosa, aut pustulosa, occurrit, quæ vitii illius præcursorem non sæpius egisse videatur. Quæ interim ad pellem crassam, coriaceam, inflexilem, tensam, asperam, aridam, inæqualem, sulcatam, ardentem, ac insigniter prurientem, nec facie excepta, crustæ pertinaces, vix non callosæ, verrucosæ, nunc cinerei aut obscure albescentis coloris, nunc ex flavo subrubræ, vel subnigræ, ad corpus

modo integrum, modo crura vel brachia potissimum, vel & partem quamcunque, sine causis alterius impetiginis manifestis, nascuntur, ac in piscium quasi squamas majores, rotundas, siccas, copiosas, vel & corticum testarumque, quasi nive, aut farina conspersarum, sub forma, a cute subtus aut cruda, rubente, aut fissa, sanguinolenta, aut erosa, resolvuntur, ac, iterum iterumque redeuntes, dilatantur, — imprimis quæ junctum hinc inde vel in confiniis stuporem, tactusque sensum obtusum, articulorum rigiditatem, unguium corruptionem ac lapsum, & pilorum ex parte affecta defluvium, aut colorem mutatum agnoscunt, — quæ cum sudore nocturno & cum macie extrema incedunt: hæ ad *lepram Græcorum* non immerito referuntur, & nunc solæ, nunc ipsius morphææ, vel elephantiasis sociæ, incedunt. Si, malo prorsus locali, vel coxæ tibiæque, vel brachia crustæ densiores, elevatæ, aridæ, variique, sæpe nigri, coloris, cum pauca sanie ulcus lividescens cum partis stupore, subinde cum inguinalium glandularum tumore, obtegerent: tunc *mali mortui* sub nomine veniebant. Interdum & hæc species impetiginis, si copiose ad pellem efflorescceret, *lepræ crisin* constituere credebatur.

§. 458. *Lepra tuberculosa, nodosa universalis, Elephantiasis* Græcorum. Hæc morbum, de quo agimus, in summo gradu constituit, ac aliarum varietatum symptomata, una cum illis, quæ supra (§. 455.) indicavimus, fere singula complectitur. Non quidem hæc lepra, *Ægypto* endemica, sub tropicis nec nostris temporibus rara, in Europa vix unquam tam frequens, nec prorsus tamen exul, ut in homine se prodat, aliarum varietatum decursum, aut formas illarum absolvat, necesse est; nec prodroma ei si- Lepra elephant.

gna, nobis quidem nota, habentur, ex quibus *Elephantiasin*, non lepram aliam, futuram esse, sat tuto concludatur; sed prævíis, modo febre, imprimis vero maculis, vitiligine morphæa, erythemate varicode (gutta rosea), modo pustulis, herpete sicco, orbiculato, jam cutis, ad faciem plerumque, sed & alias ad partes, potissimum ad articulos, ad manus atque pedes, nodosa, tuberosa, cum descripto istorum *elephantino* tumore, aliisque jam satis (§. cit.) enarratis phænomenis, segnitie totius corporis spontanea, mentis ignavia, proclivitate in somnum, per insomnia turbatâ, stupore, anæsthesia, atque squamis pertinaciter adhærentibus, ulceribus nunc aridis, nunc rodentibus, subflavis, vultuque nodoso, rugoso, terribili (*Lepra leonina*), comparet.

Lepra leonina.

Lepra elephantia.

Interdum lepra nodosa *localem* magis, quam universalem, ut diximus, affectionem constituit, morbique materia cum totius emolumento ad artículos, manuum, imprimis pedum crurumque, vel ad ungues abinde fœdos & *globosos*, deponi videtur. In plurimis, sub morbi principio, febris manifesta, cum rigore, calore, deliriis, inguinisque dolore, tumore glanduloso, occurrit. Mox cruris hac in parte, aut utriusque, inflatio, rubedo, ac dolor, interdum cum stria rubra, sat lata, vasorum lymphaticorum decursum indicante, insequuntur: quo tempore & febris & tumor glandularum inguinalium subsidere observantur. Sæpius, sed tempore incerto, hæc febris revertitur; & in crure, post quemvis insultum, incrementum tumoris, œdemati consimilis, sed magis renitentis, conspicitur: donec, sub melioris valetudinis, si modo *sitim* in quibusdam intensam excipiamus, aspectu, pedis elephantini figura, nunc æqualis, nunc per sulcos plicasque divisa, emergat; & sub pelle crassiori, squamosa, humor tenax, gluti-

nosus, cellulosa dilatata, tenaciori, ac varicibus depicta circumseptus, in substantiam lardaceam concrescat; vel ex cute disrupta, per fissiones, per ulcera impura, fungosa distillet; aut pars ipsa, sine sensu, post longos modo annos, a vicinis separetur. Interdum localis hic tumor nunc manus, nunc brachium, nunc aures, vel nucham, nunc dorsum, vel lumbos, nunc ipsa pudenda, occupasse est visus; sed frequentior ad pedem ejus sedes est, ac tandem se ex isto universum per corpus dilatasse describitur.

§. 459. *Lepra alopecia*, *Lepra rubra*, *Lepra complicata*, *scorbutica*. Hujus varietatis ab *erythemate varicode*, seu gutta rosea (§§. 397. 399.), principium desumi, est veterum doctrina. Hoc, insons plerumque nunc temporis, faciei nariumque vitium, nunc leve, nunc pustulis aut siccis, aut saniosis, crustosis distinctum, — interdum non dissimiles aliis in partibus rubores, — ut *lepram elephantiasin* (§.458.), sic & eam, de qua nunc sermo est, varietatem, præcedunt aut pessumdant. Facies hic, & genæ, & nares, a tumore profunde rubicundo, pruriente, pustuloso, crustisque saniosis defœdantur; maculæ aut flavæ ad cutem comparent, ac sponte recedunt; gingivæ fungosæ ab attactu leviori mox cruorem emittunt, halitusque ac sudor, ac urinæ subpingues, aut crassæ & rubræ, vel & sanguine commistæ, fœtorem exspirant; ulcera saniosa & rubra superficiem inquinant; supercilia ciliaque pilos in totum amittunt, inflantur, & oculos rubentes lacrymantes abscondunt. Quod nisi facies potissimam hujus morbi sedem formare videretur, nisi tumor superciliorum pilorumque ex istis defluvium accederent, non tam *lepræ*, quam *veri scorbuti*, hac in descriptione ex veteribus deprompta imaginem haberemus. Inte- Lepra rubra.

rim & suam lepræ cum scorbuto, venerea cum lue, cum scrophulis &c., *complicationem* concedimus lubenter, quin ideo aut *rosam*, ut appellant, *Asturiensem*, aut endemicam nostratibus *Pellagram* huic lepræ varietati pro argumento esse, hucusque ex rationibus suo tempore referendis opinemur.

Causæ. §. 460. Quid lepram in homine producat; hoc, nisi principium esse dicatur, quod ex parentibus per hæreditatem in proles, aut ex infecto quovis, ut contagium, in sanum se transfundat, difficulter eruitur. Vel ex victu perverso atque piscium corruptorum ex usu, vel aquarum locorumque ex infausto imperio, vel ex terrore majori, ac fortunæ adversitatibus hunc morbum popularem derivari, vetant rerum earundem, sub eadem positione, in gentes diversas ac plurimas effectus non idem, & causarum tam communium non exspectanda tam singularis in paucas modo tribus operatio. Ipsa interim contagia, ut ad alios propagentur, certas sibi rerum conditiones omnino exposcunt: atque sic cœli tum calidioris, tum frigidioris ac humidi, constitutio hæc ipsa fovere, atque cutem habitantium hoc pro semine recipiendo disponere videtur. De *hæreditario* lepræ ex genitoribus in prolem, aut saltem in ipsos nepotes, transitu, copiosa, & hodierna adeo, exempla sine dubio testantur. Non eadem de *contagio* certitudo habetur, & innumeri leprosi cum sanis uxoribus, insatiabili quidem cum libidine, sed sine damno istarum manifesto, concumbunt. Mulierem a lepra *squamosa* jam multos per annos insigniter affectam, ac non modo *prolium*, hoc a tempore genitarum, *sanissimarum* matrem, sed cum proprio marito, eodem in lecto sine noxa istius, cubantem, nos ipsi conspeximus. Non vanæ interim sunt le-

ges, quas ad lepram Hebræorum (§. 456.) Legislator antiquissimus tanta cum sapientia, — & quas populi vix non omnes, ad horrendam hanc luem a civibus avertendam, ubique tam solicite tulerunt; & vel ipse, quo hic morbus Europam repetito invasit, modus, -- tristissima ac recens insularum variarum inter tropicos positarum historia, ac infaustum cum infectis *Africæ* incolis in servitutem conductis commercium, nec minus complura lepræ ex longa atque intimiori cum infectis consuetudine contractæ exempla, abunde docent: *contagium* huic morbo, licet *lentum*, ac modo paucis prædispositis nunc quidem infestum, subesse; nec ob insons hodie apud plures cum *leprosis* commercium, posse leges, quas quondam neglexisse Europam non semel pœnituit, sub tam incertis rerum mutationibus, humanitatis sine damno aboleri. Quo tamen modo, & per quas demum vias hoc ipsum contagium suscipiatur a sanis, — quas partes id primum invadat & inficiat: hoc non minus, quam ipsius virus natura ac indoles, nos protinus latet. Infantes hoc minus fœminasque, ac viros, infestasse, — & quibus *testes* ex istis resecti fuissent, hos aut nunquam, aut mitius affecisse contenditur (§. 462.). An, quod minora infectionis pericula, quam alii sub coitu, incurrerent *eunuchi*? an ob rationem eandem, qua lepra *hæreditaria* pubertatis sub tempore potissimum, — nec sine insigni ac fere proprio partium genitalium, atque generis nervosi stimulo, prorumpit? . . . . . ignoramus; sed certe & *impuberes*, a parentibus leprosis oriundi, lepræ signis maculati incedunt. *Blennorrhœam* ex *lepra sola* apud quosdam venisse, ob utriusque antiquitatem mali, suspicio esse potest; certitudo non habetur. Ab *insectis*, quæ utique sua ova aut larvas ulceribus, quæ patent, quibusvis non raro commit-

tunt, lepram derivari, vix certa satis observatio concedit; nec illa, quæ impetiginum origini adversantur, hæc, ut psoram, sic & *lepram* seu *albam*, seu *nodosam*, dispellunt. Interim non minus tumores in *lepra elephantiasi* sub cute conspicui, quam *porcorum* in morbo proprio cutaneo, ut experimenta recentia, præter ullam veritatis suspicionem, docuerunt, *causam* agnoscere *viventem* possent. Quæ ex unico sub cute nidulante *gordio*, imprimis disrupto, symptomata nervosa oriantur, experientia pernoscimus. Quævis sibi *tæniæ*, nec cerebro excepto, pro sede viscera certe eligunt: an in *tela cellulosa subcutanea* apud *leprosos* similia contingunt? an potius *glandulosam* tumor originem agnoscit, & *systematis lymphatici* lepra morbus est? experimenta illorum, quibus occasio se offeret, docebunt.

Prognosis. §. 461. Vix quidquam medicinam in lepræ curatione præstitisse, vulgaris est opinio: cui, quotquot hanc artem vel quondam exercuerunt, vel hodiedum profitentur, si de morbo jam provecto loquamur, non difficulter accedunt. Æquivoca signorum, quæ hanc luem præcedunt, natura (§§. 451. 455.), solicita eorundem ab ægrotantibus occultatio, causarum ignorantia, & singularis, quo nervosum systema hic laborat, stupor, hanc artis impotentiam excusant. Incipientis tamen lepræ, ac morbi jam satis manifesti cum successu dissipati, aut saltem mitigati, exempla non prorsus deficiunt, ac in genere, *squamosæ*, quam aliarum leprarum, facilior, aut saltem minus ardua, est curatio. Vitiligo morphæa, in quantum nec numero, nec in latum, nec in profundum crescebat, nec latentem in suo ambitu pilum aut colore immutabat, aut graciliorem, breviorem, lanuginosum reddebat, aut prorsus emortuum expel-

lebat, nec sensu vel calore carebat, sed a frictione rubebat, & ab acu perfossa, doloris non expers, cruorem fundebat: lepræ metum præsentis deponi, ac morbi, nisi nimis jam adulti, sanationem sperari concedebat. Contraria, de morbi augmento, ac de fomitis morbosi dilatatione plerumque funesta, testimonium exhibebant. Morphæam *albam*, ad lepram hoc a colore vocatam (§. 456.), — morphæam *nigram*, ad *squamosam* (§. 457.), plerumque conducere, experientia suffulti prædicebant. Hinc albam præ nigra infamem declarabant, si diutius persisteret, morphæam. Quid *lepram nodosam* (§. 458.) signorum præcedat? an quasi ex improviso, ac sub dubiis modo indiciis prorumpat? hoc, ut verisimile vix est, ita maximis adhucdum tenebris involvitur. Interdum universalis ad cutem efflorescentia, lepræ, ut diximus, quasi *crisin* constituisse videtur.

De methodo med. lep.

§. 462. Nemo est, qui pro morbo nunc temporis tam raro occurrente, & suas quoad causas tam obscuro, medendi methodum ab experientia, quod magis interest, desumptam, a nobis tradendam exspectet. Juvat interim, quam tum alii ingressi sint, tum nos ipsi hoc in morbo tentaverimus, sanandi viam hic brevibus indicare. Ad *lepram squamosam* (§. 457.) quod pertinet, hanc eadem, quam ad *herpetem rodentem* proposuimus (§. 425.), ratione aliquoties sanavimus; ac potissimum, in atmosphæra puriori ac tepida, pro internis antimonialia, hepar sulphuris cum acidis porrectum (N. LVII.), decocta rumicis seu lapathi acuti, dulcamaræ, ulmi campestris, ligni guajaci, cum lacte copiosius hauriendа, -- aut, quæ causæ forte cognitæ, vel complicationem facienti, potissimum opponantur, tentari merentur. Interdum venæsectio, scarificatio, aut

purgans medicamentum, præmittenda sunt. Interim spes major in externa & hic ponenda est auxilia; atque balnea tum sulphurea, tum ex aqua marina, -- vel, sub majori ardore, ex lacte, emollientibus, vel ex partibus animalium pinguioribus cum aqua decoctis parata, pro virium ratione subministranda, -- unguenta, linimenta, vel ex simplici butyro, aut oleo, aut cremore lactis dulci, vel, cum certa ob mercurium contentum cautela, alia, jam in aliis cutis vitiis laudata (N. XLIII. XLVI.), vel cum succo nicotianæ tabaci, aut cum acido muriatico confecta, aut linimentum saponaceum (N. LVIII.), in opem vocanda sunt. Mercurialia vix unquam cum fructu, sed sæpius manifesto cum damno, in lepra *interius* fuerunt porrecta.

Qui lepram elephantiasin aut & albam tractandi quotidiana quondam occasione fruebantur, hi, pro temporis hoc de morbo theoria, ex quo humore ægritudinem generatam esse credidissent, hunc victu ac remediis contrariis aggressi sunt; aut potissimam in cute condecoranda, ac in maculis per *cosmetica*, vel adeo per *caustica*, remedia delendis operam collocarunt. Imprimis vero omnem, quam potuerunt, in *diæta* ordinanda solicitudinem posuerunt, & a carnibus diversis, leporina, asinina imprimis, atque porcina, quam ultimam *Legislator Divinus* ut impuram rejecerat, — & a cibis crassioribus, flatulentis, viscosis, a piscibus, qui squamis destituerentur, in genere ab alimentis aut sale, aut aromate acriori conditis, — sed a venere quam maxime, abstinendum, -- corpus vero pro viribus exercendum esse docebant. In cura morphææ, quæ antiqua non esset, ut nostro nos tempore, mox a suscepto a sanis contagio faceremus (§. 94.), & vomitum frequentem, & sudores in balneo, theriacam, & fri-

ctiones commendarunt. Nec sanguini (quod de morbo, cui febris fere deest, miremur) licet multum non mitterent, parcebant; ac, præter scarificationes, cauteria, *varices* in *elephantia* (§. 458.) comparentes incidebant, extrahebant, eradicabant; reprimentia, atque ipsas demum fascias, a calcaneo usque ad genu, vel ad inguinem, applicari curabant; atque alvum nunc fortioribus, si phlegma, aut melancholiam supponerent, stimulare, nunc blandis, ut sero lactis, remediis, movere studebant. Nec ad ipsam *castrationem*, ut hunc morbum aut averterent, aut ejusdem progressus præpedirent, descendere verebantur. Quas interim laudes hæc operatio mereatur, recentiorum, nisi contrariis, experimentis destituti ignoramus. Ipsa in *elephantia*, suscepta cruris tumefacti amputatio, quin labes ad alteram mox tibiam verteretur, ut recentior experientia monstravit, non potuit impedire; sed profuit ab initio, & cum febris quasi *intermittentis*, *anomalæ* natura subesset, peruviani usus corticis, qui sequentes insultus, pedisque tumorem monstrosum impedivisse videbatur. *Viperinæ* quoque carnes, & decoctum ex iisdem paratum, veterum medicorum omni potita sunt fiducia. Ad *arsenicum*, cum *piperis* sex partibus remistum, apud *Indos* jam pridem medici sacerdotes confugerunt, & adhucdum his ipsis, ut referunt, cum successu utuntur. *Cuscutæ* quoque (*Americanæ*?) in aqua infusæ, maceratæ, contusæ, cum succo limonum remistæ, maculisque leprosis, tuberculis ac nodis quotidie illitæ, -- *ledique palustris* saturatum infusum ulceribus impositum, quorundam hoc in morbo sibi laudes promeruerunt. Nos nostrum his de rebus, donec certior experientia loquatur, suspendimus judicium.

FORMULÆ MEDICÆ

IN §§. PRÆCEDENTIBUS CITATÆ.

Num. XXXIX.

Massa pro cute depuranda.

Recipe amygdalarum amararum uncias novem,
Pinearum uncias tres.
Terantur in pollinem subtiliorem, cui adde
Vitellos ovorum sex.
Misce.

N. XL.

Vinum camphoratum.

℞. Camphoræ rasæ drachmas duas.
Terantur cum aliquot alcoholis guttulis.
Adde succum citri unius recenter expressum,
Vini optimi libram unam.
Coletur.

N. XLI.

Linimentum camphoratum.

℞. Camphoræ drachmam unam,
Nitri puri drachmas duas,
Mellis, quantum sufficit, ut fiat linimentum.

N. XLII.

Unguentum cum sinape.

℞. Pulveris seminum sinapis subtilissimi uncias tres,
Olei amygdalarum unciam dimidiam,
Succi citri acidi quantum satis est, ut fiat unguentum.

N. XLIII.

Unguentum mercuriale rubrum.

℞. Butyri recentis uncias duas,
Ceræ albæ liquefactæ drachmas tres,
Mercurii præcipitati rubri,
Camphoræ, ana drachmam unam cum dimidia.

M.

N. XLIV.

Decoctum dulcamaræ.

℞. Stipites dulcamaræ a drachmis duabus usque ad sex.
Concisos infunde cum aquæ libra una cum dimidia, et in vase clauso leniter ebulliant, refrigerata colentur.

N. XLV.

Pilulæ antimoniales.

℞. Æthiopis antimonialis,
Gummi-resinæ Guajaci, ana drachmam unam,
Extracti stipitum dulcamaræ drachmas duas,

Misce: fiant cum syrupo simplici pilulæ granorum duorum.

N. XLVI.

Unguentum mercuriale album.

℞. Mercurii præcipitati albi drachmam unam,
Axungiæ porcinæ unciam unam.
M.

N. XLVII.

Unguentum zinci.

℞. Pulveris zinci calcinati drachmas duas,
Axungiæ porcinæ drachmas sex.
M.

N. XLVIII.

Ceratum tabacinum.

℞. Succi nicotianæ tabaci,
Ceræ flavæ, ana uncias tres,
Resinæ pini unciam unam cum dimidia,
Terebinthinæ unciam unam,
Olei myrrhæ quantum satis, ut fiat ceratum.

N. XLIX.

Decoctum corticum nucis juglandis.

℞. Corticum viridium nucis juglandis unciam unam,
Infunde cum aquæ libra una:
Post tres horas, infusio ebulliat per horæ quadrantem; refrigerata colentur.

N. L.

Unguentum Jasseri.

℞. Pulveris subtilioris florum sulphuris,
Vitrioli albi,
Baccarum lauri, ana partes æquales.
Misce; fiat cum oleo lini, vel olivarum, unguentum.

N. LI.

Solutio mercurialis simplex.

℞. Mercurii sublimati albi grana sexaginta
Solve in aquæ distillatæ libris duabus.
Misce *pro usu externo*.

N. LII.

Solutio phagedænica.

℞. Aquæ calcis recenter paratæ uncias octo,
Mercurii sublimati,
Dulcis, ana grana viginti.
Misce *pro usu externo*.

N. LIII.

Cataplasma ad tineam.

℞. Pulveris herbæ malvæ uncias quatuor,
Coque cum lacte; sub finem adde
Pulveris herbæ cicutæ unciam unam,
Butyri recentis uncias tres.
Misce, fiat cataplasma molle.

N. LIV.

Pulvis Æthiopicus.

℞. Æthiopis antimonialis grana tria,
Sacchari scrupulum unum.
M.

N. LV.

Pulvis antimonialis.

℞. Sulphuris aurati antimonii tertiæ præcipitationis granum unum,
Sacchari scrupulum unum.
Misce; fiat pulvis.

N. LVI.

Decoctum jaceæ.

℞. Herbæ jaceæ, seu violæ tricoloris recentis manipulum unum
Coque in lactis vaccini libra una.
Post brevem ebullitionem coletur.

N. LVII.

Hepar sulphuris calcareum.

℞. Ostrearum,
Sulphuris, ana partes æquales.
Per strata committantur crucibulo, et per horæ quadrantem candefiant. Massa refrigerata minutim contundatur, et in vitro epistomio munito servetur.

N. LVIII.

Linimentum saponaceum.

℞. Olei tartari per deliquium,
Olei amygdalarum recentis, ana partes æquales.

M.

Finis Libri IV. et Tomi IV.